
BIBL. NAZ.
Vitt Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
C
2 9 8
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



P. de Matteis Inu. And. Magliar sculp.

Biblioteca Nazionale V.E. III NAPOLI

Digitized by Google

605566 Var. C. 288

NICOLAI PARTHENIJ GIANNETTASIJ NEAPOLITANI

E Societate Jesu


HISTORIA NEAPOLITANA

In Tres Tomos diviſa.

AD EXCELLENTISS. PRINCIPEM

CAROLUM PACECCUM CARAFAM

MAGDALUNENTIUM Ducem Ampliſſimum,
ARGENTIJ Marchionem,
CERRETANORUM Comitem,
GUARDIANORUM Principem,
CIVITATIS S. AGATHÆ GOTHORUM Utilem Dñm,
CASTRI CANCELLI Baronem, &c.



Biblioteca Nazionale Napoli V. E. III

NEAPOLI, Typis Michaëlis Aloyſij Mutio. MDCCXIII.
SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

CAROLO

PACECCO CARAFÆ

MAGDALUNENTIUM Duci Ampliſſimo,
ARGENTIJ Marchioni,
CERRETANORUM Comiti,
GUARDIANORUM Principi,
CIVITATIS S. AGATHÆ GOTHORUM Utili Domino;
CASTRI CANCELLI Baroni, &c.

Nicolaus Parthenius Giannettaſius
Societatis Jeſu
PERPETUAM FELICITATEM.

NEapolitanam Hiſtoriam popularibus noſtris diù expetitam in lucem editurus nolui à ſapientiſſimorum

Digitized by Google

Virorum inſtituto diſcedere, Princeps Exçellentiſſime: His enim vel ab heroicis temporibus ſolemne fuit, ut quæ ſolerti ſtudio diligentiaque moliti eſſent, ea Viro Principi, cujus præclarum nomen, atque inſignis virtus eſſet, Tutelari veluti Numini nuncuparent. Nempe ut illius auſpicio illuſtrem ortum, claramque vel ab exordio famam ſortirentur, quod quidem potiori mihi jure faciendum duxi; utpote cui abundè perſpectum quam tenue, atque exſuccum, quam vulgare opus ſit: ut ni aliunde accipiat, quo niteat, quodq; de ſuo non habet, compenſet alieno, jaceat neceſſe eſt.

Et ſane ſi ex tanta Virorum Principum multitudine, quibus hac ætate noſtra hæc Urbs abundat, unus aliquis deligendus erat, in quem omnium ſuffragia convenirent, Tu ille, Vir præclariſſime, tu, inquam, ille eras. Quod tamen tua pace dictum, cujus inter reliquas virtutes primum ſibi modeſtia locum

cum vendicat; tantaque animi moderatio eſt, ut cum primus ſis, ultimus videri velis: Quo circa, ut tuæ huic moderationi, modeſtiæq; conſulam, ea tantum paucis perſtringam, quæ, vel te invito, ſua ſe luce produnt, ſuis ſe titulis commendant, ſua ſe magnitudine efferunt, ſuis ſe picta coloribus explicant. Cętera quæ penitiori veluti ſacrario ſe abdita tenent, intimiſque animi finibus coercentur, conſultò tranſmittam.

Et quidem quod ad claritudinem Nominis, Familiæq; ſpectat, ea tanta eſt, ut neſciam an quid majus poſſit accedere. Etenim quod tot titulos, tot ditiones, tot tantaſq; Toparchias adepta ſit, tot exercituũ Imperatores, tot Pręfectos Provinciarum, tot claſſium Ductores, tot ſacrorũ Ordinum Magiſtros, tot Purpuratos Patres produxerit, magnum profecto, atque admirandum eſt. Sed quod ſummum honoris apicem, ultimum majeſtatis faſtigium, Deoq; conterminum attigerit, Pontificia dignita-

te,

Digitized by Google

te, maximum illud, ac ſingulare, tuæq; Familiæ ita proprium fortuna fecit, ut ſuo jure ipſa ſibi viam ad honores omnes, ac titulos ſternere videatur, quo ad altiſſimum humanarum rerum faſtigium, majeſtatemque perveniat. Ideoque non immerito Carrafarum Familiam Trojanum Equum dixerim, ex quo quot viri, tot heroes prodierunt, non ad Trojam, immiſſis noctu facibus, incendendam, ſed ad Patriam, Italiam, Europam omnem, Orbemq; univerſum, ſparſis undique maximarum virtutum radiis, illuſtrandum. Quos ſi quis ſingulas non ornare laudibus, ſed enumerare tantum ſimplici oratione velit, is profecto operam luſerit, nec ſine temeritatis nota ab incępto deſtiterit. Immo & ſupervacaneum etiam foret, quando pleni annales, plenæ Hiſtoriæ geſtorum Familiæ tuæ. Neque dies ullus in faſtis eſt, qui vel aliquo Heroe, vel Heroico Carrafarum geſto notatus non ſit.

Venio igitur ad ea, quæ non generis, ſed

ſed tua ipſius ſunt ; in quibus veram laudem conſiſtere in confeſſo eſt. Nam, ut optime Ulyſſes apud Poetam, haud in laude ponenda ea ſunt, quæ non ipſi fecimus, ſed facta ab aliis accepimus: Majorum ea laus, non noſtra, & ad oſtentationem idonea magis, quod ad imitationem. Geſtorum gloria ad authores ſpectat, non ad hæredes, ad quos fortunæ, non animi bona tranſeunt. Haud equidem laudi Lunę dandum, quòd mutuato à Sole lumine luceat. Solem verò mundi oculum, ideo dicimus, quod ſua luce Orbem illuminet, atq; illuſtret univerſa. Tua igitur decora, atque ornamenta tuæ virtutes ſunt: quæ quoniam animi bona, & ſolida, & æterna exiſtunt.

Verum hic quam peramplus colligendarum frugum campus eſt? quam uberrima meſſis? cui ut par aliquo modo ſim, manipulatim, & per compendiũ cuncta colligam. Juvat quod adeo nota, & clara ſunt, ut ſatis ſit eas indicaſſe. Enim

verò

Digitized by Google

verò ut quam pretioſæ, quam pulchræ gemmæ ſint, cęteri videant, ſufficit eas è ſcriniis promere, atque oculis ſubjicere: ipſę mox, ut expoſitæ, de ſe loquuntur, & pretium ſuum ipſæ indicant: ſic dotes, virtuteſque animi tui, quibus unis, immortalibus veluti gemmis, adornatur, & comitur, ſe ipſæ commendant, laudem ſuam ipſæ prædicant, ipſæ ſuo fulgore perſpicaciſſimos etiam oculos perſtringunt. Sed hic etiam ſua difficultas, ac labor eſt. Etenim cum omnes æquè maximæ, atque admirandæ ſint, quam prius, quam poſterius ſpectes, admireris, efferas, in dubio eſt. At quoniam divinum oppido cum majeſtate humanitas, & communitas, cunctorumq; in ſe oculos non tam altitudinis faſtigium, quàm affabilitas trahit, vincitq; hanc ut primum ſpectes, mireris, diligas, neceſſe eſt.

Et ſanè quem te affabiliorem noſtra hæc Civitas vidit unquam? profecto neminem, ut te unum ad omnium deli-

cias,

cias, amoremque effinxiſse natura viſa ſit. Tu enim omnes excipis,omnes complecteris, officii vices reddis omnibus. Cumque ſupra multitudinem emineas, non ſolum comem te, ac benevolum erga illam præbes; ſed ita cum ea agis, ac ſi unus eſſes ex Illa. Quod quidem incredibile dictu eſt quantum in te omnium amorem, ſtudiumque conciliet. Te colunt, te obſervant, teque unicè diligunt univerſi:in te quippè altitudo ſine ſuperbia, majeſtas ſine faſtu, dignitas ſine oſtentatione, communitas ſine dejectione, gravitas ſine elatione; itàq; ſumma cum mediis, media cum imis temperas ut nihil in te ſit, quod non laudabile, quod non gratum, quod non acceptabile ſit. Verum quanta porro munificentia tua, ac liberalitas ſit, tempus tererem in explicanda re tam perſpicua, cunctiſque notiſſima. Siquidem quis unquam fuit, qui à te beneficium non acceperit, quis te convento non re-

diit ditior? Quem diem ſine aliqua munificentiæ nota elabi paſſus es? in omnes munificus, in omnes liberalis; ut tua bona fortunæ, opes, quibus abunde à natura cumulatus, non tam tua, quam aliorum videantur. Nec tuo tantum commodo, quantum aliorum neceſſitati ſervire. At non ultimus munificentiæ tuæ oſtentus hic eſt, quo noſtram hanc Hiſtoriam complexus es. Illam enim è tenebris, quibus ob humanas tum Fati, tum Fortunæ viciſſitudines abdita jacebat, in lucem prodire jubes victuram tuo munere immortalitati. Quidquid futura ſit, tibi debebit, tibiq; vitam, decus, ſplendoremque acceptum referet. Tibi cives tui ſingulari ſe obſtrictos beneficio fatebuntur, quod Urbis ſuæ Hiſtoriam, ut in votis diu fuerat, tandem utcunque te auctore obtinuerint. Sed næ ego ſtultus, qui pluribus modeſtiam tuam, qua nihil tibi charius, pretioſius nihil eſt, offenſam velim. A reliquis igitur tuis laudibus ſu-

per-

perſedeō, quandō tū certum mihi modum, atque anguſtos in laudatione fines circumſcripſiſti. Tantum Partheniam Genitricem Surrentini noſtri Præſidem, cui AEdem à fundamentis erectam Parthenius Vates dedicavit, quæſo, precorque, ut te quam diutiſſimè ſoſpitet. Et quemadmodum Tu Princeps munificentiſſime, illius commodum procuraſti, ita & ipſa utpote largiſſima in remunerando, tibi commoda, tibi titulos, tibi ſolidos honores accumulet. Vale.

Ex Surrentino Idibus Julii 1712.

JOSEPHUS VALLETTA
LECTORI.

ETSI Regnum Neapolitanum complures habuerit rerum ſuarum Scriptores; eorum tamen nonnulli nimìs jejunè, & exiliter: quidam contra prolixè, & inconditè eas pertractarunt: alii verò licet appoſitè, non univerſè tamen, ſed intermiſſa temporum ſerie deſcripſerunt. Quare neminem arbitror, ad eam laudem etiamnum perveniſſe, ut Urbs Neapolis, parem magnitudinis ſuæ præconem habuiſſe videatur: ſic ut, quod olim Vetuſtas in Tullio, cujus ingenii vi eloquentiaque Romæ ipſius amplitudinem æquatam prædicaverat, in nullo adhuc fas ſit admirari.

Digitized by Google

Sed enim hæc gloria Nicolao Parthenio Giannettaſio ſervata erat: quippe cum in eo omnia & ſubſidia & ornamenta, quæ in concinnanda hiſtoria putantur neceſſaria, mirificè eniteant; & quæ ſingula in aliis difficile ſit invenire, in eo conſpirent univerſa. Qua linguæ puritate polleat, qua ſermonis elegantia; & quàm recondita eruditione inſtructum, atque ad omne ſcribendi genus paratum habeat penu, teſtes ſunt tot libri, qui in omnium verſantur manibus, omnium plauſu & commendatione ſuſcepti, proſa oratione, & carmine egregiè conſcripti: (quos mihi honori tribuam, auctoritate reſcriptoque Regio ſæpenumero percurriſſe, dum in publicam lucem ederentur): ſic ut in uno eodemque homine videas, utramque facultatem, alteram ab altera longiſſimè diſſitam, excellenter efflorеſcere; ac verè pronunciare poſſis, eum inter amoeniores Societatis Poëtas referre Virgilium: inter eos verò, qui hiſtoriam ſunt perſecuti, Livium; non minori laude dignum, quàm Petrus Maffeus, & Famianus Strada extitere. Porrò ſi ratio ſolùm inſtituatur, quantam non modò ex Latinis, ſed etiam ex Græcis, & Hebraicis literis laudem retulerit, nullus erit dicendi finis. In cunctis autem diſciplinis, bo-

niſque artibus; iis quoque abſtruſioribus; quæ non ita frequenter cum ſtudiis, quæ ad humanitatem pertinent, conjunguntur; ad id excellentiæ culmen pervenit, ut peritiſſimus ab omnibus habeatur. Et quidem de Mathematicis ſcientiis nihil ſpeciatim ediſſeram; quarum ſpatia cum omnium latiſſimè pateant; ea tamen in Neapolitana Societatis Jeſu Academiâ per quinque & viginti ipſos annos, dum docendi munere fungeretur, perluſtravit univerſa. Atque, ut ad Hiſtoriam redeam, ſummis laudibus cumulandus eſt Ampliſſimus Cardinalis Jacobus Cantelmus, noſtræ Civitatis recenti adhuc memoria Archiepiſcopus, de re Chriſtiana ac literaria meritiſſimus. Is cum doleret, jacere penitus ſuæ Patriæ hiſtoriam, antiquitate & rerum geſtarum copia nobiliſſimam, eamque obſcuram, implicatam, mendoſioremque factam, elegantium Scriptorum inopia; qui rerum noſtrarum primordia, proceſſus, rationes temporum, fortunæque viciſſitudines perſpicuè, concinnéque monumentis commendarent: ſecumque reputans, neminem felicius celeriuſq; Auctore noſtro eam ad exitum perducturum, illicò eum cohortari coepit, & aſſiduè urgere, ut id opus ſuſciperet. Quamobrem, ut erat ei arctiſſima junctus amici-

tia,

tia ; conſiliorumque ferè omnium particeps ; eo potiſſimùm tempore, cum ſæculari anno ab Innoc. XII. PP. Max. indicto, diù multúmque eum Romæ comitem habuit; facillimè hominem adduxit, ut laborem hunc ſalebroſum cęteroqui, καὶ κινδύνῳ κεκαλυμμένον; ſed dignum ſua facultate, & copia, & ingenio, capeſſeret. Suſcepit autem, confecitque ea alacritate; ut multò difficilius ei fuiſſet reſpuere, quàm, quod imponebatur, efficere. Sed opus, quod hujuſmodi habuit hortatorem, Patronum modò nactum eſt clariſſimum, Carolum nimirũ Paceccum Caraſam, Magdalunentium Ducem; quo haud dignior Mecoenas occurrere poterat; qui ei præſidium eſſet, & decus. Id autem in lucem nunc prodiens, neſciam, utri majori futurum ſit gloriæ, Auctorine, an ipſi Urbi? Hujus quidem laudes,& nominis celebritatẽ nulla unquam ſæculorum memoria reticebit: quæ ſe decoratam, illuſtratamq; ſentiet à ſpectatiſſimo laudatiſſimoq; viro, eoque filio alumnoque ſuo; qui, quòd ſibi Parthenii nomen ab ſua Altrice accepit; idem & clarius, illuſtriuſque, ac immortale planè reddiderit. Sed, cum ſingulare ſemper ejus fuerit ſtudium ad promerendum, non minus tamen fuit ad depellendum à ſe quidquid laudis eſt, & honoris: Quip-

pe

pe ego cum ſæpius tentaſſem; ære aut tela ejus tradere imaginem exprimendam, quam inter alias Literatorum hominum effigies in meo Muſæo collocarem, & hac etiam in re poſteritati gratificarer; ne id ad effectum adducerem, ejus ſingularis modeſtia vetuit: ſatius enim ducebat, ſi qua imago virtutum, morumque noſtrorum æternis operum monumentis inſculperetur (quod prohiberi nulla ratione poteſt, ne ab iis quidem, qui ſui contemptores eximii extiterunt), hanc præferre; corporis verò nihili pendere. Ceterum, ut nihil quod ornamento huic operi poſſet eſſe, prætermitteretur; præclarè enim Pindarus,

Ἀρχομένȣ δ᾽ ἔργȣ πρόσωπον
Χρὴ θέμεν τηλαυγές,

quod palam coramque aſſequi non potuimus; eandem aliquando furtim, inſcioque Auctore, ex ſententia cecidit. Diverſatur nunc is quidem Surrenti, loco nobili, amoeniſſimoque Sirenum domicilio; ſed ita ibi diverſatur, ut non in umbra domeſticorum parietum contabeſcat: quin potius in ſolem, & pulverem proceſſiſſe videatur. Nam non intermiſſis priſtinis ſtudiis, quotidianis exercitationibus, laboribuſq; acerrimè ſeſe exercet; ejus enim doctrina, & eruditione inibi plurimi inſtituuntur; ejus ſermo-

monibus ad pietatem informantur; ejus conſiliis in Sacris ἐξομολογήσεσι plerique ad meliorem frugem revocantur ; ita ut doctrinæ excellentiam veræ pietatis excolendæ ſtudio arctiſſimo foedere copularit. Quæ quidem ſæpe admirari ſoleo in eo homine , qui κλιμακτῆρα jam evaſerit; quæ ętas cum ocio, & quiete traduci ſolet ; tum maximè quod exili gracilique corpore tam multis exercitationibus ſubigatur, ut ſi florente ætate, firmaque valetudine uteretur . Demum hic unum prætermiſſum nolo , nimirum omni officii genere proſequendum Virum bonarum artium amantiſſimum Dominicum de Georgio J. C. , qui proelo, longè adhuc agente Auctore, ſumma induſtria, ac diligentia præfuit , effecitque, ut opus tandiù expectatum quanto citius in lucem prodiret, atque nos, Lector, jucundiſſimo lectionis fructu perfrueremur. Vale.

Digitized by Google

ALEXANDER ALCIATUS
PRAEPOSITUS PROVINCIALIS
Societatis Jeſu

In Regno Neapolitano.

CUM Librum, cui Titulus, *Nicolai Parthenii Giannettaſii Societatis Jeſu Hiſtoria Neapolitana in tres Tomos diviſa*; aliquot ejuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint: Nos, poteſtate nobis facta ab Admodum Reverendo Patre noſtro Michaele Angelo Tamburino Præpoſito Generali, Typis mandari concedimus; ſi ijs videbitur, ad quos editio Librorum ſpectat.

Neapoli die 4. Januarii 1708.

ALEXANDER ALCIATUS.

EMI-

Eminentiſs., e Reverendiſs. Signore.

IL Padre Nicolò Giannettaſio della Compagnia di Gesù, deſiderando di dar alla Stampa l'Iſtoria Napolitana, compoſta in Lingua Latina, ſupplica V. E. volerſi degnare dar l'ordine per la reviſione, e della grazia quam Deus &c.

Reverendus Pater Bernardus Piſano Societatis Jeſu Examinator Synodalis revideat, & referat.

Neap. 19. Decembris 1707.

SEPTIMIUS PALUTIUS VIC. GEN.

D. P. M. Giptius Can. Deput.

Eminentiſſime Domine.

UT Eminentiæ Veſtræ mandatis obtemperarem, *Hiſtoriam Regni Neapolitani, Tomos in tres diſtinctam, à Patre Nicolao Parthenio Giannettaſio* Noſtræ Societatis, Latino ſtylo elucubratam, & avidè, & feriò perlegi. Nihilque in ea reperi quod vel divinæ Fidei, vel ſanctionibus Sacris, vel bonis officiat moribus. Quin etiam opus cenſeo, Auctoris ſui tum ingenio, tum fama jam celeberrima dignum; numeris nimirum omnibus abſolutum. Digniſſimum idcircò æterna, nedum publica luce judico, ſi ità Eminentiæ Veſtræ libitum fuerit.

Neap. in Coll. Max. ejuſd. Soc. Jeſu 6. Kal. Junii 1708.

E. V.

Umillimus, & addictiſs. Famulus

P. Bernardus Piſanus ejuſd. Soc. & Exam. Syn.

Stante ſupradicta relatione R. P. Reviſoris, quod poſſit imprimi, imprimatur. Neap. 31. *Maii* 1708.

SEPTIMIUS PALUTIUS VIC. GEN.

Canonic. Carolus Majellus pro Deput.

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

IL P. Niccolò Giannettaſio della Compagnia di Gieſù, ſupplicando eſpone a V. E., come deſidera dare alle Stampe una ſua Opera intitolata *Hiſtoria Regni Neapolitani*, che perciò la ſupplica a commetterne la Reviſione a chi li parerà, ut Deus &c.

Rev. P. Franciſcus Savaſtanus videat, & in ſcriptis referat.

GASCON REG. GAETA REG. CITO REG.

Proviſum per S. E. Neap. die 9. Ianuarii 1708.

Maſtellonus.

Cæteri Illuſtr.& Spect.Reg.non Interf.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

MAndatis Excellentiæ Veſtræ obtemperans, *Hiſtoriam Neapolitani Regni Tomis tribus comprehenſam à P. Nicolao Parthenio Giannettaſio* Noſtræ Societatis Latinè conſcriptam non ſine liquidiſſimæ voluptatis æquè, atque admirationis illecebra perlegi; Nihilque in ea reperi, quod Regiæ obſit Juriſdictioni; quin omnia, quemadmodum ad Regni, ſic ad Regis ipſius amplitudinem, ac Majeſtatem omnium oculis ſubiiciendam apprimè conducentia. Quapropter illam abundè, & re, & Auctoris fama ſe commendantem ſui, digniſſimam cenſeo, quæ Typis, atque adeò Immortalitati mandetur; Si ea E. V. mens fuerit. E noſtro Neap.Coll.Idibus Maii an. Æræ Chr. 1708.

Excell. V.

Addictiſſimus Famulus

Franciſcus Savaſtanus Soc. Jeſu

Viſa relatione Imprimatur, & in publicatione ſervetur Regia Prag.

GASCON REG. ULLOA REG. CITO REG.

Proviſum per S. E. Neap. 12. Junii 1708.

Maſtellonus.

Sp. Reg. Andreas imp.

Sp. Reg. Gaeta non interfuit.

Nazionale NAPOLI



Fran: de Grado sculp. Neap.

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

IL P. Niccolò Giannettaſio della Compagnia di Gieſù, ſupplicando eſpone a V. E., come deſidera dare alle Stampe una ſua Opera intitolata *Hiſtoria Regni Neapolitani*, che perciò la ſupplica a commetterne la Reviſione a chi li parerà, ut Deus &c.

Rev. P. Franciſcus Savaſtanus videat, & in ſcriptis referat.

GASCON REG. GAETA REG. CITO REG.

Proviſum per S. E. Neap. die 9. Ianuarii 1708.

Maſtellonus.

Cæteri Illuſtr. & Spect. Reg. non Interſ.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

MAndatis Excellentiæ Veſtræ obtemperans, *Hiſtoriam Neapolitani Regni Tomis tribus comprehenſam à P. Nicolao Parthenio Giannettaſio* Noſtræ Societatis Latinè conſcriptam non ſine liquidiſſimæ voluptatis æquè, atque admirationis illecebra perlegi; Nihilque in ea reperi, quod Regiæ obſit Juriſdictioni; quin omnia, quemadmodum ad Regni, ſic ad Regis ipſius amplitudinem, ac Majeſtatem omnium oculis ſubiiciendam apprimè conducentia. Quapropter illam abundè, & re, & Auctoris fama ſe commendantem ſui, digniſſimam cenſeo, quæ Typis, atque adeò Immortalitati mandetur; Si ea E. V. mens fuerit. E noſtro Neap. Coll. Idibus Maii an. Æræ Chr. 1708.

Excell. V.

Addictiſſimus Famulus

Franciſcus Savaſtanus Soc. Jeſu

Viſa relatione Imprimatur, & in publicatione ſervetur Regia Prag.

GASCON REG. ULLOA REG. CITO REG.

Proviſum per S. E. Neap. 12. Junii 1708.

Maſtellonus.

Sp. Reg. Andreas imp.

Sp. Reg. Gaeta non interfuit.

Digitized by Google



Fran. de Grado sculp Neap.

Nazionale NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ

DECAS PRIMA.

LIBER PRIMUS.

NEapolitanæ Urbis exordia, uti vetuſtiſſima, ita non ſatis comperta ſunt: quidam à Parthenope Eumeli Pherarum Regis filia ædificatam; eamque Apollinis auſpicio, & columbæ ductu in hæc litora appuliſſe commenti ſunt. Alii verò à Phalero Athenienſi, uno ex Argonautis ante Trojanam expeditionem; deque illius nomine Phalerum dictam: deinde multo poſt Trojam captam, à Rhodiis, qui tum maris imperium obtinebant, amplificatam, Parthenopenque ex unius Sirenum nomine, quæ ad illius litora vi tempeſtatis delata fuerat, nuncupatam, tradiderunt. Quidam verò à Rhodiis primam originem duxiſſe voluerunt. Quæ à parvis initiis ad eam magnitudinem, ſplendoremque provecta eſt; ut poſt Romam majorem Italia non viderit. Eſt autem ſita in ea Italiæ parte, quæ qua Cœli clementia, qua maris hoſpitalitate, qua terræ ubertate, Felix Campania tum à Græcis, tum à Latinis Scriptóribus vocata eſt. Cujus tanta amœniſſimi ſitus opportunitas eſt, ut quaſi gemma in medio terrarum ab artifice

Natura collocata ſit. Ex ea enim tum in Occidentem, Gallias, atque Hiſpanias, tum in Orientem, atque Aſiam, tum etiam in Meridiem, univerſamque Africam commodus, atque expeditus patet excurſus. Ex intimo Crateris receſſu, qui Campaniam alluit, lenes in clivos ſenſim aſcendit, lunatoque hinc, illinc flexu, inque theatri ſe ſpeciem ſinuans, extenditur. Collis, qui longo Urbem circuitu complectitur, atque ab Aquilonari plaga objectu dorſi tutatur, ad Orientem juxtà Doliolum, ubi Regiæ olim ædes, hortique, & fontes elegantiſſimi viſebantur, in planitiem deſcendit: ad Occidentem longo clivo, qui Pauſilypus dicitur, amœnus æquè, ac fertilis, in mare prorumpit: poſituque ſuo lybicos flatus compeſcit. Ab hujus autem radice ad Sebethum uſque ampliſſimo in ſinu, colles plurimos, medias valles, & campos ædificiis occupat, ut vix locus tam editus ſit, ex quo comprehendi tota oculis poſſit. Ejus primos habitatores, quicumque tandem illi extiterint, Græcos fuiſſe, Græcumque in ea ſermonem, leges, ritus, atque artes diu viguiſſe, manifeſtiſſima monumenta confirmant. Quo vero tempore, relicta Phaleri appellatione, Parthenope, & Neapolis vocari cœperit, non planè liquet. Crediderim tamen id accidiſſe, cum, advenientibus in hæc loca Rhodiis, prima incrementa ſuſcepit: atque idcirco à Cumanis bello laceſſitam, qui illius magnitudini invidentes, armis appetivere. Inde oraculo moniti reſtituerunt, & Neapolim, hoc eſt Novam Urbem, vocaverunt.

Fuit etiam ad Orientem via Nolana Urbs altera, quæ Palæpolis dicebatur, à Cumanis condita: quam cum Romani cepiſſent, ejus Cives Neapolim commigrarunt: deſitaque Palæpolis appellari, manente Neapolis nomine. Atque ob id Chalcidienſium colonia, à quibus Cumæ in Opicis antiquiſſimis temporibus conditæ, habita eſt. In qua, qui priſcis ſtatus ſeculis fuerit, in re tam vetuſta, non ſatis exploratum. Cum autem vero ſimilius ſit, ab Athenienſe Duce ædificatam, Athenienſis etiam Reipublicæ formam in ea floruiſſe, ſuoſque Archontes, & Demarchos habuiſſe, facile inducor, ut credam. Quinimo plurima adhuc monimenta ſuperſunt, quibus ſecutis deindè temporibus eoſdem Magiſtratus ad regendam Urbem creatos fuiſſe, colligitur: ſuiſque liberam legibus ad ea uſq; tempora vixiſſe, quibus icto cum Palæpolitanis, Tarentinis, ac Samnitibus fœdere ſe Romanis armis implicuit. Belli cauſſa orta à Palæpolitanis, qui Samnitium, ac Tarentinorum amicitia freti, in Campanum, Falernumque agrum irruperunt, prædaſque plurimas abegerunt, quas, repetentibus per feciales Romanis, cum reddere recuſaſſent, bellum eis ab Senatu indictum anno urbis conditæ CDXXVII. conſulibus L. Cornelio Lentulo, & Publilio Philone. Hic, cui ea provincia ſorte obvenerat, caſtra Neapolim, ac Palæpolim

polim inter, ne mutuam ſibi opem ferrent, collocavit. Sic intercluſo duarum partium auxilio, atque urgentibus obſidionem Romanis; cum nec Samnites, nec Tarentini ad liberandam urbem preſto eſſent: imo hi, qui pręſidio urbi impoſiti, duriora in ſocios, ac fędiora quotidie perpetrarent, quàm victores Romani feciſſent; his ſe dedere opportunius viſum eſt, ut maturata deditione, veniam à victore facilius conſequerentur. Duo erant Principes Civitatis Charilaus, & Nymphius: qui conſilio inter ſe, ac Primores communicato, ad rem naviter gerendam ſibi partes diviſerunt, conſtitutumque inter eos eſt, ut unus ad Romanum Ducem transfugeret, alter in urbe ad rem perficiendam ſubſiſteret. Hanc ſibi Nymphius provinciam, illam Charilaus ſuſcepit. Qui ad Conſulem profectus: Tradere ſe, inquit, Romanis mœnia conſtituiſſe; idque & ſibi, & patrię ſaluti fore, de Romanorum benignitate confidere: conſiderareque eos velle quanto potius periculo, ſi res, uti ſperabat, è ſententia ceſſiſſet, reditum in amicitiam eſſet, quam quanta ſtultitia, ac temeritate defeciſſent. Philo, & benignè hominem excepit, & collaudato conſilio, tria ei militum millia, quibus Quintius Tribunus prçerat, adiunxit: Et ut fortiter rem aggrederetur, quando de fide non dubitabat, hortatus eſt. His Charilaus ad occupandam eam urbis partem, quam Samnites tenebant, profectus eſt. Quo tempore Nymphius conſilij gnarus Samnitium Pręfectum dolo cepit. Quoniam, inquit, omnes Romanorum vires, aut in Samnio, aut circa Palępolim, ſineret ſe, deducta claſse, Romanum agrum circumvehi, non maritima tantum, ſed ipſa urbis pomœria depopulaturum. Idque ut hoſtes lateret, velle ſe noctu militem ex urbe in litus deducere, atque illico proficiſci; ſcire quippe nil magis ſubitis irruptionibus prodeſſe, quam properatam ſilentio celeritatem. Placuit Pręfecto conſilium, utque maturius fieret, omnis Samnitium juventus, pręter paucos neceſſarium urbis pręſidium, in litus ire juſſa. Hic dum Nymphius in tenebris ordinando milite, ac multitudine ſe mutuò impediente, alia alijs de induſtria imperia turbans, rem differt; Charilaus à ſociis, ut conventum inter eos erat, in urbem receptus eſt. Ut verò pręcipua loca Romano milite firmavit, tolli clamorem jubet, quo audito, Gręci populares à Primoribus admoniti quieverunt. Nolani, re cognita, per averſam partem Urbis via Nolana ſe in fugam ſtatim conjecerunt. At Samnites ut expeditiorem primò fugam, ita mox fędiorem habuerunt, nam rebus univerſis amiſſis inermes, atque ab agreſtibus ſpoliati non ſine dedecore domum redierunt. Receptam Urbem Romani in amicitiam acceperunt; ictoque fędere, ſociam vocaverunt. Ex quo adeo conſtanter in amicitia Populi Romani permanſit; ut ſecundo bello Punico, cum omnis penè Italia, cæteræque Campaniæ Urbes poſt

Cannenſem pugnam ad Annibalem defeciſſent, ſola in ſocietate perſtiterit. Imo ut ſuam erga Romanos fidem difficillimis temporibus, quod maximum amicitiæ argumentum, Neapolitani oſtenderent XL. aureas pateras dono ad Senatum miſerunt, ſe, ſuaque omnia ad bellum contra accerrimum hoſtem pollicentes. Romani gratiis Neapolitanis pro fide, ac benevolentia actis, quæ minima ex pateris erat, accepta, reliquas remiſerunt. Quæ Neapolitanorum in Romanos fides mox clarius emicuit, cum Annibal, qui ſummo deſiderio ardebat maritimæ Urbis potiundæ, ut commodè ſuppetias ex Africa acciperet, ad occupandam Neapolim omnibus viribus, & victoria ferox acceſſit. Qui etſi principio Hegeam extra Urbem cum turma equitum obequitantem inter inſidias Punica fraude acceptum fudiſſet; tamen territus deinde tum fortitudine, conſtantiaque Civium, tum altitudine mœnium, re infecta, ut venerat, ſtatim redivit. Mox Capua capta, ac majore Campaniæ parte in poteſtatem redacta, iterum Neapolitanorum animos partim ſpe, partim vi ad deditionem adducere conatus, operam luſit. Nolamque è veſtigio profectus eſt. In quam etiam Urbem non admiſſus, iterum ad mare, & noſtram Urbem acceſſit: magna enim illum cupido inceſſerat maritimi oppidi potiundi, ut naves ex Africa venientes tutam in illo ſtationem haberent. At cum M. Junium Sillanum, à Neapolitanis accitum, Urbem cum præſidio intraſſe cognovit, oppugnationis conſilium omiſit, retroque reverſus, Cumanum agrum depopulatus eſt: perque fines Neapolitanorum tranſiens, ira potius, quam ſpe potiundæ Urbis, cuncta diripuit, atque incendit.

Punico tandem bello poſt multas clades feliciter abſoluto, paceque Italiæ parta, ſuis legibus, & Romano fœdere tuta diu Neapolis quievit. Quæ tamen turbata aliquantulum Pyrrhi adventu quies fuit. Qui anno Urbis conditæ CDLXIV. à Tarentinis in Italiam accerſitus, ſibique Samnitibus, Lucanis, ac Brutiis adjunctis, infeſto agmine Romam movit: & omnia, ut ait Eutropius, circum loca, totamque Campaniam pervaſtavit. Etſi quidam mediterranea tantum loca ad Præneſte uſque à Pyrrho, ſociiſque direpta opinentur; nam Conſul Valerius Levinus hoſtem inſecutus, in Campaniam ſe recepit, Neapolitanorum ſcilicet, ac Cumanorum in fines; quibus utpote Græcis Pyrrhus pepercerat. At major motus, cladeſque fuit anno DCLXXVIII. cum Spartacus gladiator Thrax genere, unà cum Crixio, & Tinomao Gallis, ejuſdemque fęcis hominibus, ſervile bellum excitavit; occupatoque Veſuvio monte, loco fertili, & opportuno, auctuſque multitudine fugitivorum, cæde, & rapinis proximos agros, ipſaque Neapolitana pomœria depopulabatur. Contra conjuratos Clodius, & Valerius cum exercitu

miſſi,

miſſi, à quibus cum obſiderentur, per fauces cavi montis vitigineis vinculis dilapſi, ad imas montis radices deſcenderunt: inque uno exitu vallis conglobati, Clodii caſtra nihil tale opinantis, repente invadunt, ac primo impetu capiunt: quibus direptis, altera collegæ adorti ſuperant. Deinde Thoram Urbem occupant, univerſamque Campaniam diripiunt, victoreſque diu per Italiam pervagati: fuſoque Gn: Lentulo cum conſulari exercitu ad Apenninum, Caſſioque, & Manlio ſuperatis, de incendenda Urbe cogitabant. Quod & feciſſent, ni M. Craſſus Prætor duobus prælius Granicum primò cum Germanis, & Gallis, Spartacum ſecundò cum reliqua multitudine ad Silari fontem cæcidiſſet. Quibus profligatis reſtituta Neapoli quies: quæ tandiu duravit, quandiu libera à civilibus bellis Roma fuit. Nec auxiliis, quæ uti fęderata debebat, Romanos juvare, imperiumque proferre unquam deſtitit. Quin & multo antè hæc tempora authores fuerunt, ut rem maritimam Romani attingerent, ut qui à Rhodiis orti mari plurimum pollebant, navesque plurimas ad bellum pro Romanis mittebant.

Eo verò civilium bellorum incendio, quo totus pene Orbis terrarum conflagravit, noſtra etiam Neapolis comprehenſa. ſenſitque primùm armorum incommoda, cum Sylla ex Oriente in Italiam trajiciens exercitum in Campaniam induxit, Norbanumque obviam cum magnis copiis venientem acie vicit, cæſiſque ſeptem Romanorum millibus, Norbanum Capuam fugere coëgit. Tum à victore exercitu tota pene Campania ferro, ignique pervaſtata. Quæ non multo ante ab eodem Sylla Conſulibus M. Pompejo, & L. Catone, non inferiorem cladem acceperat; cum hic bello ſociali cuncta armis fędavit, & Stabias vetuſtiſſimum ad alteram Sarni ripam oppidum excidit. Civilibus odiis, iriſque, quibus per tot annos, tantiſque cladibus parentatum eſt, tandem extinctis, orta ſub Auguſto Cęſare pax eſt. Qui clauſo Jani templo, totus ad firmandam pacem, reſtituendumq; Imperium, atq; ornandũ incubuit. Ejus opera Neapolitana tum mœnia inſtaurata, turreſque additæ, inque magnificam utraque formam extructa. Per idem tempus à Tiberio Tarſo ipſius liberto Caſtori, & Polluci templum ædificatum. quibus diis opitulantibus, Auguſtum navali prælio M. Antonium ad Actium viciſſe Romani crediderunt. Ejus templi, quo nihil hæc Urbs magnificentius habuit, una tantum frons pariis columnis inſtructa ad noſtra hæc uſque tempora permanſit. Anno autem MDCLXXXVIII., quo ingenti terræ motu Campania contremuit, proximumque Samnium pene everſum, magno omnium dolore dejecta eſt, nec niſi tres tantum columnæ non minus egregii operis, quam luctuoſiſſimæ cladis argumentum, ſuperſtites extant. Ferunt pariter, regnante Auguſto, à Calfurnio Coccejo architecto cryptam,

tam, quæ Puteolos ducit, ingenti ſumptu Pauſilypano in colle excavatam. Ego Græcorum opus crediderim, qui cum plurima circa Cumas, ac Puteolos loca perfoderint, hanc etiam, ut brevi compendio Puteolos peterent, nec cogerentur Pauſilypi jugum aſcendere, per illius viſcera aperuiſſe, dicendi ſunt: vetuſtate deinde collapſam, ac pene oppletam à Calfurnio reſtitutam, atque amplificatam. Multis poſt ſeculis ęvo iterum fatiſcentem, elegantiorem in formam Alphonſus I. reſtituit, feneſtraſque in ſuperiori fornice extruxit: per quas lumine accepto commodius mearetur. Qui verò à Virgilio Poëta magicis artibus factam dicunt, aniles fabellas loquuntur, nec magicæ arti navaſſe operam tantum virum crediderim.

Porrò Virgilius hoc tempore Neapoli agebat, inque Urbe Muſarum alumna Georgicorum opus abſolutiſſimum compoſuit: inque eam iterum ad Æneidem elimandam ſeceſſit, plurimum, & loci amœnitate, & benigna Muſis Cœli temperie captus. Ejus tanta in Neapolitanos benevolentia fuit, ut apud eos tumulari voluerit. Cum enim unà cum Auguſto Athenis Romam rediens, ultimum Brunduſii diem obiret, teſtamento cavit ne aliò, quam Neapolim, ejus oſſa deducerentur, eaque in Urbe tumulus extrueretur. Quod & Auguſti juſſu factum eſt; extatque ejus urna in Orientalis aditu cryptæ ſuperius memoratæ. Juxta quam urnam laurum ſua ſponte enatam longo tempore floruiſſe perhibent; qua nimirum tanti vatis cineres coronarentur. Quidam Virgilii tumulum in altera via Puteolana, quæ per montis clivum eam in Urbem ducebat, inſtructum fuiſſe tradiderunt. Cæterum quæ de ejus conſulatu, aliaque Villanus in annalibus refert, meræ nugæ, ut ea ſunt, quæ de aurea Virgilii cicada Nolani cantant. Verùm non unus Virgilius, qui tamen inſtar multorum eſſe poſſet, ſed alii etiam plures inſignes viri illuſtrem Neapolim reddiderunt. Hi fuere Silius Italicus, qui poſtremam vitæ partem amœniſſima in Urbe, ac Muſarum hoſpita tranſegit. Claudianus, Lucilius, Romanæ Hiſtoriæ parens Livius, morumque inſtitutor Seneca, plurimique alii viri eruditi ad doctam, ut ait Martialis, Neapolim, ut honeſtiores artes excolerent, ſe receperunt, ut author eſt Statius. Qui & ipſe non ultima noſtræ Urbis eſt gloria; & nativa quidem illa, ac popularis, ut ipſemet non uno in loco ſuorum operum profitetur. Floruit ſub Domitiano Principe, cui Thebaidem nuncupavit, & cujus equo ſylvas exorſus. Floruere etiam Neapoli antiquis temporibus Æſchines, quintus numero Philoſophus Academicus, Melandi Rhodii diſcipulus, & Marinus Philoſophus, & Rhetor, qui Procli vitam, cujus auditor fuerat, conſcripſit, vixitque ſub Adriano,

Non minor à claris Imperatoribus gloria Neapoli parta eſt. Lucullus non uno prælio Mithridate victo, ac pene debellato, Aſia recepta, Armenia ſubacta, ductoque nobiliſſimo triumpho, Neapolim ſeceſſit; ut quod vitæ ſupererat, pacatus transigeret: inque eo colle, qui Echia dicitur (à Falconis roſtro nunc populares appellant) magnificentiſſimos hortos extruxit, qui locus Lucullani deinde horti, & Lucullanum dictus. Et quoniam in eodem colle calidæ aquæ ſcatebant, uſus opportunitate, balnea magno ſumptu ædificavit. Pauſilypum perfodit, inque teſtudinem ſuperiora conformavit; immiſſoque mari, Neſim à continente ſejunxit; quæ deinde proceſſu temporis, quo omnia conſumuntur, teſtudine diruta, inſula evaſit. Ipſe vero eo compendio è Lucullano Puteolos navigabat. atque ob id Xerſes togatus à Tuberone Stoico, & Pompejo nuncupatus. Ipſe pariter Pompejus ſæpe Neapolim ad erudita otia divertit. Qua in Urbe cum ægrotaret, Neapolitani ſacra pro illius incolumitate fecerunt, quos vicinæ primum gentes, tota ſubinde Italia ſecuta, ac per multos dies feriæ celebratæ. Quæ res non parum Cæſaris animum à Neapolitanis alienavit. Inque eadem Urbe exuiſſe Sylla ferociam viſus eſt, Græciſque ſtudiis miteſcere. Tullius ipſe Romanæ eloquentiæ parens, qui Neapolitanum Cœlum ad conſolandos animos, atque inflammandos iactum dicit, Neapolim ad Græcas literas ediſcendas ſe contulit, eòque deliciarum cauſſa ſummos Romanorum convenire teſtatur. Fuit etiam nobilis Pollionis ſeceſſus, qui Pauſilypano in colle ſuperbiſſimam villam excitavit, atque ampliſſimis piſcinis, in quibus omnis generis piſces, ac præcipue murenæ, ingenti ſumptu, ac cura alebantur, aliiſque operibus, atque egregiis ſignis adornavit. Ad hanc ſæpe Auguſtus, poſitis, quas gerebat, terrarum curis, ſeceſſionem faciebat, oblectatus & loci amœnitate, & Pollionis magnificentia. Quam villam moriens Pollio eidem Auguſto, regio quondam hoſpiti legavit, ut author eſt Dio. Et Brutus Neapoli, & Hirtius, & Philippus, aliique viri Principes commorati. Imo ea ætate, qua ſe Capreis Tiberius abdidit, quamplurimi Senatores, Romanique Equites, ut genio Principis obſecundarent, ad hæc loca æſtate incolenda confluxerunt; tot verò, ac nobilia ædificia ædificarunt, ut univerſus Crateris ambitus occuparetur, atque unius continentis præ ſe ſpeciem urbis ferret, qua procul aſpicientibus nihil magnificentius, nihil ornatius videri poterat. Enituit inter cætera, principemque locum obtinuit villa Surrentina Pollii Felicis, quæ totum eum ſinum, qui inter duo promontoria exiſtit, ſuo poſitu amplectebatur, geminiſque in iis Fanis Neptuno, & Herculi extructis, exornabatur. Eam villam in Papinii ſylvis eleganter depictam, qui volet, aſpiciat. Ego ad Hiſtoriæ inſtitutum revertor.

Per

Digitized by Google

Per idem fermè tempus Regulo, & Virgilio Conſulibus, magna totius pene Campaniæ ſtrage terra movit. Nam & Pompei vetuſtiſſimum oppidum, ipſoque ab Hercule poſitum, conſedere, & Herculanium ab eodem conditum, magna ex parte corruit. Nuceria non ſine clade fuit. Neapoli multa tum publica, tum privata ædificia labefactata, ſignaque ex marmore plurima deciderunt. Cui malo, & principum munificentia, & populi ſtudio obviam itum eſt, brevique damna felicius reparata. Quique ex tanta terræmotus ruina altius populorum animis timor inſederat, Auguſti præſentia excuſſus eſt. Qui Roma in Campaniam ſeceſſit, & primum cum Tiberio privigno in Capreas navigavit, delectatuſque amœnitate inſulæ, tres ibi dies manſit. Quo tempore vetuſtiſſimam ilicem refloruiſſe ferunt, quo augurio ſummopere captus, eam inſulam, quæ Neapolitanorum juris erat, cum Ænaria commutavit, magno illorum lucro, quibus major, & feracior inſula Cæſaris munificentia tradebatur. qui cum ſupremo jure uti poſſet, tranſigi cum ſociis maluit: quod quidem maximum benevolentiæ argumentum, qua Neapolitanos Auguſtus eſt complexus. Ea autem major eluxit, ut è Capreis Neapolim venit, ut Gymnicis ludis, qui in ipſius honorem quinto quoque anno celebrabantur, intereſſet. Hi verò etſi quinquennales in Auguſti Cæſaris honorem poſt Actiacam victoriam à Neapolitanis inſtituti, antiquiſſimi tamen Neapoli fuerunt. ubi Gymnaſia non longe ab æde Caſtoris, & Pollucis fuiſſe memoriæ proditum eſt, in quibus juventus nuda græco more exercebatur. tunc plurimum lucta, & Pancratio valuiſſe authores meminerunt.

At multo felicior Neapolitanis, ac fortunatior Cæſaris præſentia D. Petri adventus fuit, quo authore inanium deorum ſuperſtitione expulſa, Veram Religionem amplexi ſunt. Hic Antiochia Romam navigans Campaniam tenuit; inque Neapolitanum primum litus deſcendit. In hujus parte, quæ ad Orientem, ac Sebethum amnem ſpectat, dum juxta pomœrium ſedet; Chriſtique cultum in eam Urbem inducere meditatur, Candida nobilis mulier ei obviam fortuito venit, quam cum optimæ indolis eſſe Petrus deprehenderet, uti ea ad fidem diſſeminandam ſtatuit. Cumque ex ipſamet capite laborare intelligeret, illico dolore liberavit, quo facto, ita in benefactorem ſuum affecta, ut illum de Vera Religione diſſerentem attentiſſimis auribus audiverit. inde vehementer rogat, ut quando tanta ipſi à Deo poteſtas data eſſet, Aſprenum etiam virum frugi, & conſanguineum ſuum diutino morbo ægrotantem curare vellet. fieri ita facile, ut & ille, & Cives ſui Veræ Fidei lumen aſpicerent; ſacroſque ritus, quos memorabat, amplecterentur. Tum Petrus baculum, quo uti conſueverat, Candidæ

tra-

Digitized by Google

tradidit, eoque ſuffultum ducere ad ſe Aſprenum juſſit. Candida ingenti ſpe plena, & plurimum præ lætitia geſtiens, domum convolat, in quam ingreſſa, Bono animo ſis, inquit, Aſprene, lætum enim ad te nuncium fero: nihilque eſt, quod ſalutem moretur. Quæque ei cum novo, divinoque homine accidiſſent, breviter enarravit. Chriſti deinde nomine ſurgere ægrotum jubet, baculoque inniti. Confeſtim Aſprenus, & fide, & ſpe plenus è ſtrato exiliit, acceptoque baculo ſanus, atque expeditus ad Petrum cucurrit. A quo unà cum Candida, aliiſque civibus eo miraculo accitis, veram Religionem edoctus, ſacro fonte cum cæteris luſtratus eſt: primuſque patriæ Præſul ab ipſo Principe Apoſtolorum tùm inauguratus perhibetur. Ara etiam eo loco poſita ſacra primùm Chriſtiano ritu, miniſtrante Aſpreno, reliquiſque aſtantibus, Petrum feciſſe memoriæ proditum. Quidam ædiculam etiam dedicaſſe ferunt, quæ amplior ſecutis temporibus facta, à Petri ara nomen accepit. Principe in Eccleſia baculus quidam ſervatur, ſummàque religione colitur, eumque illum eſſe, quem Candidæ Petrus tradidit, neſcio, qua ducti ratione populares perhibent. Tum Neapolitani Apollinis, quem ſub Hebonis figura, & Lunæ, quam Artemidis nomine præcipua numina colebant, ſuperſtitione ejecta, ita ſe Veræ Fidei addixerunt, ut nunquam à ſacris Chriſtianorum ritibus deſciverint. Imo è primævo flore illibatam, atque inconcuſſam tot inter immaniſſimorum Cæſarum turbines, barbararumque gentium inundationes conſervarunt. Placuit tamen in Urbis ſtemmate illorum ſiderum colores appingi: inque ſuperiori Inſignis parte aureum Solis, in inferiori Occidentis Lunæ roſeum collocari; idque eo conſilio factum, ut aliqua vetuſti moris memoria permaneret.

Cæterum Auguſtus vel ex eo in Neapolitanos propenſus, quod Liviam cum priore viro Tiberio in maximis periculis ad eos confugientem benigne accepiſſent, atque omni ope juvaſſent; quod ob egregiam, ac conſtantem in Romanos fidem ab antiquiſſimis temporibus obtinuerant, novo favore indulſit. Liberam ipſorum urbem eſſe voluit; naviumque tributum, quod ex fœdere dare conſueverant, omnino remiſit: nullumque in ea locum juris dicundi Romanis Magiſtratibus eſſe juſſit. Sed ut ipſi Neapolitani ſuos Archontes patrio more crearent, eorumque imperio regerentur. Atq; hinc factum crediderim cur rari admodum in ejus ditione Martyres excruciati; nam nulli in ea Romani Præfecti, nullæ de fide quæſtiones agebantur, nec in Chriſtianos capitis anquirebatur. Anno LIV. ab Orbe inſtaurato Petrus Hieroſolymis, quò ob Claudii edictum ex Italia redierat, iterum Romam navigans, Retinam ſexto à Neapoli diſtantem lapide delatus vetuſtiſſima fama fertur. Hic plurimos baptiſmate luſtravit, inter quos Princeps Ampello,

qui eo in oppidulo Eccleſiam condidit, quæ uſque ad noſtram æta-
tem nomen ab eo retinuit. Hinc Neapolim profectus ab Aſpreno,
ac reliquis Chriſtianis ſummo honore, lætitiaque exceptus: eo tem-
pore Eccleſiam, ubi primùm ſacra fecerat, inauguraſſe vetuſtiſſi-
mus lapis, qui in ara maxima ejus ædis ſervatur, liquidiſſimus te-
ſtis eſt. Tandem poſtquam Neapoli multa de ſacris ritibus Aſpre-
num edocuiſſet, ethnicoſque plures ad Chriſtum divina eloquentia
adduxiſſet, ad arcem Romani Imperii, Orbiſque terrarum domi-
nam urbem, ut in ea profligata gentium ſuperſtitione Veram Re-
ligionem induceret, illicò conceſſit.

Interea Nero è Græcia rediens Neapolim venit, in cujus thea-
tro Muſico agone, quod in aliis tum Græciæ, tum Italiæ urbibus
viliſſimo hiſtrionum habitu indutus factitaverat, certare voluit,
& palmam retuliſſe populorum adulatione, quæ erga ignavos etiam
Principes plurima eſſe ſolet, ſibi viſus eſt. Illud verò mirabile tùnc
accidit; cum ſemel in theatro ad innumerabilem fere multitudinem
è vicinis oppidis ad rei novitatem accitam, cantaret, vehementiſſi-
mus terræ motus excitatus eſt, quo dum univerſi perterriti diffu-
gerent, ipſe ſtolida temeritate à cantu non deſtitit, niſi quod dice-
re inſtituerat, abſolviſſet. Tum tandem theatro eſt egreſſus: quod
novo exin motu exorto illico dejectum eſt. id Ethnici in infamis
laudem Principis verterunt, quaſi ejus merito datum, ut unà cum
Cæſare cuncti ante ruinam egrederentur incolumes. At ſumma
Dei providentia factum, ut & innoxii non perirent, & ipſe ad tur-
piorem necem reſervaretur. Tantum verò ea canendi laude captus,
ut iterum in Achajam ad muſicam probè ediſcendam reverteretur.
Verùm Neapolitanum theatrum modeſtius ante Neronem Claudius
cohoneſtaverat, qui, ut ait Svetonius, ad fratris memoriam per
omnem occaſionem celebrandam comœdiam quoque græcam Nea-
politano certamine docuit, ac de ſententia Judicum coronavit:
ideoque privatus Neapoli vivens in Muſicis ludis pallium, & ſoleas,
in Gymnicis purpuram, & auream coronam ferebat. Erant Nea-
poli præter Gymnicos ludos, quos è Græcia acceperat, tria cele-
berrima certamina, Literarium, Muſicum, & Gladiatorium, quæ
in antiquis nummis majores noſtri expreſſerunt: in quibus Cadu-
cæum, Citharam, & Rete inſculpſerunt; & quidem Caducæum
Palladium, quo ſe palmam retuliſſe Statius gloriatur, Cithara
Muſicum, Rete Gladiatorium certamen ſignabat. Nec ultimum
præter iſta Lampadromicus curſus fuit, quem in eiſdem nummis
appicta face notaverunt. Hunc ludum, in quo curſores lampada
præferentes ludebant, Diotimus Athenienſis claſſis præfectus
inſtituit, cum bellum adverſus Siculos gerens Neapolim ad Par-
thenopes oraculum venit; ſacriſque græco ritu peractis, feſtum in-
dixit,

Digitized by Google

dixit, quo juventus antiquo Athenienſium more ardentibus facibus ludens, concurreret, uti Lycophron antiquiſſimus author affirmat. Erat autem Neapoli in colle, qui urbi imminebat, ubi ſecutis temporibus ſedile, cui à monte inditum nomen, extructum eſt, Parthenopes ſepulchrum, non longè ab æde Caſtoris, & Pollucis, qui tutelaria numina habebantur; ubi & Theatrum, & circus, & Forum erant. Eoque è tumulo oracula reddi veteres arbitrabantur. Certè Neapolitani ſummo honore Parthenopen, à qua conditam urbem credebant, proſequebantur, ejuſque caput unà cum Hebone in nummis depinxerunt. Hanc verò Parthenopen virginem, & caſtam extitiſſe Dionyſius author eſt. Quocirca erraſſe eos dicendum, qui meretricem eam, & Circes ſociam fuiſſe ſcripſerunt.

Ut autem veteri ſuperſtitione relicta, ad ſacra redeam; Aſprenus juxta Candidæ ædes ſacellum dedicavit, in quo Virginis Deiparæ puerum Jeſum ulnis continentis Imaginem appinxit, quæ cum prima Neapoli viſa eſſet, à principio nomen accepit, ac poſt tot ſecula retinuit. Quo in ſacello magno populi concurſu rem ſacram quotidie faciebat. Candida poſtquam diù ſanctè, pièque vixiſſet, non una inſignis palma deceſſit, inque Petri Ara ſacro ritu ſepulta, eamque inter Divas relatam Neapolitani quotannis Chriſtiano ritu colunt. Sequenti anno, qui fuit à Chriſto nato LXXX. Aſprenus, poſtquam ſex, & triginta annos, fundatam ab Apoſtolo Eccleſiam, atque ab ſe amplificatam, ſumma vigilantia rexiſſet, mortalitate depoſita, inter Divos receptus. Ejus corpus in eodem ſacello conditum, in Principem deinde Eccleſiam ſolemni pompa deportatum. In Aſpreni locum Patrobam Pauli diſcipulum quidam ſuffectum ſcripſerunt, quem Puteolanum Antiſtitem alii inauguratum fuiſſe tradiderunt. Ego in re tam vetuſta nihil certi definire auſim. Certum tamen eſt, altero poſt Aſpreni mortem anno, qui Titi Cæſaris primus fuit, Kal: Nov: Veſuvium immani incendio exarſiſſe.

Eſt autem Veſuvius celeberrimus Campaniæ mons, in cujus orientali latere inter Nolanum, Nucerinum, ac Neapolitanum agrum ſitus, mollique clivo in Occidentem deſcendens, non uno promontorio in Tyrrhenum irrumpit. Biceps veluti Parnaſſus aſſurgit; quique ad Meridiem ſpectat vertex Æthnam incendiis æmulatur, & quamquam ambitu minor, non minori tamen ira, ac ruina deſevit. Unus, qui Campanæ felicitati modum facit: & ne populi nimiis terræ deliciis, atque ubertate laſciviant, monitor à Deo poſitus, & vindex. diſtat Neapoli VIII. circiter millia paſſuum, ipſe ad duo, & viginti ambitu complectitur. Primi è planitie leniter aſſurgunt clivi, turgidiores inde qui ſuccedunt, omnes vineis paſſim,

ac fructiferis arboribus conveſtiti, generoſiſſima vina, & poma omnis generis ferunt, tanta verò illorum copia, & tam exquiſiti ſaporis, ac ſucci, ut nullis ubertoſæ cujuſvis, ac fęcundæ telluris cedant. Supremum Aquilonaris verticis jugum, quod Nolam ſpectat, altiuſque faſtigiatur, ſylvis und,ique obumbratur. Meridionale, quod & olim altiſſimum eminebat, & feraciſſimum æquè, ac pectitum, nunc ab incendiis vaſtatum, atque imminutum, arenis, egeſtâque tot conflagrationibus materia horridum ſqualet, ſcopulis aſperum riget, adituque difficile. Hoc autem montis jugum antiquiſſimis temporibus exarſiſſe, nonnulla in eo veſtigia erant, quibus apertò oſtendebatur. Nam Strabo diligentiſſimus Geographus, qui ſub Augusto vixit, & cinerem ibi, & ambuſta cavernarum ſaxa extitiſſe commemorat. Iſta vero, quæ in primum Titi annum incidit eruptio, adeo immanis, ac violenta fuit, ut non in proximam tantùm Campaniam, ſed longiſſima etiam in loca illius lues pervaſerit. dēſiſſimus ambuſti pulveris nimbus Romam primùm ingenti populorum horrore pervolavit, variante ſubinde vento, cujus impetu agebatur, Byzantium uſque, imo in Syriam, Ægyptumque, attonitis ad novam rem ubique populis, penetravit, tanta offuſa terris caligo, obducto per multos dies Sole, ut ultimum imminere fatum, inque vetus chaos cuncta reditura trepidi mortales putaverint. Liquida intus materia, quæ vi ignis ebulliens, atque ejuſdem impetu continuò egerebatur, bitumineo, ſulphureoque alveo per ſubiecta circum loca effuſa fertiliſſimos primum colles, uberrimos inde campos incredibili clade vaſtavit. Calamitatem maximè perpeſſi Herculanienſes, Pompeii, vicique omnes, qui frequentiſſimi ad montis radicem poſiti, quorum plures eo diluvio, ac ſuamet ruina conſepulti, in quibus mortales plurimi aut ſaxis oppreſſi, aut fumo, caligineque præfocati perierunt: plurimos etiam flamma abſumpſit. Publicam privata Plinii ruinam auxit, qui ad inveſtigandas incendii cauſſas Miſeni è portu, ubi Romanæ claſſi præſidebat, expedita biremi Pompejos profectus graveolenti ſulphuris nidore, caligineque oppreſſus occubuit. Magnus planè vir, & ſupra omnem memoriam ſingularis, dignuſq; ut diutius viveret, atq; honeſtiori fine, tumuloque honoraretur: quod facilè conſecutus fuiſſet, niſi plus curioſitati, quam prudentiæ tribuiſſet. Moderandus ſemper primus animi impetus; nec niſi conſilio in pericula irrumpendum; quæque ſecurò ſcire non poſſumus, prætermittenda. Haud tantæ calamitatis expers Neapolis fuit, nam & campi pervaſtati, incenſa arbuſta, atque aſſidua, violentâque montis jactatione excuſſa ædificia corruerunt, communemque cladem publica Gymnaſia multiplicarunt. Quæ ubi Romæ Titus accepit, tantis populorum miſeriis permotus, refici oppida, novas ad incolendum gentes induci,

repa-

Digitized by Google

repararique damna præcepit. Primi, qui liberaliſſimi Principis munificentiam experti, Neapolitani fuerunt, quibus Gymnaſia Cæſaris ſumptu magnificentius reſtituta, atque elegantiſſimis etiam ſignis ornata. Tanti beneficii teſtis antiquiſſimus adhuc lapis extat, quem grati animi ergo Cæſari Neapolitani poſuerunt. Imo ut tantæ calamitati opportunius ſubveniretur, ipſe ſequenti anno in Campaniam ſe contulit: ubi magna pecunia in egenos viritim diſtributa, ludiſque celebratis, & pauperiem eorum, quorum agros incendia vaſtaverunt, ſublevavit, & ex omnium animis præteriti mali mœrorem deterſit; dignus idcirco ut humani generis deliciæ appellaretur. Sed diu tanto frui Cæſare nec Roma, nec reliquus terrarum Orbis, qui tum Romano parebat Imperio, meruerunt. Eo è vivis non ſine veneni ſuſpicione ſublato, Domitianus frater Imperium ſuſcepit: vir ad omnem nequitiam factus, etſi initio Principatus probum ſe oſtendere ſtuduiſſet: indignus profectò, qui Veſpaſiani filius, Titique germanus haberetur. Sub hoc Cæſare nihil memorabile noſtra geſtum in Urbe invenio, nec qui poſt Patrobam Præſules fuerint, ſatis compertum eſt. Quamquam Diaconus in ſuis annalibus Epathimitum, Maronem, Probum, & Paulum Epiſcopos, neſcio quibus ductus argumentis commemoret.

Sub initium ſecundi ſeculi cum Domitiano occiſo, & Nerva Coccejo, qui proximus illi ſucceſſerat, vita perfuncto M. Ulpius Trajanus ab eodem Nerva adoptatus Imperium teneret, Neapoli D. Severinus Victorini Martyris germanus frater, Eccleſiam adminiſtrabat. De hoc Severino multa apud Scriptores controverſia; certum tamen, alium à Severino Septempedano, & à Severino Noricorum Apoſtolo, qui Neapolim, vix mortuus, eſt translatus: eique Eccleſia dedicata. Quod occaſionem pluribus dedit, ut Epiſcopum cum Abbate confunderent: quæque unius propria, adſcriberent alteri. Utrique dies feſtus IV. Id: Jan: celebratur.

Anno CXVII. Trajano apud Selinuntem in Cilicia, dum Romam contendit, aqua intercute ſublato, Ælius Adrianus nepos Imperium ſtatim adiit, Cæſarque ſalutatus. Plurima erga Neapolitanos hujuſce Cæſaris benevolentia fuit; nam magnificum Neapoli templum excitavit, nec Romanus Imperator cum eſſet, Tribunum à populo Neapolitano creari dedignatus, ut ait Ælius Spartianus. Quam paternam benevolentiam Antonius Pius æmulatus, plurima Neapoli ædificia excitavit. Sub eoque Principe, ut Pontanus author eſt, urbs prolato pomœrio amplificata. Augeri primum Neapolis incępit, cum pulſis Samnitibus addita ei Palępolis, atque ex duabus urbibus una major emerſit. Auguſtus utramque muro cinxit, atque ob id ab eodem amplificatam primò urbem quidam ſcripſerunt. Sub finem verò Adriani, ac principium Antonii filii iterum

rum amplior facta, quo tempore extenſo ulterius pomœrio, præter colles, qui ædificiis occupabantur, adjunctæ etiam valles; atque ita publicis viis complanatæ, ut vix mollis, ac ſenſim fallens earum declivitas, vallium veſtigia argueret.

Hoc Principe, Neapolitanam Eccleſiam Agrippinus regebat: qui à D. Aſpreno V. perhibetur, vir omnium virtutum laude ornatiſſimus, excolendique gregis ſtudio inſignis, qui poſtquam plurimos à gentium ſuperſtitione ad Chriſti Fidem adduxiſſet, plurimoſque ſuo exemplo ad pietatem incitaſſet, vivere deſiit in terris, in Cęlo cum Divis victurus. Miracula non pauca, & vivus, & poſt mortem edidit, obſeſſamque ab hoſtibus urbem ſæpius liberavit, atque ob id uti tutelare numen eſt habitus.

Agrippinum D. Euſtatius, mox D. Euphebius, ac ſubinde D. Marcianus ſunt ſecuti: cuncti, & virtutibus, & ſignis clari: verum quibus temporibus ſedem occupaverint, quæque illorum geſta fuerint, vel bellorum injuria, vel Scriptorum ejus ætatis incuria nobis minime compertum. Quædam tamen in eorum vitis narrantur, quæ hic repetere non eſt neceſſe. Quocirca properanti mihi ad ea, quæ tertio ſeculo evenerunt, inſignis D. Januarii triumphus occurrit. Et quamquam Neapoli, in qua uti libera civitate jus Romani Præſides non dicebant, celebratus non ſit; tamen quia hac in urbe quotidie veluti reviviſcit, & pluribus eam beneficiis complexus eſt, rem popularibus meis gratiſſimam facturum me puto, ſi illum hic paulo ſuſius enarrem.

Fuit D. Januarius Beneventi Præſul, ex eaque civitate ortum traxiſſe, Beneventani vel ex eo deducunt, quod priſcis temporibus ex indigenis creari Præſules conſueviſſent. Suum verò pluribus conjecturis eſſe Neapolitani contendunt. Quo tempore Diocletianus, & Maximianus acerbiſſimis odiis in Chriſtianos accenſi, eos ad internecionem perſequebantur, eòque crudelius, quod viderent fidelium ſanguine irrigari Eccleſiam, non obrui: & ex reciſis truncis novam ſemper, ac geminatam ſobolem pubeſcere; inter cæteros, quos Timotheus Campaniæ Præſes comprehenderat, Januarius fuit, vinctumque Nolam ad ſe trahi mandaverat. Hic virum ſanctiſſimum verbis primùm, mox minis aggreditur, atrociſſima queq; in eum ſe expediturum dictitans, ni Principum decretis obtemperans deos veneraretur. Tune unus, inquit, Domitoribus Orbis terrarum auſis obſiſtere? tu eos colere deos detrectabis, quos ab ſuis exordiis Roma adoravit, & quorum auſpiciis Mundi imperium adepta, dominaque gentium facta eſt? Tune cum paucis, eiſque infimę ſortis, ac perditiſſimis hominibus ſapies: univerſæ verò gentes cum Principe Roma, cum potentiſſimis Cæſaribus deſipient? agnoſce Numinum potentiam, Cæſarum juſſis obtempera, & con-

ſtitu-

ſtitutis jam aris Jovi thus adole: ſi renuis, non verbera, non eculeum, ignem, & beſtias expecta. Cui vir fortiſſimus: Non is equidem ipſe ſum, qui Romanis Principibus me auſim opponere, nec eorum juſſa contemnere, ſi ea exequi, ſalva religione poſſem: veſtros deos, qui non niſi inania ſimulacra, ac muti lapides ſunt, non impius tantum, ſed ſtolidus etiam eſſem, ſi venerarer; Unus enim Deus eſt Cęli, ac Terræ, rerumque univerſarum Creator: cujus providentia cuncta reguntur, nec quidquam eſt, quod ab illius nutu non pendeat. Ille bonorum omnium Largitor, ille Sator humani generis, quem adorare, colere univerſi mortales debent: quod ſi feceris æternum fęlix, ac beatus eris: ſi ſecus, perpetuo miſer, æternoque igni addiceris. Hic Præſes ira excanduit: & videamus, inquit, an me igni tuus iſte, quem veneraris, Deus queat addicere, an te ego damnare flammis illicò valeam; accendique eo loco fornacem jubet (in Pincis locus ille indigenis vocabatur) inque eam Januarium immitti; verùm ita Januarium adlambens flamma complexa eſt, ut blandiri verius, quàm lædere videretur, vique ignis contuſa, roris naturam æmulari. Id magicis cantionibus iniquiſſimus Judex attribuens, ſtatim virgis immaniter cædi jubet: inde ubi exaturata ex parte ira fuit, teterrimum in carcerem tradit, brevi crudelius excruciaturus, pararique idcirco nova, & exquiſita ſupplicia mandat, quibus vel domari conſtantia, vel confici tandem potuiſſet.

Sub hæc Feſtus, & Deſiderius Benevento Nolam ad viſendum Antiſtitem veniunt, quæque in eum durè, atque immaniter acta eſſent intelligentes, haud ſe continere quiverunt, quin de Præſidis crudelitate conquererentur. Id ſimul ac Timotheus accepit, trahi eos etiam in carcerem jubet, mox unà cum Januario torquendos. Deinde Puteolos ire ſtatuit, ut de his, qui ob Chriſtianam Religionem in ea urbe in vinculis habebantur, ſupplicium ſumeret. Erant hi Soſius Miſenas, Proculus Puteolanus, Butiches, & Acutius, quos Neapolitanos fuiſſe ſcriptum reperio. Sanctiſſimos igitur viros gravibus catenis vinctos ante rhedam, qua ipſe ferebatur, inter equos unà cum illis currum rapturos, locari juſſit: ut hac nova non tam triumphi, quàm immanitatis pompa, perditus homo Puteolos ingrederetur. Hic populo in amphitheatrum per pręconem evocato, immaniſſimos ludos exhibiturus conſedit, ſedereq; unà multitudinem juſſit. Inde quos Nola adduxerat, & qui Puteolis detinebantur, inferri in circum præcipit: ferociſſimoſq; Leones, atque ex longa fame avidiſſimos ſolvi, inque vinctos emitti, ſperans fore, ut eos è veſtigio diſcerperent, ac devorarent. At non quæ in tyranno feritas, eadem in beſtiis fuit, & quam ipſe innoxii ſanguinis continere ſitim nequiverat, famelicæ quantumvis feræ com-

commodè potuerunt. Etenim uti in Pincis innoxia Januarium flamma contigerat, ita & Puteolano in circo innocentes feræ pedes linxerunt. Hic Timotheus ira fremere, rabie agitari, ſtridere dentibus, ac furere, dilaniaturus ipſe ſanctos viros, ſi potuiſſet, qui cæteroqui vel ab ipſis Leonibus diſcere humanitatem, etſi ferreus, valuiſſet. Sed nihil immanius, atque efferatius homine, cùm ſuimet impotens rationem exuit, nec irato tyranno ulla unquam crudelior fera inventa eſt. Increpatis igitur beſtiis, atque in ſtabulum incluſis, animadvertere in eos lictorem jubet. At vix capitis ſententiam pronunciavit, cum captus repentè luminibus fuit; utqui innocentiam, quam vel Leones venerati agnoverant, non vidiſſet, tenebris damnaretur. Tum Januarius manſuetudinis memor, ac proprium Chriſtianorum eſſe beneficia in hoſtes conferre, Deum precatus, ut miſero lumen reſtitueret, quo ſi non ille, reliqui Ethnicorum, qui ſpectaculo aſtabant, illuſtrati, Veram Religionem amplecterentur. Audivit Deus Januarii preces, ſtatimque Timotheo lucem reſtituit. Quo miraculo adeo manifeſto V. hominum millia, inanium deorum ſuperſtitione ejurata, Chriſto ſuum nomen è veſtigio dederunt. Verùm immaniſſimus Præſes tanto beneficio nihil pacatior factus; ſed converſione tantæ multitudinis in rabiem actus, verituſque Principum decreta, lege agere lictorem juſſit. Plus apud hominem indignatio Principum, quam Dei valuit: plus futuri ab illis timor mali, quàm præſens beneficium. Nempe ubi efferatum animum pertinacia roboravit, nihil omnino eſt, quod ad frugem reducat. Deducti igitur in collem, qui proximus urbi, non procul à Vulcani foro imminebat, eoque in loco capite plexi ſunt.

Eo articulo mulier quædam, cujus nomen, etſi annalibus ſcriptum non ſit, dignum certè, ut in faſtos Divorum inſeratur, cum duabus phialis accurrit Sanctos veneratura; cumque videret ex deſecti Præſulis collo ſacrum cruorem ubertim effluere, eo unam phialam implevit; in alteram reliquum è terra hauſtum unà cum ſiccis herbulis immiſit, tantoque theſauro dives, læta domum, atq; hilaris redivit, in patriam inde delatura; nam eam Neapolitanam extitiſſe quidam tradiderunt. Verum quæcumque, atque undecumque illa fuit, non ſolum noſtræ Neapolis, ſed totius Chriſtiani Orbis benemerentiſſima habenda eſt, cujus pio ſtudio pretioſiſſimum ſanguinem perpetuò reviviſcentem habemus. Invictiſſimo enim Athletæ ſingulare illud Deus conceſſit, quod uti mirum, ac rarum, ita maximum eximiæ virtutis, ac meriti argumentum eſt; quotieſcumque Januarii caput in conſpectu ſanguinis collocatur, hic mirum in modum ſtatim lenteſcere, liquefieri, ac fluere incipit, non aliter, ac ſi recens effuſus eſſet: remoto ſubinde capite, novo tùm miraculo dureſcit. Illud autem obſervatum eſt quoties

ties publica urbi, regnove calamitas imminet, tum vel nunquam molleſcere, vel ſerò, vel liquidum reperiri, ac pro magnitudine futuri mali oſtentum variari. Accidere id pariter notatum, cum vel nefarii homines, vel heterodoxi ſacris adſtant, qui, profanum certè vulgus, ſi ab Eccleſia faceſſant, ſtatim liqueſcit. Quocirca nihil ad pietatem excitandam, promovendam religionem, ac Fidem Catholicam roborandam, eo miraculo efficacius. Quo plures convicti, vitia deteſtati, virtutemque amplexi ſunt; erroreſque alii ejurarunt, atque ad Eccleſiam, à qua deſciverant, converſi redierunt.

Occiſorum corpora pii homines clam ſuſtulerunt: Miſenates Soſium popularem ſuum, Proculum Puteolani unà cum Eutiche, & Acutio: Feſtum, ac Deſiderium Beneventani, Januarium Neapolitanus quidam Marcianum, qui locus non longe à Vulcani Foro erat, fertur tranſportaſſe: qui ab eodem Divo admonitus creditur, ut dentem ictu capitis excuſſum eodem loco quæreret, atq; unà cum reliquo corpore recondere t:nimirum ne tãti theſauri ea gemma deſideraretur. Tum verò eidem D. Januarium dixiſſe perhibent, ſe memorem tanti beneficii futurum, tutelamque Neapolitanorum ſuſcepturum. Quod ita præſtitit, ut illi ſuam incolumitatem Neapolis debeat, quæ meritò magis de D. Januarii reliquiis, quam de cæteris ſuis dotibus gloriatur.

Eo colle, qui Leucogæi pars eſt (Olibanum appellant) atque eo in loco, ubi Januarius abſciſſo capite de gentium ſuperſtitione triumphavit, Neapolitani tot beneficiis obſtricti ædem extruxerunt, cui cœnobium Franciſcanorum, quibus à cuculla ſpeciale nomen, adjunxerunt, ne tam ſanctus, ac fortunatus locus pio cultu vacaret. Qua tandem æde, eoque ipſo in loco, in quo Divi caput abſciſſum, aram ex marmore Cardinalis Cantelmus Archiepiſcopus Neapolitanus erexit; ſacrumque quotidie fieri curavit. Cujus tanta in D. Januarium pietas, atque obſervantia fuit, ut illius cultum amplificare, novoſque honores quærere, omnibus nervis ſemper contenderit;dignus propterea,ut ab eodem Divo maturius in Cælum acceſſeretur. cujus tamen funus adeo acerbum Neapoli accidit, ut univerſorum lacrymis defletum ſit; & ſanè neſcio an alter fuerit, cui tanto mœrore, publicoque luctu parentatum. Imo & D. ipſe, ut quantum in eo Neapolis amiſiſſet, conſueto prodigio teſtaretur, concretum toto die ſanguinem in conſpectu capitis, mæſta ad oſtentum civitate, continuit.

Eſt in eadem Ede marmor, in quo ſacri Præſulis cervix reciſa, ſanguineis etiam guttis aſperſum. Viſitur & marmoreum ſignum: de quo mirum illud commemorant, pallore ſcilicet, ac liventibus notis infici; quoties mala urbi, regnove impendent: notatumq; anno MDCLVII., quo multa hominum millia immani peſte ſublata, & ſignum lividum viſum fuiſſe, & fatale tuber prætuliſſe.

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ

LIBER SECUNDUS.

VEhementiſſima ea procella, qua Chriſtianam Religionem funditus eradicare immaniſſimi Cæſares Diocletianus, & Maximianus, ſe poſſe putaverant, divino excuſſa digito, ac penitus diſſipata, tanta ſub Coſtantino orta ex inſperato lux eſt, ac ſerenitas, ut quando extinctum, ac profligatum Chriſtianum nomen ducebatur, tum maximè univerſus Terrarum Orbis unà cum mitiſſimo Principe Chriſtum palam profeſſus ſit: dejectiſque inanium deorum ſimulacris, eorumque fanis exciſis, uni Deo Templa excitaverit, aras poſuerit, Chriſtianoque ritu ſacra fecerit, & quod in Romani Imperii fundatione tot ante ſecula Divina Providentia deſtinaverat, tum tandem conſecuta; nimirum, ut nata primum Eccleſia, inter tot ſæviſſimos perſecutionum turbines firmius adoleſceret; & ut non humanum, ſed divinum opus eam eſſe, cui potentiſſimorum hominum conatus obſiſtere neutiquam valuiſſent, manifeſtò oſtenderetur; deinde uti uno ſub capite, totus ad eam Orbis conflueret: nec eam tenere religionem gentes univerſæ dedignarentur, quam Romanum Imperium, ejurata ſuperſtitione, profiteri non erubeſceret. Cæſo igitur cum omnibus copiis Maxentio, belloque difficili, non Dioſcuris opitulantibus, ut vetuſtas falsò ſub

Au-

Digitized by Google

Auguſto crediderat, ſed triumphali Chriſti Servatoris ſigno, quod in ære multa luce nitidum cum his literis IN HOC VINCES Conſtantinus aſpexerat, profligato, victor ex tot, tantiſque hoſtibus Cæſar legem ſanxit, ut ubique terrarum Eccleſiæ ædificarentur, divinoque cultu Chriſtus adoraretur, eumque Deum confiteri cunctis liceret. Imo hortari univerſos, ut damnatis Patrum erroribus, veram Religionem amplecterentur. Primi, qui tanti Principis pietatem, ac munificentiam experirentur, Neapolitani fuerunt, in quorum urbem cum veniſſet, Orientem petiturus, magnificam Eccleſiam extruxit, in qua D. Reſtitutæ corpus ab Ænaria inſula aſportatum ſolemni pompa collocavit. Ex ea deinde nomen Eccleſia obtinuit. Hæc autem Virgo à D. Cypriano Carthaginienſi Antiſtite in Chriſtiana Religione inſtituta, ob eandem cum adduci non potuiſſet, ut gentium deos veneraretur, vario, crudeliſſimoque tormentorum genere torta, tandem in navicula pice, reſina, ſtramentoque plena ſemiviva imponitur, ut in aquis vitam incendio finiret. At igne excitato, in eos flamma vehementiſſimo impetu pervolavit, qui incendii authores fuerunt. Virgo dum preces piè fundit, victrix de tyranno, perque ignem, & aquam illæſa in Cœlum emigravit. Navicula unà cum Virginis corpore ad Ænariam inſulam incolumis divinitus eſt delata; ibi Lucina matrona in ſomnis admonita in litus progreditur, ſacram onerariam excipit, honeſtoque in loco lipſana reponit, ibique Eccleſiam ſuo ære extructam Virgini dedicavit: in qua tandiu manſit, quoad Neapolim translatum diviniſſimum pignus fuit. Ædes, quam Conſtantinus Neapoli excitavit, & Sylveſter Pontifex inauguravit, Princeps in urbe conſtituta. Cui Coſmas ab eodem Sylveſtro (Zoſimum alii vocant) Præſul præpoſitus, additique Canonici XIV., qui Antiſtiti ſacra facienti aſſiſterent, ſacrorumque rituum curam haberent; hi majorem in numerum ſecutis temporibus excreverunt.

Quidam Scriptores ſunt, qui memoriæ tradiderunt, Conſtantinum cum Italiam, ut ferunt, Romano Pontifici habendam conceſſit, unam ſibi Neapolim recepiſſe, uſurum ea, dum ex Oriente in Occidentem, atque ex hoc iterum in illum trajiceret: Ducemq; qui Athenienſi more à populo creabatur, ab ſuo nutu pendere, ac juſſa accipere voluiſſe. Ego uti vetuſtiſſima hæc pro certis non refero; ita rejicere non auſim. Neque enim is ipſe ſum, qui omnem prorſus traditionibus fidem abrogare velim, & ea funditus convellere, quæ à priſcis temporibus accepta per tot generationes pervolarunt. Neque in hac ſolum ætate cordati, emunctæque naris ſunt homines, qui nimis ſcrupuloſè vetera rimentur: cumque ſibi ſoli ſapere videntur, temeritatis notam effugere vix queunt. Dandum aliquid vetuſtati; nec ſtolidos fuiſſe olim homines putandum,

dum, ut ſibi imponi ultrò amaverint, atque aniles fabulas pro veris hiſtoriis accipere. Si autem errandum, unà cum ipſa multitudine errandum eſt. Sex præterea, ut eò redeam, unde diverti, Conſtantinum templa Neapoli ædificaſſe, prædiiſque multis, ut in urbe Principe fecerat, donaſſe, iidem tradunt. Ex his verò Virgini Matri duo, Divis Petro, & Paulo unum, reliqua Andreæ, Januario, ac Georgio dedicaſſe. Dum autem Byzantio Romam ad cohibendas barbarorum incurſiones reverteretur, ingenti tempeſtate jactatum, Templum D. Joanni Baptiſtæ; filiam verò Conſtantiam aram D. Luciæ, ſi ex ea ſalvi evaſiſſent, voviſſe: ubi incolumes Neapolim appulerunt, illicò ſe religione exſolviſſe; Fanumque ab Adriano extructum ſacro ritu expiatum D. Joanni nuncupaſſe: eodemque in templo aram D. Luciæ Conſtantiæ ſumptu poſitam, ſolemni pompa dedicatam fuiſſe. Exceptum Neapoli Cæſarem magno apparatu, perque Portam Ventoſam, quæ juxtà portum non procul ab Adriani fano erat, ingreſſum, eumque univerſum populum duobus vexillis, uno ex Phrygio textili, auroque ductili variato, altero ex opere villoſo purpureo, qui gentilitios urbis colores referebant, circum fuſum ſociaſſe, quibus coloribus, ut inpoſterum, ob facti memoriam, perpetuo uterentur, Conſtantinum voluiſſe. Eam Eccleſiam D. Joanni ipſum Sylveſtrum Pontificem Max: inauguraſſe, Miniſtroſque hebdomadarios inſtituiſſe, doniſque plurimis Cæſarem auxiſſe, iidem perhibent.

Nec minor matris Helenæ pietas in Divos, ac benevolentia in Neapolitanos fuit. Cum Neapoli Jeroſolymam navigaret, eam Eccleſiam, quam primam Virgini Aſprenus dedicaverat, magnificè inſtauravit, muſivoque opere, ac picturis elegantiſſimis exornavit, inter quas inſigniores D. Reſtitutæ, & Januarii fuerunt, plurimaque deinde alia cum Conſtantino rediens pietatis, ac munificentiæ monumenta excitavit. Neapolitani beneficiorum memores Conſtantino Pio, ac Felici monimentum ex marmore poſuerunt, in quo etiam matris Helenæ nomen inſcripſerunt.

Conſtantio, Conſtante, & Conſtantino II. Cæſaribus Coſma è vivis ſublato, Neapolitanam Eccleſiam Fortunatus adminiſtrandam ſuſcepit, quem Joannes Diaconus ſanctiſſimis inſtitutum moribus fuiſſe, plurimumque Chriſtianam Religionem illuſtraſſe, eumque inter Divos relatum memoriæ mandavit. Sepultus extra urbem non longè à pomerio, eique ædes dedicata.

Anno CCCXLVII., quo Sardicenſe Concilium eſt habitum, Neapoli Calepodius, Fortunato extincto, jam Præſulatum inivérat. Hunc à Julio I. Pont: Max: unà cum Oſio, ac Vincentio Capuano Legatum ad Concilium miſſum quidam ſcripſerunt, alii Athanaſii authoritate Archidamum, & Polixenum Legatos fuiſſe

me-

memoriæ tradiderunt: utcumque fuerit pro certo eſt Calepodium Neapolitanum Epiſcopum eidem Conventui interfuiſſe. Huic verò anno CCCLIX., quo Gratianus Valentiniani filius XIV. Kal. Majas natus eſt, Maximus ſucceſſit, vir qualem ea tempora deſiderabant, quibus Conſtantio Arianorum partibus favente, atrociſſima in Eccleſia procella eſt excitata, & eo formidabilior, quod non ab hoſtibus, ſed à domeſticis accendebatur: nam uti civili bello nullum perniciofius, ita domeſtico diſſidio; nulla vehementior tempeſtas bacchatur. Quo quidem turbine tota penè Eccleſiæ moles commota, ac penitus convulſa, caſura citrà dubium, niſi in eo lapide innixa fuiſſet, quo totius Orbis fundamenta fulciuntur. Primus, qui incredibili fortitudine auſus ſe Arianis opponere, gregemque ſuæ fidei commiſſum tueri, is Maximus fuit, qui & exhortando, admonendoque populorum animos in fide confirmabat, & arguendo, diſputandoque Arianorum errores confutabat, à quibus authoritate Cæſaris in exilium actus, pro Catholica Veritate fortiſſimè decertare non deſtitit: tandem ærumnis, ac laboribus confectus, victor de Arianorum perfidia in Cœlum evolavit: atque inter Divos eſt relatus. Corpus in Patriam translatum in Templo D. Euphebio dedicato ſolemni pompa tumulatum. In Maximi locum Severus è nobiliſſima Carmignanorum familia Pontifex cooptatus. Vix Pontificatum iniit, cum Maximi virtutes æmulatus ſe hoſtibus oppoſuit, gregemque ſuum ſumma fortitudine, vigilantiaque à luporum incurſu defendere conatus eſt, doctus nihil magis Arianos pertimeſcere, quam Paſtorum vigilantiam, fortitudinemque, eiſque validis veluti jaculis intimè peti. Ut vero ad rem tantam perficiendam Superorum ſibi auxilium promereretur, ædem D. Januario extra mœnia futuram urbi propugnaculum excitavit; pro conditione tamen eorum temporum, quibus in cryptis, ac ſubterraneis locis ſacra facere conſueverunt. Excavato igitur colle ædem dedicavit, ubi deinde amplior, atque elegantior inſtructa; eæ vero cryptæ diu latuere, ſepultis ibi, quos peſtilentia ſuſtulerat. Viſuntur adhuc altaria, & ſedes pontificalis appicta, inque ea D. Severus, aliæque circum Divorum imagines, & ſignum Magni Conſtantini; ſuperiori ævo additæ templo ædes, in quibus pauperes ære publico ſuſtentantur, & nuper Cardinalis Cantelmus Archiepiſcopus aram ex marmore in crypta erexit, & tutelarium Divorum ſignis ornavit, utque ibi ſacrum Chriſtiano ritu ageretur, conſtituit. In hanc ædem D. Januarii corpus ex Marciano translatum, authoremque hujus ſecundæ translationis eundem Severum perhibent. Qui unà cum Clero, & populo Neapolitano Marcianum proceſſit, tumuloque effoſſo, incorruptum Divi corpus, ſuavique odore fragrans invenit: quocirca

ma-

magna cuncti admiratione perculſi in genua acciderunt, Divumq; adoraverunt, inde ſolemni ſupplicatione Neapolim tranſtulerunt, inque æde modò dicta locaverunt. Id cum Antiniana in Villa hi cognoviſſent, apud quos ſacri cruoris phialæ ſervabantur, gratam ſe communi parenti, & civibus ſuis rem facturos rati, ſi divinum ſanguinem eum in locum inferrent, ubi D.corpus nova pompa repoſitum fuerat. Id ſimul ac Severus intellexit, accepto D. capite cum eodem Clero, ac Populo publica Antinianum ſupplicatione perrexit. Antinianenſes unà cum phialis non diſpari pietate obviam progreſſi; ut propiores mox facti, inque ſacri capitis conſpectum phialæ inciderunt, mirum oppidò, & præter omnem expectationem, quod accidit, cunctorumque animos ſtupore perfudit. Sanguis, qui ad id tempus inſtar criſtalli concretus duraverat, ſtatim molleſcere, diſſolvi, ac liquefieri cœpit, ac ſi calidis tum primùm è venis emicuiſſet: exilire lætitia crederes, quod ei capiti jungeretur, à quo pro Chriſto tot ante annos effluxerat, teſtarique miraculo, ejus ſe partem eſſe, quod longo poſt tempore reviſeret. Severus novitate attonitus experiri voluit, an re vera Divi is cruor eſſet, ideoque amoveri caput, imperavit: vix receſſerat, cum illicò ſanguis ſtetit, rurſuſque concretus eſt: cumque iterum caput admoveretur, rurſus lenteſcere, ac fluere ſubinde occępit. Satis tum eo miraculo perſuaſi illum Januarii cuorem eſſe, phialas acceperunt, ingentique lætitia, ac pompa Neapolim deduxerunt. Eo loci, ubi capiti ſanguis occurrens eſt liquatus, Neapolitani in rei tam miræ, divinæque memoriam ædem D. Januario extruxerunt. In ea quotannis tertio à Paſchate Dominico die, qui eo anno, quo translatio habita, ac inſigne miraculum editum eſt, ſub Maii Kal: incidit, magna vicinarum gentium frequentia ſolemnitas celebratur. Quia verò plurimi ex Clero, qui unà cum Præſule ad pompam proceſſerant, præ rei tam miræ lætitia geſtientes, ſibi ſerta ex floribus veteri more impoſuere; idcirco in conſuetudinem tranſiit, ut Sabbato, qui primum Maii Dominicum diem præcedit, publicæ ſupplicationes habeantur, in quibus Sacerdotes Cruces ſertis redimitas præferunt, compoſitoſque ex floribus faſciculos geſtant, atq; ob id ad hæc uſque tempora, quibus vetus mos ille coronandi deſiit, ſolemnitas iſta à coronatis Presbyteris nomen obtinet. Ea vero feſtivitas in ſingulorum Sedilium æde, in quæ ordines conveniunt, diu celebrata. Anno MDXXVIII. in ipſiſmet Sedilibus magno apparatu celebrari cępta. Initium à plebe factum Sellaria in via, quæ ad D. Auguſtini ducit, in quem cogi locum plebs conſuevit, ſecundo anno ad Montanum, tertio ad Capuanum, quarto ad Nilenſe, quinto ad Portuenſe, ſexto ad Portęnovanum Sedile, magna ubique pompa, & apparatu, certantibus invicem ordinibus, celebratur.

Quo

Quo autem ritu, atque ordine tanta feſtivitas peragatur, hic referre operæ pretium duco; hinc enim exteræ gentes, & pietatem urbis, & ſplendorem noſcere commodè poterunt. Eo in Sedili, cui eo anno celebranda feſtivitas obvenit, quàm magnificum theatrum extruitur, in cujus ſinu ara collocatur, quæ mox tot argenteis candelabris oneratur, tot vaſis, è quibus argentei rami, imo & arbores eriguntur mira arte, atque opere elaboratæ, exornantur, ut argenteam ſylvam diceres: cujus ſingulæ partes pulchro ordine in quincuncem digeſtæ miram viſentibus ſcenam exhibent. Tanta ea divitiarum eſt copia, ut vix alibi ſimile quid invenias. Univerſa Sedilis vicinia holoſericis textilibus integitur, paſſimque floribus viæ ſternuntur. Manè ejus Sabbati, quod feſtivitatem præcurrit, ex Theſauro Principis Eccleſiæ Divi Caput educitur, amplaque ſub umbella ex tela textili holoſerica, auroque ductili Phrygia acu variata in adornatum Sedile publica ſupplicatione deducitur: ſacrum pignus quatuor in humeris Sacerdotes geſtant, qui honor non niſi honeſtioribus impertitur. Octo quæ ubellam ſuſtinent haſtilia, totidem ex eodem Sedili primores ferunt. Ad Sedile ut eſt perventum, Caput in ara collocatur; mox ſacrum in ea fit, magna populi multitudine aſtante. A prandio ab eadem Principe Eccleſia ſolemnis ſupplicatio procedit, in qua omnium fermè Religioſorum Ordinum cultores bini incedunt, & modeſtiam præ ſe, & religionem ferentes, moderniores præeunt, reliqui pro temporum ordine ſubſequuntur. Univerſus proximè Clerus juxta Paræciarum dignitatem ſuccedit, univerſique vel ſuarum familiarum inſignia, vel cruces cum accenſis funalibus geſtant: ſacrum inde, ac ſplendidum agmen, quo nihil religioſius, magnificentiuſq; videre eſt. Divorum omnium Tutelarium ſimulacra ex argento affabre laborata, atque immenſo unionum, gemmarumque cumulo onerata verius, quam ornata ordinatim incedunt. Divorum ſigna quaterni, ſenive humeris gerunt, plurimique accenſis cereis circumfuſi comitantur. Proximi poſt ſigna Canonici inſequuntur, quorum duo in extremo agmine elegantiſſima ſub umbella ſacri Cruoris phialas argenteo in tabernaculo poſitas humeris portant. Præſul Pontificali habitu indutus, unà cum Principe, aut Prætore agmen claudunt: illos Provinciales Antiſtites, atque Optimates accenſis cereis circumplectuntur, retro innumera plebs divinas laudes occinens ſubſequitur. Poſteaquam cuncta urbis Sedilia, ac præcipuæ viæ perluſtratæ, inque illud ventum, ubi eo anno ſollemnitas celebratur, divinus Cruor in ara è regione capitis locatur, ſtatimque inter ſupplicantium preces liqueſcit, quod ni fiat, ominoſum, ut diximus, habetur. Plurimaque noſtris annalibus conſignata ſunt exempla, quibus non liquato pro more ſanguine futuræ

cala-

calamitates prænunciatæ, quorum aliquot propiora noſtræ ætati referre non erit abs re. Anno MDLVIII., quo Turcica claſſis in Italiam navigans, aliquot Calabriæ loca depopulata, inque noſtræ Urbis conſpectum progreſſa Surrentum nobilem urbem, & Maſſæ vicos, incolis in captivitatem abductis,diripuit. Anno MDCXXIX., quo ingens annonæ caritas univerſum regnum afflixit.MDCXXXI., quo immani Veſuvius incendio exarſit. MDCLVI., quo atrox peſtilentia multos mortalium perdidit, & hoc MDCCII., quo hæc ſcribimus, cujus præſagium initio inſequentis attoniti vidimus: cum immani terræ motu Aquila nobiliſſima Veſtinorum urbs,aliaq; innumera oppida magna mortalium cæde è fundamentis everſa: quibus temporibus ſacrum Januarii ſanguinem in conſpectu capitis minimè liquiſſe, memoriæ proditum eſt. Primus, qui Tutelarium Divorum ſigna ex auro finxit, Carolus II. Andegavenſis perhibetur, hic tanto in honore D. Januarium habuit, tanta pietate coluit, ut ſacrum caput argento tegi, atque inaurari; vultum verò ſolido ex auro, eique ſimilem cudi, qui ex marmore Puteolis viſitur, regia munificentia mandaverit: alia inde, atque alia addita, & magnificentius, & elegantius elaborata, prout cultiora primis tempora ſucceſſerunt, numerantur ad id temporis XXXII.

Verum ut ad hiſtoriæ inſtitutum revertar, poſt translatum Neapolim D. Januarii corpus, Patritia Virgo Conſtantini Magni neptis, Conſtantis filia, Conſtantinopoli fugiens ad hæc litora appulit, novum noſtræ urbi decus, nova miracula allatura. Hæc ab Aglaja nutrice ſanctè educata, atque optimis moribus imbuta, Avorum pietatem, religionemque æmulata, virginitatis florem Deo vovit. Cum verò intelligeret, fore, ut à Patruo Conſtantio deſponderetur, conducta clam navi, multum ſecum auri, gemmarumque ferens, unà cum Aglaja nutrice, quinque Pediſſequis, ac duobus Eunuchis fugam noctu cepit, proſperoque curſu, ineunte vere anni CCCLXI. Neapolim tenuit. Hic dies aliquot immorata præcipuas urbis Eccleſias ſupplex adivit, eaque in urbe ſibi futurum ſepulchrum divino afflatu præſenſit. Etenim cum in æde DD. Nicandri, & Marciani diu oraſſet, ejus cœnobii præpoſitum, reliquoſque Monachos acciri juſſit; convenientibus largam ſtipem erogavit: inque ea deinde Eccleſia ſe tumulandam prædixit, in pariete ejuſdem ædis primas ſui nominis literas ſignavit; tandem ab ea digreſſa Romam navigavit. Hic Pontificem Max: adit, ſuæque peregrinationis cauſſas edocet, ſacrumque velum petit. Pontifex, laudato Patriciæ conſilio, velum impertit, & inter ſacras Virgines aſcribit. Dum poſtea ad Apoſtolorum Petri, & Pauli ſepulchrum preces fundit, in mentis exceſſum rapta, vocem è Cœlo audit, Conſtantium è vivis exceſſiſſe. Divino eo Nuncio admonita, Conſtan-

tino-

tinopolim revertitur: ibi eam pecuniam, quæ ſibi tum paterna, tum materna hæreditate obvenerat, ſolicitò cogit, coactam partim in pauperes diſtribuit, partim ad pios uſus retinet. Mox Helenam abaviam ſuam imitata Jeroſolymam ad ſacra loca perluſtranda ire pergit. At vi tempeſtatis ad Brutiorum litora depulſa eſt. Ex quibus ſedato mox mari, Neapolim proſpero vento remeavit; inque Lucullanam Inſulam deſcendit. Vix terras tenuit, cum acutiſſima febri tentari cępit, cumque vis morbi ingraveſceret, ſupremum ſibi diem inſtare cognovit: ideoque expiari animo, ſacriſque muniri ſtatim voluit. Inde nutricem ſuam, viæque comites ad virtutem, rerumque humanarum contemptum adhortata, in Cœlum evolavit VII. Kal: Septembris an: CCCLXV. ſub Liberio Ponti: & Juliano Cæſare. Dum autem Aglaja demortuæ Virginis corpus contemplatur, tenuiſſimo ſopore corripitur; videtque in exceſſu mentis ſupernorum Civium cœtum: quorum unus: Perge, inquit, Aglaja, urbiſque Prætorem adi, eumque de Virginis vita, obituque admone: currum, quem tauri nondum paſſi jugum trahant, ab eodem petito: inque eo Virginis corpus deponito: ibiq; ſepelito, ubi tauri ſua ſponte conſtiterint; eoque in loco, tu, & quatuor Virgines pediſſequæ, cum tribus ſpadonibus, quod reliquum eſt vitæ, ſanctè ducetis. Reliqui Comites Conſtantinopolim revertantur, quæque geſta de Virgine ſunt, referant. Id ſtatim Aglaja, quaſi è ſomno excuſſa, eſt executa. Impoſitum in curru Patriciæ corpus illico tauri prius indomiti tanta manſuetudine trahere occęperunt, quantam vix à bobus longo uſu domitis ſperare potuiſſes. Sequebantur Antiſtes, & Dux, omniſque populus ad rei novitatem accitus. Cum ad ædem DD. Nicandri, & Marciani pervenerunt, ſua ſponte conſtiterunt. Accurrunt ſtatim cum ſuo Præpoſito cœnobitæ, cognitoque quod geſtum fuerat, illico in memoriam Virginis prædictionem revocarunt: fore nimirum, ut eo in loco tumularetur: literæque in pariete ſcriptæ adhuc cernebantur. Ea igitur in æde Chriſtiano ritu, inſignique tumulo conditum eſt corpus. Monachi ad D.Sebaſtiani ædem, quam Magnus Conſtantinus poſuiſſe ferebatur, commigrarunt: in eo loco Aglaja cum Virginibus manſit: aliiſque inde confluentibus nobile ſacrarum Virginum cœnobium evaſit, nomenque à D. Patricia accepit. In æde plurima Divorum lipſana, quæ Virgo ſecum Conſtantinopoli advexerat, honeſtè collocata: inter quæ principem locum tenet pars clavi unius ex iis, quibus humani generis aſſertor Cruci affixus eſt.

At non omittam, quod referre plurimum ad noſtræ Urbis laudem conducit: quaſi ejus fidei, pietatique datum, ut ubi nulli Chriſtiani ob Fidem paſſi, perpetuò martyres in ſanguine revivi-

ſcant. Romanus quidam, quem peſſimus genius invaſerat, miriſque continenter modis vexabat,ad Virginis ſepulchrum deportatus, repentè eo liberatus eſt. Hic cum grati animi ergo ſæpius ad tumulum, benemerentiſſimam ſui Virginem veneraturus, ventitaret, in eam cogitationem incidit, optimum ſcilicet remedium futurum ad cacodæmonem expellendum, ſi ſacri corporis particulam apud ſe haberet: deditaque ſemel occaſione, dentem convellit, quo avulſo illico ſanguis emicuit, ac ſi è vivis nondum Virgo exceſſiſſet, quæ tamen centum ante annos diem obiverat: quo oſtento, tanto ſtatim ille timore perculſus, ut nihil propius factum, quam ut moreretur. Id Virgines animadvertentes Sacerdotes acerſunt, ut rem explorarent. Accurrunt illi, & à Romano, qui ſumpto ſpiritu jam in ſe rediverat, miraculum diſcunt: corpus viſunt, effluentemqne Cruorem inſpiciunt, quem duobus confeſtim phialis accipiunt: earum unam Romano tradunt, alteram una cum dente, in ea Eccleſia ſumma religione reponunt. At illud inde obſervatum, quod mirum oppido, & Divi Januarii miraculo proximum, concretum nimirum ſanguinem liqueſcere, quoties evulſum juxta dentem collocatur: ſubmotum iterum dureſcere.

Jam verò, ut ad hiſtoriæ filum redeam, anno CCCLXXXI. ſub Theodoſio,& Valentiniano,quo tẽpore Quartus numero anonymus Dux Neapolim regebat, D. Severus poſtquam XX. circiter annos Eccleſiam contra Arianos invicta fortitudine defendiſſet, ſanctè, uti vixerat, diem obivit. Ejus ſanctimoniæ illud vel inprimis non exiguum argumentum, quod mortuum è ſepulchro, ut viduam uxorem à falſi creditoris calumnia vindicaret, evocaverit. Sepultus in ſpelunca juxta urbem; quam ipſe diu habitaverat, ex qua anno MCCCX. intra mœnia translatus. In hujus ſancti Pont: locum, Urſum Nepotem, ac diſcipulum populus cooptavit. Qui patrui veſtigiis inſiſtens commiſſum ſibi gregem paſtorali ſolicitudine gubernavit, patruum ob multitudinem prodigiorum inſignem Divorum faſtis aſcripſit, atque inter tutelares adnumeravit.

Hactenus res in Italia, cujus ſortem ſecuta eſt Neapolis, ſi non pacatiſſimæ, certè pacatiores fuerunt, quam ſub priſcis Imperatoribus: quibus regnantibus, tot civilibus bellis vaſtata; ut plus à ſuis perpeſſa, quam ab hoſtibus fuerit, ejuſque ea fortuna fuit, ut quemadmodum omnium gentium imperium affectavit, & conſecuta quidem fuiſſet, niſi in ſe ipſam civili diſcordia deſæviſſet; ita in ſe omnium gentium arma concitaverit. Tantæ præterea ejus opes, tanta terræ ubertas, atque amœnitas eſt; ut penitiſſimos etiam barbaros illexerit: qui, cum eos barbari, ſqualidique ſol pœniteret, nativos facilè lares deſerebant. At quam diu publica res fuit, Romæ Imperium, vires, ac concordia ſtetit, non repreſſæ

tan-

tantum barbaræ gentes, ſed victæ, ac penitus profligatæ fuerunt; maloque ſuo didicerunt, invictam eſſe Italiam, ſi illius opes, ac vires uno ſub Capite coaleſcant. Sic qui primi irruperunt Galli, magnamque ejus partem, quæ inter Alpes & Padum jacet, occupaverant, tandem ſubacti, inque Romana juga conceſſerunt. Immenſæ Cimbrorum copiæ ipſis in Alpibus priuſquam deſcenderent, magna internecione deletæ: in Gallia profligati Teutones: magnis Sicambri cladibus attriti: aliæque gentes, quæ torrentium inſtar inundantes, obruere ſe poſſe Italiam arbitrabantur, in ipſo conatu præoccupatæ, atque extinctæ. Sed poſtquam fato rerum humanarum, quæ nunquam ſtabiles eſſe poſſunt; ac magnorum Imperiorum ſorte, quæ ubi ad ſummum magnitudinis faſtigium aſcenderunt, relabi incipiunt; atque interdum iiſdem viribus, quibus coaluere, diſſolvuntur, Conſtantinus Imperii ſedem in Orientem transportavit, infirmatæ Occidentis vires, nudata Italia, atque Orientalium populorum luxu ab antiqua fortitudine degeneratum. Hinc data Barbaris via, occupatæ Provinciæ, direpta Italia, exciſa toties Roma, ac diſſolutum tandem Imperium eſt. Quocirca non defuere, qui Conſtantinum damnavere, eumque non conditorem novæ, ſed priſcæ everſorem Romæ appellavere. Ego tantum virum, tantumque de Eccleſia benemeritum, & cui plurimum noſtra Neapolis debet, vituperare non auſim; quin potius divino factum conſilio putem, ut oſtenderet, nullum niſi in Cœlo perpetuum Regnum fore, ibique homines æternum regnaturos; & ut diviſo in multa Regna, ac Principatus Imperio, firmior ſtaret Eccleſia, majorque Romani Pontificis authoritas foret; quæ ſecus obtineri difficilè admodum fuiſſet.

Primi verò, qui in Italiam irruperunt, Gothi appellati, de quorum origine pauca tradere, non erit præter hiſtoriæ inſtitutum. Ad Septentrionem Germaniæ ingens peninſula jacet; ultimoque promontorio, quod Retubas vocant, ultra polarem cingulum, in glacialem Oceanum excurrit. Horrida montibus regio, ſqualida ſolo, ac rigida Cœlo eſt, & ut quondam feraciſſima barbararum gentium parens; ita nunc infrequens, & inculta. Occidentale latus Norvegi, Orientale Finlandi tenent, ad Meridiem Gothi ſunt; Lappones ad polum vergunt: media loca Sveci habitant, quos Finonicus ſinus interluit. Qua verò continenti adnectitur, utramque Sarmatiã aſpicit;ac plurimis ex ea parte paludibus impervia. Ex hac autem Aquilonari plaga ſæviſſimi illi turbines exorti, quibus tota pene Europa comprehenſa: totque æſtus excitarunt, tanto impetu, violentiaque ingruentes, ut vix poſt multa ſecula quieverint. Non enim uni Gothi, ſed Vandali, Alani, Longobardi, Heruli, Normanni, aliæque barbaræ & nomine, & moribus gentes, ex horrida

ea terrarum plaga egreſſæ univerſam Europam, ex qua in Africam, & Aſiam tranſgreſſæ, inundarunt. Quæ tandem clementiori ſub Cœlo emollitæ, ac noſtra conſuetudine mitiores factæ, in noſtros mores, ac leges tranſiere: damnataque ſuperſtitione, qua à parentibus imbutæ, Veram Religionem amplexæ. Nempe plurimum valet ad molliendum ingenium & cęli, cujus hauſtu ſpires, & eorum, quibuſcum vixeris benignior indoles. Horum primi, ut modo dixi, Gothi extiterunt. Qui anno CCXL. ingenti inopia preſſi, qua ille ſteriliſſimus annus ſummopere laboravit, damnata patrii ſoli natura, in feraciores terras commigrare ſtatuerunt: quocirca, quæcumque aſportari poterant in faſces colligatis, turmatim, atq; immenſa multitudine egreſſi, proximam primo Sarmatiam, quæ ad Europam pertinebat, & quam noſtra ætate Poloni tenent, occupaverunt; trans inde Carpathum, Danubium verſus progreſſi, plures alias Provincias ſubegerunt. Neque his contenti, ut iis accidit, qui nativas ſemel ſedes reliquerunt, ſub annum CCLX. in Pannoniam deſcenderunt, ibique ſedem fixerunt. Verum non ſe diù in ea continentes, Ducibus Fridigerno, Alathæo, & Safra proximam Daciam, ac Mœſiam, nec non & partem Thraciæ, quæ inter Æmum, & Rhodopen eſt, inſederunt. Anno CCCLXXV. fędus cum Valente percuſſerunt, hac conditione, ut Chriſtianam Religionem amplecterentur. At quoniam Ariana hic labe depravatus; & ipſi eadem lue ſub initium ſuſceptę religionis infecti; atque hęc cauſſa fuit, ut ſerò eam deponerent: & ea in Eccleſiam coorta tempeſtas ſit, quæ illam diu, & vehementiſſimè agitavit. Verum rupto mox fędere, quod rarò cum barbaris firmum, Valentem cum omnibus copiis deleverunt: eumque ex fuga in tugurio latentem incendio necaverunt. Gratianus, qui Valenti ſuffectus, pacta cum Gothis pace, ab armis quievit. Theodoſius, qui mox, Gratiano extincto, imperium ſuſcepit, ferociſſimam gentem, atq; inquietam, ita comitate, atque officiis devinxit, ut non ſolum ab inferendis armis, omnique maleficio abſtinuerit, ſed ſub illius etiam ſignis militaverit, ac plurima ſtipendia meruerit: ſapienti conſilio uſus; ut quos hoſtes ferre non poſſis, ſocios patiaris. Arcadius, qui proximè ſecutus, ſpreta lenitate patris, ſtipendia negavit: neſciens pro exigua pecunia, quantum in Imperium hoſtem concitaret. Ita cum avaris natura comparatum, ut ne unciam ultrò concedant, de toto aſſe periclitentur. Id Gothi indignè ferentes diſceſſere, conventuque mox inter ſe habito, Regem, qui in Thracia ad cohibendum Arcadium ſubſiſteret, Vaimundum creant; qui verò in Pannonia veteri ſede regnaret, Radagaiſum dicunt. At cum plurimi Alaricum ex vetuſtiſſima Blanchorum familia Regem vellent, ita inter eos controverſia eſt compoſita, ut nimirum

mirum

mirum Radagaiſus in Italiam cum ingenti exercitu ad novas ſedes occupandas proficiſceretur; Alaricus in Pannonia regnaret. Radagaiſus,ut conventum fuerat, CC. hominum millia ducens in Italiam movit, anno CDIX.: eamque, quacumque incederet, pervaſtans, infeſto agmine Romam contendit, ut Romanum in ea nomen deleret. Stilico Dux magni nominis, atque Honorii Cæſaris gener tutoris nomine tum Italiam adminiſtrabat. Qui cognito hoſtis adventu, haud ſibi expectandum duxit: ſed delecto Romanorum exercitu obviam barbaris vadit, eoſque in Apennini ſaltu non longè à Feſulis eſt aſſecutus. Hic loci opportunitate uſus, in eis anguſtiis aciem ordinat, ſigna confert, & poſt acrem dimicationem ingenti clade profligat: occiſo eorum Rege Radagaiſo, reliquaque multitudine capta, quæ inſtar pecudum viliſſimo per univerſam Italiam pretio diſtracta. Atque iſto modo ea procella ipſo in ortu eſt omnino diſſipata.

At Alaricus II. Gothorum Rex, cum ſe Romano Imperio non ſocium tantum, ſed vectigalem etiam adjunxiſſet; pluresque annos ſub Theodoſio juniore contra Imperii hoſtes militaſſet, atque ob id magno in honore habitus, multiſque muneribus, ac beneficiis affectus; non contentus præſenti fortuna, quam mediocrem mortalium nemo patitur; è Thracia cum ducentis Gothorum millibus in Occidentem contendit: perque Macedoniam iter habens, Theſſalos obviam habuit, cum quibus cùm inter anguſta montium conflixiſſet xxx. millia ſuorum amiſit. Quocirca flexo per Illyrios itinere ex ea parte Italiam ingreſſus. Hic ſedem ab Honorio petiit: futurumque ſe amicum Imperii, ſi obtinuiſſet, profitetur. Honorius & Italiæ conſulens, & hoſti ſatisfacere cupiens Galliam Narbonenſem ad inhabitandum conceſſit. Id barbaro non grave fuit, gratiiſque Honorio actis, in eam ſe convertere toto agmine inſtitit. Verum id Stiliconi, penes quem Occidentalis Imperii ſumma erat, haud gratum accidit, ideoque hoſtem dolo aggredi ſtatuit. Salvium Ducem cum exercitu mittit, ut recedentes barbaros perſequatur. Hic Gothos ex improviſo adortus, extremum agmen magna clade concidit. At non Gothorum ea, ſed Romanorum clades fuit; nam Gothi injuria, perfidiaque irritati, inque rabiem acti, collectis viribus, ignominiaque feroces Romanos aggreſſi deleverunt. Qui ſerò docti non perfidia ſuſtineri regna, ſed fide: maloque ſuo Honorius didicit, quanta Principi futura pernicies ſit, cùm nimia in privato homine potentia coaluit. Victores Gothi ſignis converſis, Romam, incendia, ſtrageſque meditantes, contendunt: omniaque in itinere ferro, atque igni vaſtant. Romam, ut pervenerunt, nullo obſiſtente, capiunt. Tum Alaricus, quod ſanè divinitus factum, ut tot innocentes non perirent, mitior

tior ſolito, & quam ab irato barbaro, vindictæque cupido ſperari potuiſſet, his omnibus parcere, qui ad templa Divorum confugiſſent, ſuos juſſit, & ne imbelli ſexui moleſti eſſent. At in ædificia, quæ non vitæ commodo, ſed luxui ſervire videbantur, horrendè ſævierunt, plurimis eorum incenſis, atque exciſis. Urbe triduo direpta, ingenti præda onuſti, & multa captivorum millia trahentes diſceſſerunt. Iter per Campaniam habentes, eam latè pervaſtarunt. Inde in Picentinos, Lucanos, & Brutios impetum facientes cuncta cædibus, ac rapinis fœdavere. Rhegium tandem delati, Naves, quæ ibi erant, conſcendunt, in Siciliam trajecturi; at orta ex contrario tempeſtate, violentus eos turbo à Sicilia avertit; nam cum plurimi periiſſent, nec naves, quibus reliqui tranſvectarentur, ſuppeterent, ſigna convertunt, inque Conſentiam agmen movent. Quam etſi valide reſiſtentem, vi tamen, ſuperante multitudine, capiunt. At fatalis ea Alarico fuit, ſtatim enim in morbum incidit: quo brevi confectus, anno CDXIII. infamem animam efflavit. Cui poſteaquam Gothi magnificè parentaſſent, eo loco, quo Buſentus in Crathim influit, illius alveum aliò derivant, uſi captivis, quos ſecum adduxerant: ibi effoſa terra, Regem cum ingentibus theſauris tumularunt; fluvioque in priſtinum alveum remiſſo, tumulum occuluerunt: ne verò indicare locum captivi poſſent, quaſi Alarico inferias, necaverunt. Juſtis barbarico more perſolutis, Athaulphum Alarici conſanguineum Regem Gothi creant. Hic ſimul atque inſignibus regalibus eſt indutus, Placidiam Gallam Honorii ſororem, quam Roma captivam avexerant, ſibi matrimonio jungit: atque his nuptiis pacem cum Honorio facit, relictaque poſſeſſione Italiæ, in Galliam migravit. Ex hac inde in Hiſpaniam profectus Regni ſedem Barcinone poſuit, ibi dum pacificus agit, à ſuis fraude circumventus occiditur, anno CDXX. Ei Sergius ſuffectus, qui cum pacem ab Athaulpho cum Romanis pactam ſervare ſtudet, ab inquietis Gothis, cum vix annum regnaſſet, necatur. Valliam Sergio ſufficiunt. Hic ſuorum animos partim arte, partim ratione manſueſecit, Placidiam Honorio remiſit: firmataque iterum pace, eam Galliæ partem obtinuit, quæ ad Oceanum vergit, & antiqui Aquitaniam; ipſe Viſigothiàm appellavit. In ea non diu quievit; nam Pyrenæo ſaltu ſuperato in ultimam Hiſpaniam irrupit: Vandaliſque in Africam ejectis, qui eam antea occupaverunt, Toleti novi Regni ſedem collocavit. Vallia è vivis ſublato, anno CDXLI. Theodoricus ſucceſſit. Hic Attilam cum immenſa Hunnorum multitudine Hiſpanias invadentem, non procul Barcinone, in ampliſſimis campis, cum omnibus pene copiis delevit. Deinde cùm aliquot annos regnaſſet, fato conceſſit, ſucceſſoremque Turiſmundum habuit. Ex quo plurimi ex Gothorum

ge-

genere in Hiſpania Reges imperitarunt: donec anno DCCCXII. à Mauris extincti, ut author eſt Sanſovinus.

At quoniam de Vandalis mentionem fecimus; & hi pariter barbari ex proxima Africa in Italiam appulſi, non ſolum Romam, ſed noſtram etiam Campaniam afflixerunt; non erit abs re, ſi horum etiam originem paucis pro noſtro more perſtringamus. Ex eadem Septentrionali Peninſula (quando divino vate præmonitum, ut à Septentrione omne malum panderetur) ex qua Gothi primum egreſſi, Vandali ſubinde eruperunt. Hi circiter annum CCCLXXX. Duce Modogiſilo, immenſa propemodum multitudine, per eundem iſthmum effuſi in proximam Sarmatiam inundarunt, inque ripa Vandali fluminis conſederunt; atque ex hoc factum barbaræ genti nomen quidam memoriæ tradiderunt. Mitiores inde Cœli plagas affectantes, Danubium verſus progreſſi. Gothi, qui ea loca tenebant, non paſſi, etſi gentiles eſſent, ibi eos permanere: plus nimirum apud mortales propria utilitas, quàm affinitas valet; nec eos vicinos patimur, quibus auguſtiores res noſtræ fiant. Vandali cum à Gothis premerentur, ſe Romanis ſubjecerunt, & ut in Pannonia ſubſiſterent, impetrarunt. Poſtea cum potentiores in dies fierent, numeroque creſcerent, de novis ſedibus cogitarunt. Anno igitur CDXII. ſub Gunderico eorum Rege in Galliam moverunt: & ſubinde in Hiſpaniam tranſierunt. Hinc iterum à Gothis pulſi in Africam trajecerunt. Principeq; illius Provinciæ, Carthagine occupata, diu Africæ Imperium tenuerunt. At quoniam Ariana contagione infecti, tam immani odio Catholicos perſecuti, ut inter Eccleſiæ perſecutiones non ultimum Vandalica locum obtinuerit. Anno DXXXIV. Carthagine à Beliſario recepta, Vandalis multis cladibus deletis, ultimoque eorum Rege Gelimero Conſtantinopolim in triumphum deducto, extinctum Vandalorum eſt nomen.

Jam verò, quod ad rem noſtram facit, vix Africam Vandali occupaverant, cum inſtructa claſſe Italiam circumvecti, cuncta prædari cœperunt, inque Campaniam appulſi Neapolitanum, & Nolanum àgrum diripuerunt, nec ſacris ipſis parcentes, omnem à templis ſupellectilem, ac ſacra vaſa abſtulerunt, plurimiſque ſecum in captivitatem adductis, Africam repetierunt. Ea irruptione Divus Paulinus Nolanus Præſul multa à barbaris perſeſſus, inſigne edidit charitatis exemplum, quod referre operæ pretium eſt. A vidua, cujus puerum captivum in Africam Vandali avexerant, multis lacrymis rogatus, ut ſibi filium, quo uno ſuſtentabatur, redimeret, Sanctus Præſul cum pecuniam, quam in pauperes erogaverat, in promptu non haberet, in Africam navigavit: ſeque in captivi locum ſuffecto, liberum illum matri remiſit. At brevi tantus vir miraculo agnitus liber cum honore abire juſſus; donatique ejus

ſan-

ſanctimoniæ quotquot Nolani in Africa detinebantur. Etiam barbarorum oculos ingens virtus perſtringit: nec indonatam magnam charitatem ire Deus permittit. Paulinus Nolam reverſus, quaſi de Vandalorum barbarie triumphaſſet, in Cœlum victor migravit. Hujus inter cætera ingenii monumenta ſingulare Æs Campanum fuit, quod Nola totius Orbis commodo, in lucem prodidit, & noſtram Campaniam plurimum illuſtravit. Ingenioſus vir iſte, & non minus eloquentia, quam mechanicis artibus illuſtris, ita fundi metallum juſſit, ut conum fornicato apice, labroque diducto referret: intuſque in vertice ferreum malleum rotundo, ac tuberoſo capite, annulo inſertum ſuſpendi, qui identidem agitatus, inque æris latera alliſus, acutum pulſu ſonum, ac vehementem redderet; ut & longè exaudiretur, & gratus auribus eſſet: quo audito populus admoneretur, ut in Eccleſiam ad rem divinam faciendam feſtinaret. Hujuſmodi æs à Campania, ubi primum inventum Campanum, & Nola etiam ab urbe appellatum, cujus uſus adeo commodus, atque opportunus eſt viſus, ut illico in univerſam Eccleſiam inductus ſit. Imo lege cautum ut ab Antiſtite, eo ritu, quo reliqua ſacra conſueverunt, dedicaretur. Ea tempeſtas, quæ in Africa à Vandalis excitata, vehementiſſimè in Catholicos detonuit: & cujus repentini quidam turbines in Campaniam incubuerunt: tot inter damna, lucrum etiam non exiguum attulit. Siquidem nullum eſt malum, ex quo Artifex Numinis providentia bonum non exprimat. Duæ ex Africa Naves pretioſis mercibus onuſtæ ea procella appulerunt, quarum una Carthaginienſem Antiſtitem, cui Quod vult Deo nomen, cum univerſo pęnè Clero, quos Genſericus in eam jam ævo fatiſcentem, ac carioſam ſine velo, ac remis, certo naufragio perituros impoſuerat: viſus ſibi pius, ſi non igni abſumpſiſſet; devehebat. Verum ſubeunte Deo Rectoris, ac veli vicem ſalva Neapolim pervenit. Sanctiſſimi viri ſumma benevolentia à Neapolitanis excepti: inque urbem ſuam non ut exules, ſed quaſi cives, ſacrorumque miniſtros admiſerunt. Altera pari ſorte XII. Sacerdotes ad eadem Campaniæ litora devexit, quorum nomina Criſpus, Caſtrenſis, Tammarus, Roſius, Heraclius, Secundinus, Adjutor, Marcus, Auguſtus, Elpidius, Conion, & Vindovius fuerunt, qui per univerſam Campaniam diſtributi, Chriſtianam Religionem mirificè auxerunt. Ex his Priſcus Capuanam Eccleſiam rexit, Caſtrēſis Maranenſem primo, deinde in Capuanam, Priſco extincto, cooptatus: Tammarus ejus loci curam geſſit, qui adhuc ab eo nomen obtinet, non longè ab antiqua Atella, ni & ipſe locus Atella Campanorum fuit. Adjutor Cavenſi præfuit, in cujus urbe corpus ſervatur: ipſe inter Divos relatus, interque ejuſdem civitatis Tutelares adnu-

me-

Digitized by Google

merarus? Nihil tuti de reliquis in annalibus reperio.

Ad hęc pariter tempora Gaudioſus Bithynus Antiſtes, cum pluribus Sacerdotibus Africanis, qui ex Africa ob Vandalos diſceſſerant, Neapolim ad tutum Catholicorum aſylum perfugit. Hic divinum nobis theſaurum D. Stephani, qui primus pro Chriſto palmam promeruit, ſanguinem adduxit. Qui phiala incluſus anno CDXVI. à Luciano Presbytero divino admonitu inventus fuerat, cumque aliis Divorum reliquiis ex Aſia in Africam delatus. Gaudioſus cœnobium Neapoli extruxit, in quo una cum ſuis, aliiſque religioſis hominibus, vitam innocentiſſimè traduxit: poſt fatum illius corpus extra mœnia non procul ab æde D. Januarii pro more eorum temporum excavato in colle ſepulchro conditum eſt. Quo in loco Carthaginienſis etiam Antiſtes tumulatus.

Anno CCCLXXXVIII., quo Theodoſius in Maximum profectus, eumque Sciſſiæ in Pannonia aſſecutus cum omnibus copiis delevit, Neapoli Urſo è vivis expuncto, Joannes in Præſulem cooptatus: quo tempore Siricius Romæ Summum Pontificatum obtinebat. Joanni Eulalium, qui contra Bonifacium Pſeudopontifex creatus fuerat, atque ob id Cæſaris juſſu Urbe ejectus, ſucceſſorem quidam faciunt: negant alii eum unquam Epiſcopum fuiſſe, ac Timaſium ſufficiunt, qui eam Eccleſiam uſque ad Leonem Pon: Max: adminiſtravit. Quo tandem vita functo, Noſtrianus ſub an. CDXLIV., quo Attila Hunnorum Rex fratrem Bledam occidit, Antiſtes eſt factus. Hujus mira in profligandis hæreticis fortitudo fuit; ut Proſper Aquitanicus eſt auctor. Florum quendam, qui ſibi virtutem, & meritum Soſii Martyris arrogans, plurimos in Campania ad ſuos trahere errores conatus eſt, è Provincia ejecit. Noſtriani tantæ virtutes fuere, ut inter Divos referri meruerit, in æde D. Gaudioſi ſepultus: deinde in Eccleſiam D. Januarii Noſtriana in via ab ipſo ædificata translatus eſt; exque ipſius oſſibus mirus liquor emanat, balneum in urbe, & plurima ædificia extruxit; celebriſque ſemper apud Neapolitanos ejus memoria fuit.

Per id quoque tempus Renatus Surrentinus Antiſtes, vir & ſanctimoniæ, & miraculorum fama clariſſimus, floruit. Hic anno CCCLXXXVIII. Andegavi in Gallia natus, cum paulò poſt nutricis vitio periiſſet, precibus Maurilii Andegavenſis Epiſcopi in lucem, quam vix viderat, revocatus: atque ob id Renatus à ſuis eſt nuncupatus: qui cùm datam ſibi divinitus vitam innocentiſſimè tranſigeret, anno CDXX. Maurilio defuncto, invitus patriæ Pontifex creatus. Verum eo ſe honore indignum ducens, ſtudioque ſolitudinis incenſus, præſulatum abdicavit, ac Surrentum ſeceſſit. Inque vicini collis ſpelunca diu delituit. At quoniam contineri in anguſto ingens virtus non poteſt: & ſua ſe luce ſanctitas prodit, à

Surrentinis cognitus, in demortui Præſulis locum, etſi invitus ſufficitur. eam verò Eccleſiam poſteaquam diu vingilantiſſimè adminiſtravit, ſupremum diem obivit: atque inter Divos relatus. Præſentem illius opem afflictis ſæpè in rebus experti, plurimiſq; obſtricti beneficiis Patronum Surrentini adſciverunt: & quotannis ſacra magna religione faciunt. Eſt autem Surrentum antiquiſſima Italiæ Urbs: quam Græcum quendam Ducem (& hunc Ulyſſem nonnulli fuiſſe putant) ædificaſſe ferunt. hic condito in promontorii fronte Minervæ fano, cum deinde Surrentinos colles, & ſoli ubertate, & ſitus amœnitate nobiles aſpexiſſet; ibi urbem poſuit, & à loci deliciis, ac voluptatibus Surrentum appellavit. Annius in Pſeudoberoſo Saræ Regiæ mulieri originem tribuit, alii ab Oſcis, Opiciſve, antiquiſſimis Campaniæ populis, ortum habuiſſe veriſimile putant, à quibus plurima Campaniæ loca ædificata Scriptores tradunt: olim Picentinorum Princeps: inde Campanis urbibus adnumerata, & Neapoli, Capuęq; æmula, quibus nec amœnitate, nec nobilitate ceſſit, imo Neapoli felicior, quod non una, ſed plures Sirenes jactet, vicinis Rebuſpublicis non inferior, fuit, & Romana Colonia, & nobile municipium, ut vetuſta lapidum monumenta fidem faciunt. De illius admirabili ſitu, atque amœnitate, plura in noſtris Æſtatibus, & Autunnis curioſus leget. Atque hæc urbi noſtrarum Muſarum hoſpitæ: & in cujus pacatiſſimo receſſu hanc hiſtoriam otioſi ſcribimus, me dediſſe, nemo quidem accuſabit.

Verùm ad ſuſceptam narrationem redeuntem luctuoſiſſimus me annus accipit, quo Attila immenſo pene exercitu coacto, in quo ſeptingenta hominum millia fuiſſe perhibent, in Romanum Imperium immanis inſtar torrentis infudit: & Gallias primum, cæde, rapinis, atque incendio fędavit; Neapoli, quæ tuta ab ea tempeſtate fuit, Felix Eccleſiæ præerat. Territa tamen non parum anno CDLV., quo Maximi tyranni fraude circumventus, à ſuis in Campo Martio Valentinianus Cæſar occiſus. Maximus imperium parricidio partum ſtatim invaſit, quod ut in ſe firmius ſtabiliret, Eudoxiam Valentiniani uxorem, etſi reluctantem ſibi matrimonio jungit. Neſciens haud pacatas fore eas nuptias, quæ ſcelere quæſitæ, invita fęmina, cujus acrior eſt ira, contraherentur. Eudoxia Leontii celeberrimi Athenienſium oratoris filia, ut mariti necem ulciſceretur, ac violentas nuptias reſcinderet, Genſericum ex Africa in ſpem Imperii evocavit, facile futurum aſſerens, ut milites, qui Domino fidem non ſervaverant, nec tyranno ſervaturi eſſent. Genſericus haud omittendam occaſionem ratus, ingenti claſſe adornata, xxx. millia militum in Italiam tranſvexit, acieque cum Maximo conflixit, victumque membratim concidit, indque Tiberis profluenta projicit, merita tyranno pena, & dignum

quod

quod ad poſteros tranſiret exemplum; quo diſcerent, fluxam eſſe tyrannidem; neque unquam fieri, ut ſcelere parta, firma durent Imperia. Roma direpta, ac pene diruta, in Campaniam Genſericus exercitum movet. Capuam, Linternum, & Nolam vi cępit, ac diripuit: omniaque circum loca pervaſtavit, à Neapoli, & altitudine mœnium, & fortitudine Civium abſtinueritne, an repulſus fuerit, non liquet; agros tamen incendit: tandem Eudoxiam ſecum, & multa captivorum millia ducens in Africam victor remeavit.

Anno CDLXXII. Veſuvius Mons poſteaquam CCCXCI. annos quieviſſet, ex ſummo jugo immanem in modum exarſit, cùmque in dies incendium creſceret, Africam, & Byzantium uſq; cinerum nimbi ſecundo vento delati pervenerunt: tanto earum gentium horrore, ut ignaræ rei, ſupremum mundo inſtare fatum crederent, ac deplorarent. At plus terroris, uti & ruinæ Neapoli, ac circumpoſitis oppidis fuit; nam præter immenſos flammarum cuneos, quibus omnem arſuram Italiam, ac denſam offuſamq; caliginem, qua cuncta permiſcenda crediziſſes, crebri, horrendiq; terræ motus excitabantur, quibus ruitura tandem ædificia, quæ quotidiè conquaſſabantur, timidæ gentes arbitrabantur, communem patriæ ruinam, ac propriam quiſque calamitatem, triſtis deflebat, mortemque immaniſſimam in ſingula cuncti momenta exſpectabant. Incredibile dictu eſt, quanta conſternatio animorum, ac luctus populis inerat; itumque ad ſolitum in his caſibus perfugium Divorum, ut illorum auxilio, ruinam, incendia, atrociſſimam mortem deprecarentur. at prudentius feciſſent, ſi illorum numina in proſperis coluiſſent, nec vindicem eorum iram tantis ſceleribus meruiſſent: ſic enim futuram illi calamitatem ſubmoviſſent. Sed ita mortales ſunt, ut ſecundis inſoleſcant; ſacrorumq; & Dei immemores cuncta per ſcelera ruant: cum verò adverſis premuntur, & vindices capiti imminent pœnæ, humiles, atque abjecti, ad frugem pellantur verius, quam redeant: & expetiiſſe potius, quam induiſſe pietatem videantur. Fœdum, ac miſerum ſpectaculum erat, videre illinc eructantem, ac rugientem Veſuvium; coruſcare identidem, denſari caliginem, igneos amnes effluere, obrui agros diluvio, torreri ſata, ſylvas incendio conflagrare: hinc verò attonitos homines ejulantes cum pueris mulieres, omnia miſceri lacrymis, adiri Templa, fatigari precibus Superos, tundere ſe ſupplices pugnis, ac flagris dilaniare: nec quidquam prætermittere, quo placari iratum numen potuiſſet. Inter primos, quos adivere D. Januarius fuit, ad cujus ædem extra mœnia quinto Dominico die magni jejunii publica totius populi ſupplicatione itum eſt. Ut ad ædem perventum, mirum oppidò, deferbuit il-

licò incendium, conſerenatum eſt Cœlum, atque horribiles terræ motus quieverunt; tanto univerſorum gaudio, ut vix dici poſſit, ſeque tum D. Januarii beneficio renatos cuncti alta voce profeſſi, gratias Divo quam maximas egerunt. Ne verò tam inſignis beneficii memoria unquam aboleretur, cautum, ut quotannis eo ipſo die D. Januarii ædes publica ſupplicatione adiretur, meritæque gratiæ redderentur. Hujus incendii Marcellinus meminit, atque illud in ſecundum Leonis Auguſti Conſulatum incidiſſe tradit, ejuſque incendii memoriam quotannis Bizantii VIII. Id: Nov: celebrari.

Quinto anno poſt illatam à Veſuvio ſtragem, non minor in Italiam calamitas ingruit: nec minor ex ea ruina eſt excitata, quæ eodem turbine Neapolim delata, miſerè eam fœdavit. Extitit hæc nova barbarorum inundatio, quæ Romanum penè nomen extinxit. Odoacer Turgilingorum, atque Herculorum Rex, cum reliquiis Gothorum, atque Hunnorum, quos Attila duxerat, ex ultima Pannonia in Italiam irrupit, quam omni præſidio nudatam poſtquam brevi occupaſſet, ſe ejus Regem dixit. Primo ad Papiam cum Horeſte, qui obviam armatus proceſſerat, ſecundo prælio conflixit. Victor Placentiam, in quam Horeſtes cum infelicis exercitus reliquiis fugerat, vi capit; comprehenſum in ea Horeſtem in omnium copiarum conſpectu barbarico more immaniter necat. Inde victor, atque Horeſtis cæde exultans Placentia infeſto agmine Romam pergit, eamque facilè in poteſtatem redigit. Auguſtulum Horeſtis filium abdicare ſe Imperio cogit. Et ita quodam fato factum, ut Romanum Imperio ab Auguſto cœptum, in Auguſtulo deſineret: quod ipſum vocabulum præſagire videbatur. Hunc verò ad Lucullanum juxta Neapolim inſignia depoſuiſſe apud quoſdam invenio. Odoacer, extincto in Occidente Cæſarum nomine, Regem ſe Italiæ appellari maluit. Tum communis parentis ſortem ipſa pariter Neapolis perpeſſa, priſtinæ tamen libertatis imaginem ſub Senatus, ac Ducis appellatione retinuit. Per id tempus, Felice extincto, Soter Neapolitanam Eccleſiam regebat, & ea quidem vigilantia, quam calamitoſa ea tempora poſcebant. Hic ad Romanum Concilium ſub Felice II. habitum, profectus Catholicam Religionem plurimum juvit, XXI. annos ſedit, & Baſilicam DD. Petro, & Paulo extruxit. At Zeno, qui in Oriente Imperium tenebat, nec Theodoricum, qui octavus à Raimundo Gothorum Regnum obtinebat, in Thracia regnare æquo animo patiebatur: nec Odoacris tyrannidem, qui Italiam impotenter, ac barbarè vexabat, ferre æquum cenſebat; cum verò armis eos aggredi non poſſet, ad callida conſilia ſe contulit, viſumque ſibi optimum factu, ſi Theodoricum in Odoacrem immitteret; nam ſive is hoſtem vinceret,

ret,

Digitized by Google

ret, ſive ab eo vinceretur, utrumque ſibi utile, ac ſalutare Imperio fore; alteroque ex illis ſublato, facilè ſe inde reliquum aggreſſurum. Accitum igitur ad ſe Theodoricum grandi honore excipit, Conſularem creat, ac muneribus onerat, hiſque ſibi obſtrictum beneficiis ita alloquitur: Scis equidem, Theodorice, quam injuſtè Odoacer Italiam invaſerit, quam immaniter cum Horeſte, quam inclemēter cum filio Auguſtulo egerit, ut vel ſui crudelitatem hominis ſint abominati. Nec latere te arbitror, quanta nunc impotentia tot nobiles Populos, & Dominos olim Orbis terrarum, tot cultas gentes, literarum, atque artium magiſtras, non more Regis, ſed tyranni vexet, quam gravis Romano Pontifici ſit: cujus tamen Majeſtatem ipſi Deo ſupparem, immaniſſimi barbari coluerunt, ac feroci ſſimi quique Reges pertimuerunt: quantam in Sacerdotes, ac ſacra omnia violentiam exerceat, quantis cædibus, ac rapinis Numinis iram promeruerit. Quibus ego permotus te vindicem deſtinavi, & ſocium habere Imperii non gravabor. I igitur: tyrannum expelle: gentes vindica: exime à violentia Sacerdotes: teque ad novum gloriæ verticem, tua virtute, tuis armis attolle. Theodoricus, græca arte non intellecta, & more humani ingenii præſentia negligens, inhians futuris, haud aſpernendam occaſionem duxit: gratias Zenoni agit, iturumque ſe contra tyrannum promittit, copiaſque omnes in eum ducturum. Domum reverſus univerſam Gothorum multitudinem, unà cum liberis, ac conjugibus in unum congregat; rebuſque univerſis compoſitis, in Occidentem movit. Ut verò vires ſuas firmaret, nobilemque belli titulum præferret, Artemidorum Auguſtuli conſanguineum, alioſq; plurimos Duces, & nobilitate, & virtute inſignes à tyranno ejectos, ſibi ſocios adjungit. Quia verò naves ad tantam multitudinem traiciendam, non ſuppetebant, ex Jonii Maris litore, ad quod multis caſtris pervenerat, per Taulantios, & Illyrios in Pannoniam ſe ducit. Pannonicis inde Alpibus ſuperatis, Italiam ingreditur. Ad Iſontium amnem non longè ab Aquileja, Odoacrem, qui cum ingenti exercitu ad intercludendum hoſti aditum venerat, obviam habuit; ibi ſignis collatis ſecundo prælio pugnavit. Odoacer clade nihil territus, ſuas vires colligit: ac tentare iterum fortunam ſtatuit, inque amplos Veronenſium campos copias inducit. In quibus iterum à Theodorico acie victus, Ravennam cum cæſi exercitus reliquiis profugit. Hic ſuos ad conſtantiam hortatus ſperare melius jubet: nec quamquam bis victi animos deſponderent: Martem communem eſſe, & variam fortunam: quin & ſæpè inſolelescentes victoria hoſtes ſuamet fiducia fractos fuiſſe, ac ſuperatos: Priſcam ipſi fortitudinem excitarent; & forte ſe, non virtute victos oſtenderent. Deinde quas poteſt, vires contrahit: machinas inſtruit;

ſtruit;

ſtruit: commeatus parat. Non ſegnior Theodoricus vere inſequentis anni CDXI. copias colligit: atque in hoſtem movet. Non procul Ravenna ad Dacam amnem Odoacer occurrit: aciem explicat: & pugnæ copiam hoſti facit. Teodoricus hortatus ſuos, ut eo prælio bello finem imponant; totque palmis jam relatis, ſupremam illam adjungant, copias educit, atque aciem explicat, inde acris utriuſque dimicatio fuit, in qua etſi fortiter cum ſuis Odoacer pugnaret, cedere tandem hoſti victoriam coactus, ſeque iterum Ravennæ includit. Teodoricus ne mora victoriam corrumperet, illico Ravennam obſedit. Quam cum vi expugnare ob egregia operum munimenta, hoſtiſque virtutem, haud facilè ſe poſſe animadverteret, fame ad deditionem compellere inſtitit. Tandem prid: Id: Auguſti anni CDXCIII. deditione unà cum Odoacre accepit. Theodoricus Odoacrem unà cum filio contra jus gentium necavit: ulciſcente Deo ejus manibus, quæ ille contra divina, humanaque omnia perpetraverat. Neque enim is expectare ęquum debebat, quod ipſe in victos non ſervaviſſet. Nec par erat eum apud hoſtem miſericordiam invenire, quam in alios non exercuiſſet. Theodoricus hoſte ſublato, vacuam Italiæ poſſeſſionem invaſit, contentuſque Regis titulo, ab Imperatorio, quem ſponte Zeno obtulerat, modeſtè abſtinuit: ratus nihil inter eos titulos intereſſe, ſi eadem potentia, ac majeſtas ſervaretur. Et ſic mutato Rege, non gente, Neapolis in Gothorum poteſtate permanſit.

HI-

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ

LIBER TERTIUS.

THeodoricus Italiæ poſſeſſionem adeptus, totus ad firmandum novum Regnum, augendumque incumbit: ratuſque vicinorum Regum affinitate multam ſuis rebus acceſſionem fieri poſſe, Andeſvendam Clodovæi Francorum Regis filiam ſibi matrimonio jungit, unam ex natis Alarico Viſigothorum Regi copulat: atque his nuptiis quieturas Hiſpanias, Galliaſque arbitrabatur: Sororem Honorio Vandalorum Regi deſpondet: ne qua ex Africa incurſio in Italiam fieret. In Vallibus Auguſtæ Prætoriæ Herulos locat, earumque gentium Regem adhuc adoleſcentem adoptat. Tridentum validis operibus, ac præſidio communit: ducens his populis, & eo propugnaculo, tutas ex ea parte Alpes futuras. Inde tum ſecuram Italiam exiſtimans, cum vicinas Provincias in poteſtatem redegiſſet, nimirum, ut haberent hoſtes, in quos primum impetum frangerent: atque extra Italiam bellum gereretur, Siciliam, Dalmatiam, Liburniam, Galliam Narbonenſem imperio adjunxit, vel acie victis, vel in deditionem earum populis acceptis. At non interea ab ornanda Italia, atque ordinanda curas avertit, Ducens optimi Principis eſſe, ſi dum exteros armis, ſuos ſibi legi-

legibus, ac benevolentia ſubjiceret, & dum egregiam augendo Regno operam navat, parem in ornando diligentiam impendat. Ravennam, quam Regni ſedem ab Odoacre factam, & ipſe eſſe juſſerat, novis munimentis, atque ædificiis adornavit. Romam, ne caput Orbis neglectum videretur, magnificè expolivit, plurimaque in ea tum publica, tum privata ædificia inſtauravit, & multa etiam à fundamentis excitavit. Non equidem pœnitendus Italiæ Princeps, ſi inter ſuas virtutes Catholicam Fidem, & manſuetudinem numeraſſet; nam ut pertinax in errore vixit; ita crudelitate, atque impotentia non ferendus. Ea tamen, quæ laudabilia geſſit, Caſſiodori, qui ei à ſecretis fuit, ſapientiæ, prudentiæque tribuenda: quæ tamen vel in Principis laudem redundabant; ut qui eo fuiſſet ingenio, ut optimum ſibi miniſtrum, quod non facile quidem erat, elegiſſet.

Inſignis pariter erga Neapolitanos Theodorici cura fuit: cum Præfectum in eorum Urbem mitteret, optimum quæſivit: eumque ſaluberrimis admonitionibus inſtruxit, quarum præcipuas referre operæ pretium duco. Juſtitiæ in primis curam habeto: non privatum, ſed publicum bonum ſpectato, æquus, ac prudens trutinator univerſa æqua lance ponderato: non plus diviti, quam pauperi; non nobili, quam plebejo tribuas; quinimmo nimios divitum luxus, ac nobilium virorum licentiam coerceto: errantibus veniam ne des: nec peccatis conniveas, illorumque in te culpam vertas. Ita enim fore, ut Reſpublica perpetua pace fruatur, & erga Principes populorum amor, quo nullum monimentum eſt firmius, augeatur. Epiſtolam etiam ad Neapolitanos ſcripſit, qua magnificis eos laudibus ornat: ad virtutem hortatur, & futurum ſe illis non tantum Principem, ſed parentem etiam, promittit: admonetque, ut viciſſim ipſi erga ipſum, ac Præfectos ſuos obſequentes ſe præbeant, aliaque multa in ea ſunt, quæ apud Caſſiodorum leguntur. In eum annum, quo Theodoricus Italiæ Regnum auſpicatus in Gargano Apuliæ monte memorabilis D. Michaelis apparitio incurrit. quæ quoniam inſignis extitit, & inter prima Neapolitani Regni monumenta numeratur, prætereunda ſilentio non erat. Anaſtaſio Imperatore, & Gelaſio I. Pontifice, Sipontini cujuſdam civis in Gargani vallibus armenta paſcebant, è quibus fortè taurus præ cæteris egregius aberravit, quem poſteaquam diu fruſtra armentarii requiſiviſſent; tandem in aditu cujuſdam ſpeluncæ, quæ in vertice Gargani erat, paſcentem deprehendunt. Armentarius ira furens in taurum, quaſi volens aberraſſet, ſagittam emiſit, quæ illico in ipſum ſagittarium reſiliit, atque vulneravit. Quæ res prodigii loco eſt habita: idcirco ei ſocii perſuadent, ut ad Sipontinum Antiſtitem rem deferat. Qui, & religione, & moribus ſpectatiſſimus,

facilè ea de re conſulere ſuperos potuiſſet; & quid in ea prodigii lateret, intelligere. Paret armentarius: Præſulem adit: & rem uti evenerat, narrat. Antiſtes novitate rei perculſus, populum ad concionem vocat, eique perſuadet, ut ſolemni jejunio noxas piet, ac preces ad Deum fundat: quod ut à multitudine facilè impetraret, primus ipſe executus eſt: à cibis abſtinet, ac ſacra ſumma religione facit. Sequenti nocte dormienti Michael supernæ militiæ Princeps apparuit, monuitque non caſu factum, ut oberrans taurus in illius ſpeluncæ aditu herbam depaſceret, ſed Dei conſilio, ut locus ille proderetur; velleque Templum ibi ædificari, in quo ipſe uti ſuperorum Spirituum Princeps ſacro ritu coleretur; ſeque in eo loco habitaturum: futurumque non ejus loci tantum, ſed Italiæ totius propugnatorem, qui vero eam ſpeluncam piè adiviſſent, plenam omnium noxarum veniam conſecuturos. Experrectus Præſul gratias Deo agit, ac D. Michaelem ſupplex veneratur. Inde populum de viſis admonet, cumque eo, ac Clero univerſo publica ſupplicatione ſpeluncam adit: aram excitat: ſacra facit: Divum Michaelem univerſi adorant, & gratias pro beneficio perſolvunt, utque ejus loci, totiuſque Eccleſiæ tutelam ſuſciperet, vehementer orant. Atque ex eo confluere ad ſpeluncam gentes cęperunt, votivaſque tabellas, ac donaria plurima ferre conſueverunt, tantumque proceſſu temporis loci fama crevit; ut jam inter ſacroſancta Chriſtiani Orbis loca primas obtineat. Dum hæc in Apulia agerentur, Gothi, qui Odoacris partes ſecuti fuerant, & circa Neapolim degebant, atque Ariana infecti lue erant, quos idcircò Ethnicos Neapolitanos quidam duplici errore lapſi vocarunt, in unum coacti in Apuliam moverunt, direptoque in itinere Samnii Principe Benevento, ad Sipontum caſtra locant, omniaque circum populationibus vaſtant. Sipontini inſperata hoſtium incurſione perterriti, Deum ſupplices adeunt, triduanoque jejunio noxas piant. Proxima nocte D. Michael ſe Antiſtiti in ſomnis viſendum exhibuit, monetque, ut poſtera die populum armet, inque hoſtem mittat; fore, ut ſe Duce, victoriam ex eo reportent. Antiſtes ad populum rem defert, hic ſpe plenus arma capit, inque hoſtes erumpit. Ut ſigna ſignis collata, ingens repentè tempeſtas coorta, tot tonitruis, fulminibuſque terribilis, totque obductum nubibus Cęlum, tantaque caligine perfuſum, ut ruere Cœlum Gothi crederent, tantoque in eos incubuit impetu, ut pleriſque eorum cęleſti igne necatis, reliquam multitudinem ingenti formidine perterritam in fugam coëgerit caſtra, & victoria Sipontinis relicta. Qui victoria potiti, è veſtigio grandi ovatione ad ſpeluncam Servatoris ſui gratias acturi perrexerunt. Cum vero ambigerent, intrarent ne antrum, ædemque extructam dedicarent; an ipſo in oſtio

conſiſterent, ne ſacroſanctam ſpecum temerarent, Præſul ad Max: Pontificem rem detulit. Hic rogari ea ſuper re Divum ipſum juſſit. Antiſtes poſt ſolemne jejunium, & publicam ſupplicationem Divum rogavit, ut quid ſibi acceptius foret, manifeſto aliquo ſigno oſtenderet. Viſus iterum ei Michaël, à quo admonitus ædificatam jam ædem inaugurari non oportere, jam ſe illam conſecraſſe, velle tamen, ut ſequenti die, qui erat 11. Kal: Octobris, in eam Eccleſiam populus ingrederetur, ac precibus inde frequentaret: ſe eorum Tutelarem futurum: in marmore humanæ plantæ veſtigia reperturos: idque ſignum dedicationis fore. Primo mane Præſul cum univerſo populo ſpeluncam intravit, invenitque tria altaria: duo ad Auſtrum, tertium ad Orientem poſitum, rubraque umbella contectum; in hoc ſacra Antiſtes fecit: quibus peractis, duo in lapide humanæ plantæ veſtigia conſpexerunt, quę in genua flexi ſumma religione deoſculati: domum inde ingenti gaudio pleni redierunt. Gothi ut eam procellam divinitus à Divo Michaële immiſſam, ejuſque ſe numine fugatos cognoverunt, damnato Arianorum errore, veram Religionem amplexi, ſuaque cæde fracti de perfidia triumpharunt. Ferunt Apuli in ea ſpelunca nitidiſſimum fontem emicare; ejuſque aquam expiato animo, ac fide pleno hauſtam morbis ſalutarem eſſe.

Inſequenti anno CDXCIV. D. Severini corpus è Germania Neapolim translatum. Hic, ut author eſt Ægeſippus ex Oriente in Pannoniam profectus Acturi exiguo in oppido ſedem fixit: plurimumque ibi ad oppidanorum ſalutem, utilitatemque laboravit: illius inde excidium à barbaris vaticinatus, Babianum ſeceſſit; plurimumque in ea urbe virtutem, ac bonos mores promovit: civium inopiæ, quæ tum eas regiones vehementer afflixit, miro modo providit: ſigniſque pluribus editis, cœnobia ædificavit, ac monaſticam vitam, diſciplinamque egregiè amplificavit. Tandem ſolitudinis ſtudio captus, in eremum ſeceſſit, in qua plura ſtipendia emeritus, ſupremum diem obivit. Poſt hæc Odoacer in eas gentes arma intulit, & victor debellavit: quotquot ibi Itali commorabantur, ad ſuas domos redire, ne Italia vacua colonis inculta remaneret, imperavit. Ex his quidam reditum in patriam molientes, ſecum D. Severini corpus in Italiam deferre conſtituerunt. Nec à Cœnobitis, in quorum æde ſervabatur, id impetrare difficile fuit. Dum vero arcam reſerant, integrum cadaver, atque odore ſpirans, acſi recens ſepultum fuiſſet, inveniunt: ſupplices venerantur: læti accipiunt: curru imponunt: atque in Italiam deportant. In itinere plurima edidit, quæ miraculorum loco habita: infirmi in ſalutem illico reſtituti: tetriſque geniis obſeſſi in libertatem vindicati. Tandem Gelaſio Pont: Max: jubente Neapo-

lim

lim delatum, in urbem ſolemni pompa à Victore Præſule, ac univerſo ordine, populoque exceptum, & Lucullanam in Inſulam deductum: ibi Barbara nobilis Matrona egregium ſepulchrum inſtruxit, in quo ſacrum pignus collocatum. Divus ut ſuum gratum erga Neapolitanos hoſpites animum oſtenderet, plurima in ipſorum beneficium mira patravit, quibus mirificè in illum civium auctus amor eſt, ac veneratio. Longum deinde poſt tempus, intra mœnia corpus deportatum, inque Eccleſia ei dedicata, quam Caſſinates Monachi tenent, repoſitum.

Non multo poſt quam hæc geſta ſunt, Victor vivere deſiit, atque uti Divus eſt habitus. Eo autem defuncto, Stephanus in Pontificem cooptatus, qui anno CDXCIX. Romano Concilio ſub Symmacho P. M. adverſus Laurentium Presbyterum celebrato, cum reliquis Patribus interfuit. Servatoris Baſilicam, quæ Stephania nuncupabatur, ampliorem in formam reſtituit. Poſt hunc Renducem quidam perperam inducunt; hic enim Africanæ, non Campanæ Neapolis Antiſtes fuit. Quare rectius faciunt, qui Stephano e vivis ſublato, Pomponium Præſulem creatum, cumque ſub Juſtino I. Auguſto, & Joanne I. Rom: Pont: Præſulatum injiſſe aſſerunt. Hic Ædem Virgini cognomento Majorem magno ſumptu extructam dedicavit; unamque ex quatuor primis Paræciis conſtituit. Fuit Pomponius viceſimus à Divo Aſpreno Antiſtes; ejuſque tot, tantæque virtutes fuerunt ut inter Divos jure optimo relatus ſit. Enituit in primis conſtantia, animique magnitudo, qua Theodorico in Catholicos furenti, ſe oppoſuit. Hic rabie incitatus, quod Itali Arianas partes tenere recuſarent, eos omnibus modis perſequebatur, nec à Joanne Pont: impias manus abſtinuit. Roma abſtractum Ravennæ incluſit, atque atrociter afflixit. Neapoli per Arianos Præfectos urgere Catholicos cœpit, ut ad ſuas partes tranſirent: quod cum non impetraret, diris modis vexabat. Pomponius tanta fortitudine ſe Regi oppoſuit, tanta conſtantia Præfectorum audaciam fregit, ut ab incepto deſiſtere coacti ſint, populiq; ejus verbis, exemploque confirmati, conſtantes in fide permanſerunt. Poſtquam octo, & viginti circiter annos Eccleſiam rexiſſet, in Cœlum victor migravit, inque æde ab ſe ædificata, & Virgini, cujus egregius cultor fuerat, dedicata, honorificè ſepultus. Ex hujus Sancti Pontificis corpore ſuaviſſimus liquor emanavit, medendis morbis præſentiſſimus. Fuit Pomponius patria Romanus, & Joannis Pont: Max: conſanguineus.

Anno DXXVII. Kal: Auguſti Juſtinus Cæſar è vivis exceſſit, ſucceſſoremque Juſtinianum reliquit. Qui ſimul ac Imperium ſuſcepit, ad priſcam illud reſtituere magnitudinem cogitavit; ideoq; magnos delectus habet, immenſoſque belli apparatus comparat:

inde ingenti exercitu conflato, Perſas primum, Duce Beliſario, aggreſſus pluribus eos cladibus affecit, occupatáſque Provincias recepit, omnemque Orientem pacavit. Vandalos deinde adortus, Gelimero eorum Rege capto, ad internecionem delevit, receptamq; Africam iterum Imperio adjunxit. Intereà Theodoricus poſtquam L. annos regnaſſet, digna morte vitam anno DXXXIII. terminavit. Cum enim Severinum Boëtium, & Symmachum illius Socerum falsò accuſatos, quod veteris Reipublicæ ſtatum reſtituere molirentur, obtruncaſſet, illico vindicem Deum ſenſit. Etenim non multo poſt cum diſcumbenti ingentis piſcis caput appoſitum eſſet, viſus eſt ſibi lymphatus Symmachi caput videre: quo oſtento perterritus brevi inter ſuorum manus infamem animam exhalavit; Quæ cuidam ſolitario Lipara in Inſula, à Joanne Pontifice, & Symmacho in igneam voraginem præcipitari viſa eſt, quod ſanè barbaro, crudoque homini, atque Eccleſiæ Catholicæ hoſti infenſiſſimo jure debebatur. Vitæ tamen, & Regno diu relictus ut & Catholici exercerentur, & regiæ quædam virtutes, quæ inter tot vitia eminebant, mercede aliqua penſarentur. Eo ſublato, Atalaricus Amalaſuinthæ filius octennis ſucceſſit; qui dum corruptiſſimis moribus adoleſceret, maturè extinctus. In hujus locum Amalaſuinthæ conſilio Theodatus Amalaſredæ Theodorici ex ſorore nepos, ſufficitur. Qui vix Regnum auſpicatus per ſummam ingrati animi notam, Amalaſuintham Reginam in inſulam Volſini lacus incluſit: ibique cædi juſſit; ut nimirum ſolus ipſe regnaret. Verum quia dolo parta, difficilè ſervantur imperia; non multo poſt ipſe uti ignavus occiditur. Jam verò LIII. anni elapſi fuerant, ex quo Gothorum jugum Neapolis cum reliqua Italia perpeſſa erat. Nec Anaſtaſius, nec Juſtinus de recuperanda Italia cogitaverant: ſatis ipſis videbatur, ſi pacatum Orientem poſſiderent, Perſáſque acerrimos tum Imperii hoſtes intra Euphratis ripas continuiſſent. At Juſtinianus altioris Fortunæ vir, & tot jam clarus victoriis turpe ducebat, Italiam, ac Principem Imperii Romam in barbarorum poteſtate eſſe, ſibique utendum ratus eo fortunæ impetu, quo tot gentes debellaverat: nec pati eum langueſcere, ac remitti; quo plerumque vel oſtentatis tantum armis proſperi eventus continuantur; qui ſi victorum deſidia tepeſcat, ac palmarum ſatietate torpeat, continuò verſis vicibus, in adverſa proſpera commutantur. Beliſarium cum potentiſſimo exercitu in Italiam mittit; eumq; hortatur, ut fortibus, uti cęperat, inſiſtat, ac Perſicæ, Vandalicæque Gothicam palmam nova victoria adjungat. Beliſarius, quo major ſua ætate Dux non fuit, novæ gloriæ ſtimulo inflammatus; milite in naves impoſito, magna in Italiam claſſe navigat. Erutios primum, mox Lucanos in deditionem accipit. Inde Neapolim movet,

vet; ut munitiſſimo eo propugnaculo ſuperato, Romam facilius oppugnaret. Poſtquam in conſpectu urbis venit, caſtris vallo munitis, eam terra, marique obſedit. Erat in ſuburbio exiguum caſtellum, quod ſtatim aggreſſus feliciter expugnavit, præſidioque impoſito, muris machinas admovet. DCCC. in urbe Gothi erant: haud equidem ſatis validum ad tuenda mœnia præſidium. Ideoq; ſervandæ urbis cura civibus relicta, ipſi ad defendendam arcem ſe receperunt. Neapolitani conſilio inter primores habito, optimum factu duxerunt, ſi Legatos ad Beliſarium mitterent; eique perſuaderent, ut ad recipiendam Romam contenderet: qua capta, ſe in ejus poteſtate futuros. Inter Legatos Stephanus Catoldus Princeps erat, qui priſcæ libertatis ſtudioſus barbarorum jugum ægrè patiebatur. Hic in caſtra introductus, & ad Romanum Ducem admiſſus, ita locutus traditur: Haud equidem, Beliſarie, (da quæſo veniam dicto) tu rectè facis, cum nos & Græcos origine, & qui perpetuam cum Romanis amicitiam coluimus, armis aggrederis, non ſatis amplum eſt oppidum, quod habitamus, ut magna ex eo tibi acceſſio futura ſit. Arx cum barbarorum præſidio urbi imminet; ut etiamſi dedere nos tibi vellemus, facere id ſine noſtro periculo poſſemus. Roma (ne grave feras, quod tibi conſilium dare videamur; quod ſi utile haud equidem eſt contemnendum) Roma, inquam, tibi petenda primum eſt, ac barbarorum è manibus vindicanda, quam cùm feliciter obtinueris; id enim, & tua fortuna, & copiarum tuarum virtus certò promittunt; non multum inde tibi negotii erit, & Urbem noſtram, & univerſam Campaniam recipere. Ultro in Romana jura veniemus. Nec Roma capta, obſiſtere tibi victori Gothi poterunt; quorum inclinatæ nunc res ſunt, & inter ſe ipſi diffident. Quod ſi hic munito in oppido hæreas, cum fortunæ curſum interrumpes, qui tot annos te victorem tanta palmarum continuatione ſecutus eſt. Negligenda ea ſunt, quæ difficilè obtinentur; & cum magno periculo obtinueris, non magnum ex illis lucrum accepturus ſis. Hæc Stephanus: cui ita Beliſarius reſpondit: Non ego huc veni, ut à Neapolitanis conſilium peterem, aut datum ultro capeſſerem: ſed ut ipſi Romana ſigna, quibus ſe addictos fatentur, intra mœnia accipiant: & ut antiquos ſocios à barbarorum injuria vindicarem: ne igitur beneficium, ne ſortem veſtram corrumpatis, conſulite vos etiam ipſi rebus veſtris; patriæque providete, nec veteres amicos, ac contribules veſtros vel armatos rejiciatis: videte ne nimia pertinacia, vobis calamitatem, patriæ excidium, quæ quidem ipſe minimè vellem, accerſatis. Si mecum ſentietis arcem facilè expugnabo, ejectiſque ex ea Gothis, & vos, & veſtram urbem in libertatem reſtituam; & antiquos vos magiſtratus, & antiquas habere leges permittam. Hæc

in

in bellico Senatu publicè ad Legatos Beliſarius habuit: ad Stephanum vero, quem favere ſibi cognoverat, ſecretò locùtus in hunc modum eſt: Tuum erit, vir optime, cujus in nos animum ſatis perſpexi, cives tuos admonere, atque hortari, ut pacem cum Cæſare malint, celerique deditione gratiam promereantur, neque inconſulta temeritate iram experiri velint. Plurimaque addidit, quibus Legati animum ad Cæſaris partem pendentem vehementer obſtrinxit. Legati in urbem reverſi, atque in concilium intromiſſi, quæ Romanus Dux reſponderat, Senatui expoſuerunt. Patres, reſponſo audito, Stephanum de ſententia interrogant: monentque ut quid ſibi magis expedire videretur, ſincere, uti optimum civem decebat, aperiret. Tum Stephanus: Si bellum accipere è re noſtra judicarem, author civibus meis eſſem, ut omnibus viribus pro mœnibus ſtarent, urbemque defenderent: meque eis Ducem in cuncta diſcrimina offerrem. At quoniam periculoſum arbitror tanto Duci, tanto exercitui ſe opponere, pacem ſuadeo: & daturam eam æquis conditionibus Beliſarium non dubito. An illi nos erimus, qui obſiſtere poſſimus ei, cui non immenſæ Perſarum vires, non totus Oriens, non Vandali, non univerſa Africa ſe opponere valuerunt? An plus in uno oppido virium, quam in duobus ampliſſimis Mundi partibus erit? An eum hic deſerturam fortunam putatis, quem per tot ſpatia terrarum ſecuta eſt? At Gothi arcem occupant, fateor, ſed quid ſperandum ab iis eſt, qui de urbe deſperantes in arcem confugerunt? imo quid timendum ab illis eſt, qui propriis viribus, virtutique diffidunt! dedita urbe & arcem ipſi victori concedent. Præterea quanta vos ab illis perpeſſi, & quanta paſſuri ab hoſte ſitis, ſi ad arma inconſulti ruatis, perpendite. Ei ſe hoſti opponere, cui par eſſe nequis, temeritas ea, non virtus eſt. Dum per tempus licet, meliora conſilia, etſi minus audacia capere, prudentis eſt animi, & providentis futuro. Hæc Stephanus, in cujus ſententiam Antiochus quidam Syrus negotiator ditiſſimus, & magnæ apud Neapolitanos authoritatis cum veniſſet, placuit ordini, populoque pacem à Beliſario petere: eique & Cæſaris fidei æquis ſe conditionibus tradere. Gothi, qui Arcem tenebant, etſi id minimè probarent; quia tamen impares ſe multitudini, ac Romanis videbant, hiſcere non auſi. Duo in urbe Optimates erant, Paſtor & Aſclepiodorus, qui Gothorum partes fovebant: hi cum palam contradicere non poſſent: quod nunquam tutò fit, quoties cum multitudine certandum, quæ numero, & fortior, & audacior efficitur, ſimulatione uti ſtatuerunt, ut quod aperta vi non quibant, fraude obtinerent. Æquum cenſere ſe, inquiunt, ut quando juſtæ vires non ſuppeterent, Romanis ſe traderent, velle tamen, ut ea deditio, & utilis, & honeſta eſſet: eaque peti volebant,

bant, quæ non tam victi, quam victores petiiſſent. Rebantur callidi homines, fore ut à Beliſario minimè concederentur; atque ita, re infecta, populum ad arma iturum. Id plebi, quæ rerum ſpecie, inanique oſtentatione plurimum ducitur, poſtquam perſuaſiſſent, Stephanum cum pacis conditionibus in caſtra mittunt. Ut verò ea legatio magnificentior eſſet, Riccardum, qui Joanne II. defuncto (Hic Pomponio ſucceſſerat) Pontificatum obtinuerat, cum Legatis ire jubent, qui ſolemni habitu indutus ad Romanum Ducem procedit. Beliſarius perhonorificè Præſulem excipit, & juxta ſe ſedere jubet: inde, quæ poſtulata ferrent, interrogat. Tum Stephanus: Petitionem tuam, Beliſarie, civibus meis expoſui: quam cum æquam, atque utilem futuram ſibi arbitrentur, libenter audiunt, teque intra mœnia accipere non gravantur. Quod ut honeſtè fiat, rogant, ut conditiones haſce, quas ſcriptas ad te defero, ratas habeas, tuoque annulo obfirmes; & ut id durum tibi ne ſit, vehementer orant. Pro veteri in Romanos fide, pro generis ſocietate dari abs te illud æquum putant. Beliſarius tabellas accipit, læto vultu legit: & juſta, inquit, Neapolitani petunt: neq; ego veteribus amicis, & Græcis hanc gratiam facere gravabor; ſtatimque annulo obſignat. Sacrum inde Codicem, quem Antiſtes gerebat, manu tenens, curaturum ſe, ut conditiones illæ inviolatæ ſervarentur, ſacramento obſtringit. Stephanus, cæteriq; Legati eiſdem ſe ſtaturos, urbemque Beliſario tradituros, jurant. Poſtea à Duce dimiſſi ad ſuos revertuntur. Stephanus urbem ingreſſus plebi ſciſcitanti fauſta ſe, ac læta ferre ſignificat: inque honeſtiſſimas eas conditiones, quas ipſimet ſcripſerant, Beliſarium juraſſe. Starent igitur pactis, & patere urbem Romanis, quorum ſemper amicitiam coluiſſent, præciperent. Plebs eo nuncio lætata feſtis per urbem vocibus infremuit; aperirique portas Beliſario; excutiq; jugum barbarorum imperat. At Paſtor, & Aſclepiodorus adverſæ factionis Principes cum viderent nihil ſe occultis fraudibus profeciſſe, palam, & aperta vi dimicandum rati, coactis in unum, qui Gothis favebant, validaque eorum barbarorum manu adjuncta, armati per urbem diſcurrunt, populum ad arma concitantes: inque forum progreſſi, concionem ad multitudinem habent: Quæ veſtra, inquiunt, ſtultitia, quis furor eſt præſentem civitatis ſtatum, quo pacati vivimus;& ſua quiſq; ſecuritate fruitur, immutare? An quem accepturi Ducem, quos milites ignoratis? Putatiſne hos eos eſſe Romanos, qui primi hæc mœnia victores habuerunt? erratis oppidò. Nomen hi tantum Romanorum, meram Imperii umbram tenent. Degeneres Græci ſunt, quorum præcipuæ virtutes fraus, & perfidia exiſtunt. Anne ducitis bono in vos animo Beliſarium eſſe: atque ob id conditiones quantum honeſtas nobis, tantum ſibi indecoras

Digitized by Google

coras admiſiſſe? veſtræne, & non ſuæ dignitati conſulere ſuperbum hominem arbitramini? voſmet ipſos fallitis, ſi ita in animum inducitis. Ideo fecit, quia munitiſſimam urbem, fortiſſimam gentem, armis obtinere deſperat. Timendum ab eo hoſte, qui ea, quæ non deberet, dat facilis. Si ei veſtra libertas, ac ſalus cordi eſſet, hinc Romam faceſſeret: ut ea Imperii arce, Gothis expugnatis, accepta, nos inde ſine periculo, ſine injuria ſocios acciperet. His verbis multitudine accenſa, quæ in omnem auram mobilis, inconſulta plerumque temeritate fertur, tueri urbem communi conſenſu ſtatuunt, hoſtemque à muro omnibus viribus expellere. Ut autem eorum factio potentior evaderet, Judæos, qui tum plurimi urbem incolebant, capere arma jubent, ac portis, muroque locant. Id poſtquam Beliſario innotuit, machinas admoveri, urbem oppugnari jubet. Ea tempeſtate haud facilis oppugnatu Neapolis erat: nam altera parte rupibus, & mare cingebatur: altera verò altis mœnibus, quæ vel Annibalem terruerant; id circo ſæpius eam Beliſarius aggreſſus, magna ſemper ſuorum ſtrage repulſus. Cum igitur arduum obtinere urbem armis videret, præcidi aquæductum juſſit; ut aqua laborantes ad deditionem induceret. Sed & id fruſtra tentatum, plurimæ enim in urbe ſalientes erant, quibus cives in extremis uterentur. Spes etiam ſubſidii, quod Roma in dies expectabant, fiduciam obſeſſis addebat: Neque hi, qui rupti fœderis authores extiterant, animos plebi facere omittebant. Beliſarius, comperto ſalientes in urbe emicare, cives annona minime laborare, & futurum ut Gothi ſubſidia inferrent, ſolvere obſidionem conſtituit. Dum verò conſilium maturat; unde minus ſperabatur, potiundæ urbis oblata ſpes eſt. Miles quidam Iſaurus genere, captus deſiderio viſendi aquæductus, in eum ex ea parte, quam Beliſarius everti juſſerat, ingreſſus eſt. Eò commodè progreſſus, ubi ſe intra urbem eſſe certis ſignis animadvertit, locum videt, in quo ingens ſaxum perforatum erat, quà decurrere aqua conſueverat. Foramen non adeo amplum, ut hominem acciperet: poſſe tamen fieri, ut amplius factum in urbem aditum daret. Hæc diligenter perſcrutatus, quà venerat, redit: Ducem adit: rem aperit: ſeque ad opus miniſtrum exhibet. Beliſarius lætis auribus hominem audit; ejuſque curioſitatem multis laudat: neque omittendam, quam ne cogitanti quidem ſibi ultro fortuna obtuliſſet, occaſionem ducit: parva interdum magnum in bellis momentum afferre; caſuque res maximas agi, quas nec diu meditata conſilia, ingenteſque conatus perfeciſſent. Laudatum militem ſpe multa præmiorum onerat: nec minori in loco apud ſe eos futuros, qui ſe illi comites adjunxiſſent. Inde admonet, ut omnem in aperiendo ſaxo diligentiam impendant, curarentque ut id ſine ſtrepitu fieret, ne forte ab hoſtibus deprehen-

prehen-

Digitized by Google

prehenderentur. Ideoque non malleo, aut ſcalpro, ſed lima, aut dolabra opus eſſe, quo tacito opere mollis natura petra aperiretur. Iſaurus his monitis inſtructus, ac munerum ſpe plenus cum paucis aquæductum ingreſſus, adeo felici ſucceſſu petram perforavit, ut aditus amplior factus armatum lorica, & parmula hominem commodè admitteret. De hoc Beliſarius admonitus ingenitæ memor manſuetudinis, eorumque miſeratione permotus, qui ultro ad ſuas partes acceſſerant, feciales mittit, qui Stephanum Principem legationis accerſerent: eique nunciarent, velle ſe Neapolitanos meminiſſe, qui caſus imminerent, quæ ſtrages, atque injuriæ futuræ jis, qui, capta vi urbe, in victoris manus venturi eſſent. Scirent jam ſe urbem in poteſtate habere; nec poſſe victorem militem continere; idcirco deditionem maturarent; nec vellent, nimia pertinacia iram militis accendere: nec facerent, ut paucorum temeritate, in ultimos cuncti caſus ſe conjicere: nec eo ſe fungi officio, ut dolis cum ipſis ageret, ſed ut ſuæ benignitati aliquid daret. Stephanus in urbem reverſus, quæ Legati attulerant, non ſine lacrymis narravit. Cives, qui nihil de Aquæductu reſciverant, non minus Beliſarii jactantiam, quam Stephani ſtoliditatem riſerunt.

Beliſarius poſtquam ſperni ſe vidit, inſtructo jam dolo, ad occupandam urbem ſe convertit. CD. milites enſe, lorica & ſcuto armat; eiſque Paucarum Iſaurum patefactæ viæ authorem, Ducem imponit: quibus ad præſidium Magnum equitum ductorem, & Ennium Iſaurorum Ducem, de quorum virtute plurima experimenta habebat, adjungit. His nocte concubia accitis rem aperit: dictis incendit: & eorum ſe virtuti daturum, ſi urbs caperetur. Irent ergo, & accenſis luminibus militem per aquæductum ducerent, cum verò in urbem intraſſent, partem muri proximam occuparent: eaque capta, ſignum tubis darent, cæteros milites in armis eſſe, pararique ſcalas jubet. Dum ipſe in ordinando milite pro caſtris occupatur; quidam ex jis, qui in aquæductum perrexerant, periculi timore perculſi, ad caſtra redierunt. Beliſarius ut eos conſpexit, acerbè increpans: Ite, inquit, imbelles, & vos in tentoriis occulite: ardua moliri veſtrum non eſt. Hi, alios CC. innuens, veſtram ignaviam compenſabunt, eoſque è veſtigio ire jubet. Tum primi verecundia moti ad opus redeunt, cumque aliis in aquæductum irrumpunt. Per quem ſinguli procedentes, è campo, mœnibus ſubter tranſmiſſis, urbem intrant. Ulterius inde progreſſi, aquæductum in altum fornicem conformatum lateritio opere, aliiſq; arcubus impoſitum animadvertunt, ibi ubinam eſſent, non ſatis intelligere poterant; nec quo modo, eo fornice ſuperato, in terram exilirent. Non tamen animos deſponderunt: ſed ulterius progreſſi, in eum demum locum pervenerunt, in quo aquæductus ſupernè

pernè patebat. Cœlo igitur, Stelliſque in eo conſpectis, jam ſe media ferme in urbe eſſe deprehenderunt. Verum ea hic iterum difficultas objecta; quo nimirum ex ea altitudine armati aſcenderent. Dum verò oculos circumflectunt, ædificium conſpiciunt, in quod ſi aſcendiſſent, facile futurum, ut ex illo in mœnia pergerent. At difficillimum erat ex aquæductu in eam domum aſcendere armatos, ſine armis periculoſum. Tandem poſt multa audacior ex eis miles, cui Trajano nomen, armis depoſitis, qua manibus, qua pedibus repens in ſemirutum illud ædificium evaſit. Degebat in eo anus quædam pauperrima, quæ ut militem vidit, illicò exclamavit. Trajanus, educto enſe, quem unum gerebat, mortem ei, ni ſiluiſſet, comminatur, illa perterrita ſtatim conticuit. Tum Trajanus funem olivæ trunco, multis capitibus demiſſis alligavit: quibus apprehenſis omnes ad unum ſocii evaſerunt. Mures è cavea per funiculos erumpere, non veſca corroſuros, ſed capturos urbem crediſſes: quam etſi munitam haud equidem expugnare arduum, ſi ad promptum Ducis ingenium audaces militum animi accedant. Jam ad quartam noctis vigiliam difficultatibus illis præpediti pervenerant, cum tandem ex anus domo in muros convolarunt, cæſiſque cuſtodibus geminas turres occupant: editoque deinde tubarum ſono, rem tandem è ſententia ſucceſſiſſe Ducem admonent. Beliſarius, audito ſonitu, ad eam partem copias ducit, admoveriq; ſcalas jubet, cumque breviores altitudine mœnium invenirentur, binæ invicem colligatæ, perque illas alacres milites muros è regione portæ, quæ ad Orientem vergebat, ſtatim conſcendunt, atque in urbem irrumpunt. Interea ut hoſtem diſtraheret, urbem è mari ſuos aggredi jubet, ibique atrociſſimum certamen fuit; ibi enim Judæi omnem in armis ſpem ponentes, & quid in urbe per aquæductum evenerat, neſcientes, tanta pertinacia, ferociaque dimicabant, ut nunquam hoſtis ex eo loco intrare in oppidum potuerit. Beliſarius orientali porta incenſa, univerſas per eam copias in civitatem induxit, quæ, luſceſcente jam die, intra mœnia conſpectæ. Quibus viſis ſtatim Neapolitani animis conciderunt: contra Græci ferociores evaſerunt, qui tota urbe percurrentes cuncta cædibus, ac rapinis impleverunt. Maxima Judæorum ſtrages fuit: qui quoniam fortiſſimè pugnaverunt, ad unum fere omnes trucidati, magno ſane urbis lucro, quæ ea ſe peſte, hoſte vindice, expurgabat. Beliſarius capta urbe, non inſolenter victoria uſus, ſed humaniſſimè in victos ſe geſſit; quæ Ducis humanitas ipſa victoria major fuit: nam ſe victorem, & ſpretum antea ab hoſte continere, temperare iræ, animi ſupra humanam conditionem aſſurgentis, ac penè divini eſt. Deponi ſtatim arma; abſtinere ſuos à cæde, incendio, rapinis, reddi mulieres, reverentiam haberi ſacris ſeveriſſimo edicto

præ-

præcepit. Quam etiam humanitatem in Gothos adhibuit: quos arcem dedentes honeſtè dimiſit, memor ea uſuros hoſtes clementia, quam ipſe in illos exercuiſſet. Ita Procopius, qui his geſtis interfuit; etſi Paulus Diaconus nimiæ crudelitatis Beliſarium arguat: atque ob id à Sylverio Pont: increpitum; at ipſe plus nimio in Græcos invehitur. Lenitatis tamen vel illud maximum eſt argumentum, quod refici ſtatim mœnia, inque ampliorem formam reſtitui juſſerit, ſuaſque leges, & magiſtratus urbi conceſſerit.

Altero die ab urbe capta, memor populus eam ſibi calamitatem à Paſtore, atque Aſclepiodoro illatam: qui Gothis ſtudentes, in certam ruinam civitatem univerſam conjecerant, in Aſclepiodori primum domum facto impetu irruunt: raptumque per univerſas urbis vias, ac fora ignominioſè trahunt; membratim inde conciſum, per celebriora loca dividunt. Paſtoris deinde cadaver, (hic in pugna occubuerat) eadem ignominia per urbem raptatum concidunt: probriſque vel mortuo inſultant. Mereri eos illud dedecus, quibus nihil penſi patriæ libertas fuiſſet: morteque atrociſſima dignos, qui tantam civibus ſuis cladem attuliſſent, publicumque ſupplicium deberi, qui occulte patriam prodidiſſent. Beliſarius, Neapoli Conone relicto, qui præſidio præeſſet, ipſe Romam contra Gothos movit. Qui audita Neapolitanorum clade, Theodotum Regem ignavia notatum interimunt, poſtquam tres annos regnaſſet. Vitigem clariſſimum fama Ducem è Dalmatia accerſunt, eumque Regem creant. Is cum ſe imparem Beliſario videret, IV. millibus Gothorum ſub Laudère Duce Romæ relictis, ipſe Ravennam ad comparandum exercitum perrexit. Romani timentes, ne id eis accideret, quod Neapoli evenerat, Sylverio ſuadente, per Aſinariam portam Beliſarium acceperunt. Quo à Gothis comperto, per aliam & ipſi Ravennam fugerunt. Lauderes vir fortiſſimus capi maluit, quam turpiter fugere, captus Conſtantinopolim miſſus, feſtivum receptæ Romæ nuncium laturus. Vitiges Gothis undequaque contractis, exercitum ingentem conflat, in quo CL. armatorum millia numerabantur. His Romam movet, Beliſarius cum acie dimicare è Republica minimè duceret, intra mœnia ſe continuit, urbemque fortiter à Gothis oppugnatam, fortiſſimè propugnavit. Soluta obſidione, quæ producta in ſolidum annum fuerat, tanta fames, ac deinde peſtilentia ſecuta eſt, ut penè exhauſta incolis Italia fuerit. Anno deinde CDL. Beliſarius novis copiis auctus, Ravennam obſedit, quæ ei unà cum Vitige Gothorum Rege dedita eſt. Gothi, qui ex fuga dilapſi, Theodebaldum Regem dicunt, qui principio vix M. ſtipatus Gothis regnum auſpicatus, mox aliis confluentibus metuendus Romanis evaſit.

Juſtinianus ſuſpicax ingenio ſenex, auditis proſperis in Italia à Be-

a Beliſario geſtis, veritus ne Gothis profligatis, major ipſe hoſtis Imperio exurgeret, illum Conſtantinopolim revocavit: itaque inconſultus præ nimia ſuſpicione vir, confectum pene Gothicum bellum, magnis iterum ſuorum cladibus inſtauravit. Beliſarius Vitigem, plurimoſque Gothorum Principes, magnamque pecuniæ vim ſecum ferens Conſtantinopolim triumphans ingreſſus, unus qui veterum triumphantium Romanorum pompas ingenti gloria renovavit; futurus ad ultimum uſque diem magnus, ac felix, niſi invidia, quæ comitari nimiam fortunam ſolet, plurimum laboraſſet. Gothi Theodebaldum ob nimiam crudelitatem, qua etiam in ſuos ſæviebat, è medio ſuſtulerunt, eique Ataricum ſuffecerunt. Hic cum non niſi in pace ſperare ſalutem poſſet, eam ab Imperatore petiit: & qua potuit conditione. Id Gothi iniquo animo ferentes (nam ingenita barbaris ſuperbia victos ſe dici nolebant) ſtatim irati trucidant, ac Totilam Theodebaldi nepotem, virum egregiæ virtutis, atque in Græcos infenſiſſimum, in Regem adoptant. Hic conceptam de ſe opinionem brevi auxit; nam multis in Flaminia prælis proſperè cum Romanis geſtis, ac Provinciis aliquot receptis, victor in Campaniam caſtra movit. Famaque D. Benedicti, cujus ſanctimoniam omnis Italia celebrabat, permotus, Caſſinum divertit, periculum facturus, vera ne eſſent, quæ tanto plauſu divulgabantur. Cum non procul à Cœnobio veniſſet, virum præmittit, qui Benedicto nunciet, venire Totilam Gothorum Regem, eumque ſe convenire velle: cui Benedictus ſe paratum tantum virum excipepere: veniret igitur ſuo commodo. Totila cubicularium, cui Rigo nomen, ſuis regiis veſtibus induit; regioque item comitatu ad Benedictum pergere jubet, cumque illo ita agere, ac ſi ipſe Rex foret. Quem eo apparatu venientem ſanctus vir proſpiciens; Depone, inquit, fili, quod tuum non eſt. Ea voce Rigus perterritus, ac præ pudore rubens, in terram cecidit: reſumpto mox ſpiritu, veniam precatur, quod illum fallere cogitaſſet: mox ad Regem cum ſociis redivit. Totilas cognito quod evenerat, viri ſanctitatem admiratus, ad illum pergit. Cumque coram ſtetiſſet, in genua accidit, Divumque humilis adoravit. Præſtringit etiam barbarorum oculos piorum hominum modeſtia, ac ſuperbiam deprimit manſuetudo. Benedictus Regem hortatus ut ſurgeret. At nec tertio quidem impetravit: tum ipſe manibus apprehenſum ſublevavit, ac peramanter eſt complexus. Inde acriter corripuit, quod tot ſe ſceleribus contaminaſſet, nullamque ſacrorum curam habuiſſet, quod barbarus, ac ferociſſimus Rex tanta patientia tulit, ut cunctis, qui illius indolem noverant, ſtupori eſſet, ac pro miraculo ducerent. Tanta virtutis, ac ſanctimoniæ ſeu vis, ſeu æſtimatio eſt, ut ferociſſimos etiam Principes perterreat; ac præſens ſuis Sacerdotibus eſt

Deus,

Deus, cujus omnipotentiæ nullus eſt homo, etſi maximus, qui obſiſtere poſſit. Inde Benedictus Totilæ prædixit, fore, ut Roma potiretur, & poſtquam IX. annos regnaſſet, decimo interiturum. Totilas vaticinio audito, diu quaſi ſtupefactus ſtetit. Inde, Divo relicto, diſceſſit, memorque animadverſionis non tantam in poſterum crudelitatem exercuit; nam omnem deponere inveterata in malis natura non poterat. Caſſinate è Monaſterio diſcedens, Cannuſium pergit, de Sabino ejus urbis Antiſtite periculum pariter facturus. Audierat illum futurorum præſcium: & quamquam lumine captus eſſet, plurima tamen videre, quæ ne oculatiſſimi quidem conſpexiſſent. Ubi Cannuſium venit, à Præſule ad menſam invitatus, ire non recuſavit. Tanto in honore Religioſi Antiſtites tum apud Reges erant: futuri etiam hac ætate, ſi major in ipſis ſanctimonia, in Principibus pietas foret. Poſtquam accubuerat, prandente Præſule, Rex ſpectator erat, inde cum ſanctus vir pocillatorem admoneret, ut potum afferret: ille ſtatim calicem accepit, porrecturus. Rex clam arreptum ipſe porrexit. Præſul accipiens, Vivat, inquit, hæc dextera. Quo facto perculſus Totilas vera eſſe affirmavit, quæ de Sabino circumferebantur.

Cannuſio digreſſus ad augendas copias contendit, contractiſq; Gothorum reliquiis, ac mercenariis pluribus ſcriptis, commeatuq; comparato, in Campaniam revertitur. In quam priuſquam copias induceret, Beneventum Samnii Principem oppugnare ſtatuit, quo capto, liberum ſe Apennini ſaltum ad exercitus in Apuliam inducendos, habiturum rectè arbitrabatur: urbe circumdata, machinas admovet: mœnia quatit: ſuos in aggreſſionem ducit. Et quamquam fortiter Beneventani corruentes muros defendiſſent, multitudine nihilominus ſuperante, vi tandem captum eſt oppidum: cujus mœnibus dirutis, ne rebellaret, in Campaniam infeſto agmine, ab Apennino per Hirpinos deſcendit, primumque impetum in Cumas antiquiſſimam urbem effundit, quæ etſi edito in colle, expugnatuque difficili, validoque muro, ac turribus præcinctæ, ſuſtinere tamen barbarorum impetum non potuerunt. Cumis captis, humaniter ſe Totilas in cives geſſit, nobilesſque Matronas à violentia militum, injuriaque vindicavit. Caſtra inde Neapolim movit, quam parte copiarum obſedit: partem in Lucanos, ac Brutios miſit; ut eas gentes in deditionem acciperet, Neapolim M. Cæſariani milites cuſtodiebant, qui licet non ſatis urbi præſidium, egregiè tamen unà cum civibus diu urbem tutati ſunt, nec ſemel ab aggreſſione magna ſuorum ſtrage repulſus eſt Totilas, qui nunquam ea potitus fuiſſet, niſi annona, & ſubſidium in tempore defuiſſent. Quæ cum deficerent æquis conditionibus ſe Totilæ Neapolitani dediderunt. Cæſariani unà cum ſarcinis liberi dimiſſi; Neapolitanis ſuis legibus

vivere

vivere permiſſum. Totilas, Neapoli Gothorum regno reſtituta, dil-ui mœnia, ne iterum in Romanorum poteſtatem veniret, imperavit, expedire ſuis rebus jactitans, ſi aperto Marte, acie cum illis confligeret. Dum verò copias Neapoli reficit, novumque ad bellum apparatum comparat, Brutius quidam Græcus genere eum adit, ac de Gotho milite, qui filiæ vim intulerat, conqueritur. Id Totilas indignè ferens, hominem quæri, & coram ſe ſiſti jubet. Qui etſi ſpectatæ in pluribus præliis virtutis eſſet, atque ob id à ſuis rogaretur, ut illi parceret, occidi tamen, ejuſque bona violatę Virgini tradi ſeverus imperat: aſſerens juſtitia, non armis contineri in fide populos: nec ſtare diſciplinam poſſe, ſi locus deprecationi detur.

Copiis jam auctis, commeatuque plurimo comparato, Neapoli Romam caſtra movit: eamque in ſuam poteſtatem redegit: ne vero rebellaret, mœnia ſolo æquavit. Hæc cum Conſtantinopolim ad Juſtinianum delata fuiſſent, ſerò tandem cognovit, quam imprudenter feciſſet, quod Beliſarium ex Italia revocaſſet. Illum igitur, petente etiam Vigilio Pontifice, iterum in eam cum exercitu miſit. Adventu tanti Ducis res illico reſtitutæ. Nam & Hydruntum ſtatim obſidione liberatum: & plurima Apuliæ loca à Romanis recepta. Inde Beliſarius ex Apulia Romam progreſſus cum Totila ad Tiberim pugnavit, eumque magna clade concidit. Totilas ea calamitate fractus, Legatos ad Cæſarem mittit, ut quibus poſſet conditionibus pacem impetraret, quam honeſtam conſequi antea potuiſſet, ſi mediocri contentus eſſe fortuna voluiſſet. Legati in Curiam intromiſſi acerbè habiti: nec pacem obtinuerunt. Quod cùm Totilas accepit, magna ira excanduit; ſtatimque incendi, diruique Romam, ut ne veſtigium quidem extaret, ſuis pręcepit. Impotentium barbarorum more, qui cum armatos ſuperare hoſtes nequeant, in imbellem turbam, ipſaque ædificia deſæviunt. Id ubi Beliſarius cognovit, acrem ad Totilam epiſtolam ſcripſit, eumq; his verbis à propoſito dimovere conatus eſt: Quemadmodum ſapientium hominum fuit, palantes populos, ac pecudum more viventes, in ſocios cœtus congregare: civilibus ritibus imbuere: inque ædificatas urbes introducere; ut & tutius vitam, & commodius agerent, ita urbes evertere, diſtrahere gentes, nexumque diſſolvere, amentium ſemper, ac præ rabie furentium eſt habitum. Quid ex tanta immanitate conſecuturus es, niſi ignominiam; ut illi laudem retulerunt: & ut malemereri de humano genere videaris, ut illi benemeriti fuerunt? Haud equidem in ira, quæ impotentium fœminarum telum eſt; ſed in fortitudine, quæ una virorum eſt, laus, ac gloria collocanda. Copias compara: aciem dirige: fortiter pugnato: ita non pacem tantum; ſed victoriam etiam habebis,

quam

quam ſi deſperas, obſervantia potius, ac moderatione Cæſaris animum demerere: non vero tot incendiis, ac rapinis juſtiſſimam illius iram accendis: fieri brevi poſſe, quando tot ſceleribus vindicem Numinis iram provocaſti: ut victus iterum, meritiſſimas pœnas perſolvas. Totilas cum has Beliſarii literas iterum, iterumque legiſſet, ita motus dicitur, ut ab incepto deſtiterit. Romaque relicta, in Lucanos rurſus belli fortunam tentaturus contendit, ut quod precibus nequiverat, virtute extorqueret.

Interea Beliſarius, amoto ab ſe hoſte, facilè Romam recepit: eamque inſtauratis mœnibus ſic communivit; ut redeuntem deinde Totilam repulerit. Dum verò omne Gothorum nomen delere in Italia connititur, Auguſtæ odio, atque æmulorum fraude iterum circumventus, Conſtantinopolim revocatur. Vir inter maximos Duces numerandus, in quo neſcias plus ne fortuna, an prudentia, ac fortitudo valuerit, & uti continuo victoriarum curſu exemplum felicitatis fuit, ita deinde calamitatis ſpectaculum: inque ea urbe Imperii Principe, in qua Perſis victis, & trans Euphratem longe ſubmotis, Vandalis extinctis, eorumque Rege Gelimero in vinculis ducto, profligatis mox Gothis, ac Vitige ipſorum Rege capto, toties triumphaverat, omnibuſque fama rerum geſtarum admirationi fuerat, verſa deinde ſcena, Cæſaris ira, & inimicorum calumniis oppreſſus, oculis eſt captus, ſpectatuſque in foro ſtipem quærere; cunctiſque miſerationi eſſe, inſigne rerum humanarum ſpectaculum, quæ mediocres ferre vices minimè patiuntur. Tanti Ducis diſceſſu, cujus vel ſolo nomine barbarorum vires diſtinebantur, nutare illico res occeperunt. Iterum Roma Iſaurorum proditione capta: Corſica, & Sardinia amiſſæ, ruituræ haud dubium, niſi Narſes cum novo exercitu adfuiſſet. Fuit hic Spado Perſa primum in aula Cæſaris, inde militiæ educatus: tantum verò tum prudentia, tum fortitudine profecit, ut inter primos ſui temporis Imperatores numerari meruerit. Ut Ravennam poſt plurima pericula pervenit, totius Italiæ regimen Ducis titulo accepit, perque Præfectos reliquas illius Provincias adminiſtrare exorſus eſt. Sub illius adventu Gothi præter omnem expectationem navali prælio victi; & quas ceperant Inſulas, & Siciliam amiſerunt. Tarentum à Romanis receptum. Inde exercitum quam maximum potuit comparavit: magniſque itineribus in Gothos movit. In quorum conſpectum cum veniſſet, ad Papiam (Alii in Thuſcia dimicatum tradunt) ſtatim acie inſtructa, de ſumma rerum decertare ſtatuit. Non effugere pugnam Gothi, qui Totila Duce ſummam ſubire aleam ſe poſſe confidebant. Commiſſum igitur prælium, ac magnis viribus utrimque certatum. Narſes Virginem Matrem in acie invocat, adeſt illa auxiliatrix; vincitur. Etenim Totila pluribus vulneribus

con-

confoſſo, Gothi terga vertunt: inſtant Romani, univerſoſque penè Gothos magna internecione delent. Totila ex vulneribus brevi extinctus, cum decimum jam annum regnaſſet. Hujus victoriæ præmium Roma cum reliqua Italia fuit.

Porrò Gothi, qui ex acie elapſi fuga ſalutem quæſierant; quique ex reliquis Italiæ partibus coacti ad ſuppetias ferendas Thejam fortiſſimum Ducem in Regem creant. Hic vere inſequentis anni DLIII. exercitu ex omnium Gothorum reliquiis coadunato, ſigna cum Narſete contulit: fortiterque dimicans occiſus; cumque eo omne Gothorum nomen eodem anno extinctum. Difficile afflictas jam res virtute ſuſtinere, cum ſemel in contrariam partem verſa fortuna, proſperi caſus adverſos exceperunt. Narſes ratus non corrumpendam deſidia fortunam eſſe, quæ pigros ſemper odio proſecuta, ad occupandas eas urbes, quas Gothi tenebant, illico movit, neque occiſo Rege, exercitu profligato, illas obtinere arduum fuit. Atque in hunc modum Italiam, & Neapolim Orientali Imperio, à quo per LXXII. annos divulſa fuerat, adjunxit. Et hunc finem ſecunda, Theodorico Duce, Gothorum irruptio ſortita eſt: nam prima, recedentibus in Hiſpanias barbaris, ibidem extincta, ut ſuperius traditum eſt.

In hæc tempora, quibus tum à barbaris, tum à Græcis vaſtata, ac direpta Roma fuit, Amalphitanæ Reipublicæ ortus incurrit, quæ noſtræ urbi amica, ac fœderata ſemper extitit; hanc vero originem habuiſſe perhibent. Cum tot inter bellorum æſtus per ſuas vices reciprocantes Romam incolere ſine injuria nobiles viri neutiquam poſſent; eorum plurimi ad incolenda Campaniæ litora concellerunt, & ea præcipuè loca inſidere placuit, quæ tutiora ſitu videbantur. Quam multi eos montes tenuerunt, qui ab Atheneo ad Salernum uſque excurrunt, Meridiemque ſpectant, ac Pæſtano ſinu irrigantur; ex altera enim parte, qua Septentriones aſpiciunt, cratere alluuntur. Principio Scalas, & Rabellum in montibus illis ſita oppidula habitarunt. Deinde litoris amœnitate illecti, ad mare deſcenderunt. Et ubi vallium opportunitas, mitior Soli indoles, nitidęque ſalientes erant, urbem ædificarunt, eamque Amalphim appellaverunt, & quemadmodum ex Aquilejæ ab tot barbarorum incurſionibus vaſtatæ reliquiis Venetiæ emerſerunt; ita ex Roma toties exciſa Amalphitana Reſpublica orta eſt, quæ ſecutis inde temporibus plurimum mari polluit; ac tandiu duravit, quoad Ducibus extinctis, cum reliquis ulterioris Italiæ populis in Neapolitanum Regnum coaluit. Atque hæc ſunt, quæ de hujus urbis exordiis Scriptores tradiderunt. In Chronicis manuſcriptis, quæ Amalphitana vocantur, rem aliter accidiſſe reperio. Referunt plures Romanorum familias, conſcenſis navibus, Conſtantinopolim navi-

gaſſe

gaſſe, vi verò tempeſtatis in Adriaticum ſinum delatas, Epidaurum tenuiſſe, eamque urbem plurimos annos incoluiſſe, deinde cum odio indigenis eſſent (exteros difficile nobiſcum habitare patimur, diſplicentque alieni mores) navibus iterum conſcenſis in Apuliam trajeciſſe. Melphiam progreſſis ibi ſedem figere decreviſſe, relictaque Romana appellatione Melphitanos vocari maluiſſe. Mox quia anguſtior locus videbatur, ſedibus iterum mutatis in Silarim proceſſiſſe, & ad Ebolim conſtitiſſe. Eboli in proximos, quos diximus, montes explorandi gratia cum veniſſent; eoſque opportunos exiſtimaſſent, eo commigraſſe, ac primum memorata ſuperius oppidula, deinde ædificatam ab ſe urbem incoluiſſe.

Sed, ut ad inſtitutum redeam, Narſes victoria potitus, Ravennam Exarchatus ſedem conſtituit, qui magiſtratus toti Italiæ præſideret: rebuſque ejus Provinciæ ordinatis, Neapolim Græcam in Urbem ſe contulit: & loci amœnitate, & Græcis ſtudiis, quæ etiam tùm tot inter barbaricos turbines florebant, invitatus. Et primum ad perficienda mœnia, quæ jam Beliſarii juſſu inſtaurari cęperant, ſedulo incumbit. Mœnibus turres addidit: & plurima etiam ædificia excitavit. Anno DLV. Pelagio in demortui Vigilii locum ſuffecto, Neapoli Romam progreſſus; ut novum Pontificem more majorum adoraret. A' Pelagio benignè exceptus, & pluribus laudibus ornatus; quod Gothos infenſiſſimos Catholicæ Religionis hoſtes tota Italia extinxiſſet: habitæque ob victoriam publicæ ſupplicationes, ſolemnique ritu Numini gratiæ perſolutæ: ſacra facta, feſtique dies magna cunctorum lætitia celebrati. Quæ quidem gaudia longa pace duratura fuiſſent, ſi Juſtiniano vita functo par in Imperio Princeps ſucceſſiſſet. Mutatur enim pro Principum conditione Regnorum fortuna: & ut illorum virtutes felicitatem populis, ita calamitates vitia pepererunt. Fuit Juſtinianus vir acri ingenio, ac ſingulari prudentia inſtructus: & quamquam literis leviter imbutus, literatos tamen, atque eruditos homines magno ſemper apud ſe in honore habuit, quibus adjutoribus, univerſas leges Romanas mira brevitate, ac felicitate reformavit: quæque ab aliis Principibus latæ fuerant, ipſe in XII. libros digeſſit; rejectis tot voluminibus, quibus ſcriptæ continebantur, eumque Codicem Juſtinianum ab ſe appellari voluit. Præterea univerſorum Magiſtratuum, Judicum, ac Juriſconſultorum leges, quæ in bismille fermè libros excreverant, in L. collegit. Novum item opus Inſtitutionum IV. libris comprehenſum, quibus univerſæ leges continerentur, edi in lucem juſſit: earumque legum, quas ipſe promulgaverat, novum codicem compoſuit. Ea verò bellorum laude floruit; ut parem ſecutis temporibus Græcum Imperium non viderit. Qui licet per ſuos Duces bella adminiſtraverit, tanta nihilominus felici-

tate uſus, ut Perſas antea feroces multis cladibus perfregerit: Vandalos debellaverit, Africa recepta: Gothos extinxerit, Roma, atq; Italia aſſerta: Alemannos, & Francos domuerit: Avares profligarit. Quocirca merito à Paulo Diacono Alemannicus, Gothicus, Francicus, Avaricus, Vandalicus, atque Africanus veteri more eſt appellatus. Conſtantinopoli ſumptuoſiſſimum Templum, quod inter prima Orbis monumenta numeratum, ædificavit, Divinæque Sapientiæ dedicavit: extatque ad hæc tempora, viſiturque tum admiratione operis, tum indignatione profani cultus, quo in præſentia à Turcis temeratur. Cæterum quoad pietatem, & Religionem ſpectat, pius æque ac religioſus Princeps ſemper eſt habitus: omnemque curam impendit, ut Catholicam Religionem cum Imperio amplificaret, quod felici ſemper victoriarum curſu obtinuit: Deo juſtis armis auxilium ferente; cujus majeſtati amplificandæ cum Reges ſtudent, augentur etiam regna: quæ contra, averſis Superis, ſuſtineri non poſſunt. Attamen labe non caruit, qua nulli mortalium vacant omnino, nimium uxori tribuit, cujus ingenium diverſum à marito erat: ſuſpicax fuit, & ſacrorum nimium curioſus. Sunt qui adfecta jam ætate in errores lapſum tradiderunt, inque ſacrorum etiam Imperium ſe auſum intrudere. Mihi propria, non aliena ſcribenti, hæc veſtigare non vacat. Ad noſtra igitur redeo. Per idem tempus Riccardo Præſule vita perfuncto (Hunc Beliſarii tempore à ſuis civibus, qui Gothicas partes tuebantur, occiſum Triſſinus in ſuo Poëmate commentus eſt) Vincentius populi ſuffragio eſt ſuffectus. Magnificum hic Templum extruxit, Divo Joanni Baptiſtæ ſolemni ritu dedicavit, ac ſuperbis circum ædificiis magno ſumptu poſitis exornavit.

Eo autem anno, quo Pelagius Pontifex cooptatus, ingens Barbarorum multitudo ex Francis, Germaniſque conflata, Ducibus Lauthere, & Bucelino, Gothorum incendium ſuſcitatura, in pacatam jam Italiam, violenti inſtar torrentis effuſa, magnaque illius parte cædibus, ac rapinis vaſtata, in Campaniam pervenit. Narſes, ne amœniſſimam, ac feraciſſimam Provinciam fœdarent, obviam illis vadit, commiſſoque ad Capuam prælio, magna occidione delevit: duo, & ſeptuaginta millia cum Bucelino uno ex Ducibus in acie cæſa: reliqui fuga diſperſi. Lautheres ſacris ſpoliis onuſtus in agro Veneto propriis ſe morſibus laceravit. Narſes è barbaris triumphans ingenti lætitia Neapoli exceptus: habitæque per omnia Divorum Templa ſupplicationes, ludique magno concurſu celebrati. Ea verò tam male ominata expeditione fatalem ſuis futuram Italiam gentes illæ didicerunt. Quieverunt res inde, donec Juſtinus II. Cæſar creatus. Etenim Juſtiniano, poſtquam unde quadraginta annos regnaſſet, extincto, Juſtinus Dulciſſimi

filius

filius ex Vigilantia Juſtiniani ſorore, Senatu poſtulante, Cæſar renunciatus: & Sophia ejus uxor Theodoræ neptis Auguſta ſalutata. Qui ſub initium Principatus quam diſſimilis avunculo futurus eſſet, ſtatim apparuit; nam præter avaritiæ, inertiæque, aliorumque vitiorum ſordes, ea vel maximè notabatur, quod uxorius vir, ad arbitrium conjugis impotentis fęminæ, ſe, ſua omnia, totumque Imperium dirigebat: quocirca cuncta in pejus ruere brevi cęperunt: non intelligente ignavo Principe in quantam perniciem fęminarum impotentia florentiſſima etiam imperia conjeciſſet. Qui æquè, ac ſanctè adminiſtrare regna cupit, longe uxores, ac pellices à publicis rebus ſubmoveat: quarum eſt domeſticæ rei, non publicæ curam habere; educare liberos, non regere exercitus; fuſum, non arma tractare: & male is populos in fide continebit, qui nec ſe, nec fęminas continere didicerit. Sophia æmulorum invidia, qui Narſetis gloriæ invidebant, incenſa: inque illum ob fictas cauſſas irritata, revocari eum ex Italia jubet. Haud expedire dictitans, ut Eunuchus, ac ſemivir bellum, tantamque Provinciam adminiſtraret; dignumque eum eſſe, ut inter aulæ pediſſequas nendo, texendoque operam melius navaret. Narſes Auguſtę injuria accenſus; ſeque deſpectum videns, quaſi non ipſe is eſſet, qui Gothos debellaſſet, Italiam aquiſiviſſet: Francos, ac Germanos fudiſſet: tot gentes, tot urbes ſubegiſſet: Texam, fertur dixiſſe, telam, quam nec ſuperba Auguſta, nec ignavus maritus extricabit; ſtatimque exercitum dimiſit. Mox vindictæ cupidus ad Alboinum Longobardorum Regem ſcribit, ut ex Pannonia in Italiam exercitu vacuam deſcendat: ſe Neapolim recepturum: futurumque ex ea urbe tragediæ ſpectatorem, utque illum facilius alliceret, dulciſſimos Italicæ terræ fructus tranſmiſiſſe, quibus barbarus illectus, occaſionem illicò arripuit, infeſtoque agmine in Italiam venit.

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ
LIBER QUARTUS.

SEd jam ordo hiſtoriæ expoſcit, ut quando de Longobardis, qui diù Italiam vexaverunt, noſtraque cum urbe, quæ ſola barbaris hiſce ſe oppoſuit, perpetua bella geſſerunt, ſcripturi ſumus, pauca de illorum origine noſtro more perſtringamus. Ferociſſimam hanc gentem ex eadem Septentrionali peninſula, quæ Scandia, & Scandinavia veteribus appellata, ex qua Gothi, ac Vandali prodierunt, ortum habuiſſe plerique authores tradiderunt. Ex Langa alii peninſula, quæ Plinio Langus dicitur, & Saxoniam inter, & Scandiam ipſam poſita eſt, erupiſſe primùm crediderunt: ex eaque gentis denominationem deducunt, quaſi Langlii ἄνδρες Græcis nuncupati, Latinis viri Langlii. Quidam ex Lingonibus Galliæ Populis, Bardiſque Germanis coaluiſſe; atque ob id Longobardos vocitatos fuiſſe memoriæ prodiderunt. Cęterum quod ad cognomen gentis ſpectat, ſunt qui ita dictos volunt, quod ſoli inter Germanos longas, ac prolixas barbas geſtarent. Alii eo nomine appellatos perhibent, quod craſſæ Minervæ, ſtolidique eſſent. Saxones enim, juxtà quos primùm habitarunt, obtuſæ aciei homines, ac rudes Longobardos dicunt. Nonnulli ab Italis ortum cognomen putant, qui proceros homines, quales Longobardi erant,

Lon-

Longos Barbaros vocaverunt: contracto deinde vocabulo, Longobardi audierunt. A quibus tota ea Italiæ pars, quæ Hetruſcos inter, & Alpes jacet, Galliamque Ciſalpinam veteres nuncuparunt, Longobardia ab Italis ſecutis inde temporibus, dicta. Horum populorum meminiſſe Tacitus creditur: eoſque Langlios vocaſſe; quos inter Germaniæ gentes adnumerat.

Hi igitur barbari, undecumque appellati, ſub annum CCCLXXXIV., ingenti annonæ penuria vexati, patrias ſedes, in quibus magno numero excreverant, reliquerunt, proximamque Balthici maris inſulam nomine Rugiam à Germaniæ continente modico freto diſiunctam, tenuerunt; Duceque Ajone, quem multitudini præpoſuerant, ejectis Vandalis, qui illam occupaverant, ſibi ad incolendum vindicarunt. Ajone extincto, ejus filium Angelmundum in Ducem, Regemque eligunt. Germani, qui ſe illis opponere principio potuiſſent, ſupini neglexerunt; rati fore, ut ea ſe inſula continerentur. At ſua eos opinio fefellit. Nam inter anguſtos fines magna incendia non continentur; nec fluvii, diluvio ſuperveniente, anguſti alvei terminos patiuntur, ſed ruptis vi repagulis proximos agros inundant. Longobardi poſtquam XC. circiter annos ſub Regibus Angelmundo, Lamiſſione, ac Letho anguſtas ejus inſulæ ſedes, nec tantæ multitudini, quæ in dies augebatur, ſufficientes, incoluiſſent, Gelderccho Lethi filio regnante, deſerverunt, inque Germaniam trajicientes, vicinam Saxoniam occupaverunt. Hic cum ab indigenis premerentur, ulterius progreſſi, plurimiſque Saxonum adjunctis, in Danubium pervenerunt: in cujus ripa ſedes, Vindelicia occupata, fixerunt. D. Severinus, qui in eam provinciam proceſſerat, primus ferociſſimam gentem mitigavit; plurimoſque eorum Chriſtianis ſacris inſtruxit. His autem in ſedibus ſub Regibus Geldercho, Claſone, Tadone, & Valtario uſque ad annum DXXV. pacati quieverunt. Andoinus IX. Rex non contentus his finibus, intra quos ſui ſe majores tenuerant, in Pannones arma movit, multiſque eos præliis fractos ſubegit: quo mortuo Alboinus major ex natis ſucceſſit. Qui à Narſete ad occupandam Italiam invitatus, eas provincias Avarico Hunnorum Regi, ea conditione conceſſit; ut ſi minus proſpera fortuna in Italia fuiſſet, revertenti ſibi in antiquas ſedes, ne locus ad incolendum negaretur. Rebus ita conſtitutis, anno DLXVII., qui & Italiæ, & Imperio fatalis fuit, Alboinus, relicto Danubio, Gepidiſq; Saxonibus, ac Bulgaris in ſocietatem aſſumptis, cum CC. Barbarorum millibus, uxores, liberos, quæque aſportari poterant, ſecum trahentibus, infeſtis in Italiam ſignis movit. Quibus ſi concordes ſuo ſub Duce Itali occurriſſent, repetitæ haud dubio Cimbrorum, ac Teutonum clades fuiſſent. Sed ita eorum fatum ferebat,

ut

ut ab externo Duce vindictæ cupido proderentur. Joannes III., qui tum Eccleſiæ præerat, audito Longobardorum adventu, Neapolim ad Narſetem venit: eumque ut ſe hoſti armatus opponeret, & authoritate, & precibus exoravit: neque vellet partam tot palmis gloriam corrumpere, atque eas gentes prodere, quas ipſe Gothorum ſervitute ſumma felicitate, fortitudineque liberaverat; nec in Italiam, quam victor Imperio reſtituerat, iterum barbaras gentes intrare permitteret. Daret ſuæ virtuti, aſſertiſque ab ſe populis, quod fortaſſe ingrati Principes non merebantur. At quoniam ſera admonitio eſt, ubi jacta jam alea, nihil impetrare Pontifex potuit. Alboinus jam caſtra moverat, Narſete invitante, accenſis cupidine barbaris, hoc ira: quæ ubi exarſere, haud facile extinguntur. Unum tamen Joannes obtinuit, ut ſecum Romam aliquod malis remedium ſua ſaltem præſentia allaturus, veniret. Sperabat Pontifex fore, ut tempore, atque aſſiduis precibus molliretur. Vix Romam ingreſſi, cum Narſes, morbo ex mœrore animi concepto, intra paucos dies extinctus, ſpemque omnem ſalutis præcidit. Vir ſanè egregius, & futurus apud poſteros glorioſus, niſi illuſtrium victoriarum gloriam impotenti ira ad extremum vitæ obſuſcaſſet.

In Narſetis locum Longinus Patritius, qui jam cum Imperio in Italiam miſſus à Juſtino fuerat, ſucceſſit. Hic novum in Italia regimen, novos magiſtratus induxit: Ravennæ, in qua Gothi regnaverant, ſede collocata, ſe non Ducem, ſed Exarchum vocari juſſit, qua appellatione is, qui Africæ præſidebat, nuncupari conſueverat: ſublatiſque Conſularibus, ac Præſidibus, novos Præfectos Duces, uti Neapoli fiebat, dici voluit; Judiceſque, qui cauſſas recognoſcerent, ſingulis civitatibus conſtituit. Re civili ordinata, ad bellum, quod maximum imminebat, ſe totum applicuit. Romam, & Ravennam validis præſidiis munit: quæ loca ad Alpes erant, & quæ primum barbarorum impetum exceptura, validiſſimis operibus, militibuſque firmavit. Dum hæc Longinus ad tuendam Italiam ſollicitè præparat, & quam maximas copias ſcribit, atrox peſtilentia, ut imminentem à barbaris cladem hæc etiam calamitas præcurreret, oborta eſt, quæ illico tam ſæva contagione graſſari cepit, ut intra breve tempus innumeros mortalium abſumpſerit. Alboinus ratus vacuas peſtilentia urbes ſe facilè occupaturum, celerare iter inſtitit, quod tantæ multitudini expeditum eſſe non poterat. Tandem Kal: Aprilis anni DLXVIII. in Forum Julii Pannonicis Alpibus ſuperatis, magni inſtar torrentis cum tota ea multitudine ſe effudit, eamque fertiliſſimam Italiæ regionem, nullo prohibente, occupavit. Ibique Giſulpho nepote, qui eam regeret, eique Italiæ limiti excubaret, cum delecta manu relicto, in Venetos contendit, ac primo impetu Vincentiam, Veronam, Mantuam,

tuam, & vicina his oppida in poteſtatem accepit. Tanta barbarorum multitudo, ac ferocitas erat, tanto mortis contemptu in pericula irrumpebant, ut territæ gentes, ſociorumque præſidio deſtitutæ, ſe illicò dederent. Anno deinde DLXXI. Mediolanum victor ingreſſus, in Ligures arma movit, quos ubi victos ſuæ ditioni adjecit, Ticinum, in quo validum præſidium Longinus poſuerat, obſedit, quam urbem nonniſi poſt tertium annum obtinuit: ne urbem diriperet, miraculo deterritus. Papia capta, tota ea Italiæ parte, quæ Alpes inter, & Padum jacet, tribus annis potitus eſt. Adeo facile eſt continuare victorias, ubi ſecunda uti fortuna quis cœperit. Interea Longinus Ravennæ tam lugubris tragœdiæ ſpectator ſedebat. Vir vel pacis tempore ea præfectura indignus, aptiorque parare bellum, quam gerere. Et neſcio noſtro ne fato, an potius peccato factum, ut noſtra in damna ſupini torperemus. Alboinus tot victoriis clarus, Roſimundæ conjugis fraude circumventus, non multo poſt Papiam captam, interfectus, injuſti belli pęnas perſolvit. Hæc ira ardens quod vir in patris Curimundi cranio ſibi vinum propinaſſet, Helmingem mariti armigerum, & Peredeum incitat, ut Alboinum interficiant, facta illis etiam ſui corporis poteſtate. Viro cæſo cum Helminge Ravennam ad Longinum confugit. Ibi Longino ſuadente Helmingi nupſit. Mox tędio novi conjugis, atque à primo diſparis, medicatum illi poculum inter epulas præbuit. Helminges venenum ſuſpicatus, reliquum poculi haurire illam coëgit, itaque ambo ſublati parricidii, & libidinis pęnas dederunt, & Alboinus tot Italorum manibus, quos barbarè occiderat, ſuomet ſanguine, ac conjugis opera litavit. Alboino Clefis ſuffectus: qui poſtquam annum, & menſes quinque regnaſſet, à ſervo interemptus. Quo ſublato, X. annorum interregnum ſecutum eſt. Etenim cum ob nimiam potentiam, & luctuoſum duorum Regum exitum, odioſum Longobardis regium nomen eſſet, eo expuncto, ſex & triginta Duces, ſeu verius tyrannos crearunt, eoſque præcipuis urbibus, populiſque, quos ſubegerant, præfectos impoſuerunt. Cæterum uti graviſſimi authores tradunt, antiquus apud Longobardos mos fuit, Duces creare, qui in varias legiones diviſos exercitus, atque urbes adminiſtrarent. Hi verò perpetuine, an ad certum tempus conſtituerentur; neutiquam ſcriptum apud quempiam invenio. De tribus autem apud Sigonium, aliosque authores factam continenter mentionem eſſe reperio. Nimirum Foroiulienſi, qui in ipſo Longobardorum ingreſſu, quaſi viæ cuſtos conſtitutus: utque in eo limite toti Italiæ, tamquam è ſpecula excubaret: Spoletano, quem idcirco crearunt, ut ea regio, quæ inter Romam, & Ravennam erat, quas urbes Græci tenebant, eo præſidio validius defenderetur: Beneventano, qui ditionis ampli-

plitudine, ac potentia eos Italiæ terminos contra Græcos tueretur, qui cum Apuliam, Calabriam, Campaniamque in poteſtate haberent, præpotentes illarum viribus ducebantur.

Quia verò Beneventana Tetrarchia Foroiulienſi, ac Spoletina opibus, ac potentia longè clarior noſtro in Regno fuit: & quâcum Neapolitani perpetua fermè bella habuere, non erit præter inſtitutum, ſi quo tempore illius fundamenta poſita fuerint, ex vetuſtarum rerum memoria eruamus. Paulus Diaconus, accuratus cæteroqui author, ab Autharitho Rege originem traxiſſe, memoriæ tradidit, cum hic univerſam victor Italiam, ſub Regni finem, Rhegium uſque peragravit: captoque tum Benevento, Zutonem ei Principem impoſuit. Sigonius minimè ab hoc diſſentire videtur; ſiquidem anno DLXXXIX., qui penultimus Autharitì fuit, Principatus inſignia Zutonem accepiſſe, hiſtoriæ mandavit. Leo Oſtienſis anno DLXXI. Zutonem iniviſſe Principatum tradidit, ex quo uſque ad annum DCCCXCI., cùm Græci Beneventum receperunt, anni CCCXX: intercurrunt. Orientalis Imperii annales Venetiis evulgati, quibus Caſſinatium Manuſcripta aſſentiuntur, CCCXXX. annos Beneventum Longobardos tenuiſſe commemorant, quibus ſi adhibere fidem velimus, ortum eum Principatum anno DLXI., multo ante, quàm Alboinus in Italiam deſcenderet, aſſerere neceſſum eſt. Neque veri ſpeciem habet, Beneventanæ initia Tetrarchiæ ab jis Longobardis deducta, qui à Græcis in Italiam contra Gothos advocati pro Imperio militarunt. Hi enim neque ditionem in Italia obtinuerunt, neque unquam Benevento potiti ſunt; uti Græcus quidam author commentus eſt. Alii primam Orientis annalium editionem, Beneventanorumque Ducum catalogum ab Ammirato viro gravi, ac ſolerti evulgatum ſecuti, Beneventanam Tetrarchiam ab ingreſſu Alboini anno DLXXI. inſtitutam opinati ſunt, anno autem DLXXIII. ob interregnum, à Regum poteſtate exemptam: etſi XX. tantùm annos, non verò XXVIII., ut vult Ammiratus, regnaſſe Zutonem rectè arbitrentur; ut nimirum CCCXX. anni definirentur, quibus Beneventana ditio permanſit. Horum ipſe ſententiæ facilè aquieſcerem, ni ille adhuc animo ſcrupulus inhæreret; vix ſcilicet veriſimile in ipſius irruptionis exordio tam longè Longobardos arma circumtuliſſe. Quod vero ad terminos ditionis attinet, ampliſſimam eam fuiſſe, nemo ambigit: & quamquam certos ejus limites nullus definiverit, nihilominus pro certo eſt Samnium univerſum, majorem Campaniæ, Dauniæque Apuliæ partem, Picentinos, Lucanos, Marſos, Pelignos, Marrucinos, ac Frentanos ſub Imperio continuiſſe. Etſi pro varia belli fortuna, modo amplificata victoriis, modo reſtricta cædibus fuerit.

In-

Interea Neapolis, quæ procellam ab Aquilonari plaga ſævientem, latèque per Italiam effuſam evitaverat, in alteram à Meridie improviſo turbine ingruentem incurrit: qua penè obruta, miraculo evaſit. Barbari quidam, ut in Divi Agnelli vita D. Fortunatus ſcripſiſſe perhibetur, (hos Summontius, aliique Saracenos fuiſſe tradiderunt, lapſi errore temporum; nam Saraceni nonniſi ſub finem Heraclii innotuere, & multo poſt Ægypto occupata, in Africam arma, atque ex hac in Italiam intulerunt: Africanos autem illos fuiſſe, non improbabile) ingenti navium claſſe comparata, in Campaniam navigarunt; navibuſque egreſſi excurſionem fecerunt. Cum autem prima reſpondiſſent, Neapolim ex improviſo adoriuntur, ac, vi facta, per Portam Ventoſam ad portum ſitam intra mœnia irruperunt, perque urbem ſubito malo attonitam excurrentes, ad montem uſque ubi Circus, & Forum erant, victores progreſſi. Agnellus, qui tum preces ad Deum fundebat, ut fugientis populi clamorem, fęminarumque ejulatus excepit, ratus urbem in hoſtium poteſtate eſſe, Servatoris è Cruce pendentis ſignum, quo nullum potentius in barbaros telum eſt, raptim accepit, eoque armatus, ingentique ſpe plenus obviam hoſti vadit. Barbari, eo ſigno viſo, ſtatim perterriti, terga vertunt, inque litus non ſecus, ac ſi victrice multitudine premerentur, confugiunt: hic tanta trepidatione naves conſcendunt, ut plurimi ſe mutuò præpedientes mergerentur: plurimique etiam capti, pauci in Africam, unde veniſſe creditum, incolumes redierunt. Neapolitani tanti benificii memores, eo loco, in quem uſque barbari victores pervenerant, clavum veteri more fixerunt, Eccleſiamque inſtruxerunt, Angeloque Michaeli dedicarunt, quę ad ſignum ad hanc uſque ætatem nuncupatur. Quidam in ſecuta mox tempora hanc barbarorum incurſionem rejecerunt, ſæpius ipſe eveniſſe arbitror, ut D. Agnelli beneficio urbs à barbaris vindicaretur; & ſic facta, & tempora ab authoribus perturbata.

Porro Longobardi diviſa in tot Principatus Italia, fręnoque Regiæ poteſtatis excuſſo, nullum immanitatis, atque avaritiæ genus erat, quod in miſeras gentes non exercerent, ſacras Divorum ædes, cœnobia, Sacerdotes, dicataſque Deo virgines, quæ veluti ſancta reliqui barbari ſumma veneratione habuerunt, ipſi incredibili crudelitate, cupiditateque vexabant. Quibus permoti Saxones, qui unà cum illis in Italiam venerant, tantamque ſævitiam execrati, in Germaniam redierunt. At Longobardi nihil Saxonum diſceſſu permoti, ad totius Italiæ poſſeſſionem obtinendam curas convertunt, ratique nunquam ſe illam adepturos, niſi Romam, Ravennam, ac Neapolim ſubegiſſent, eas urbes occupare ſtatuunt. Coactis inde in unum copiis, Romam pergunt, validaque urbem obſi-

obſidione cingunt. Cum autem vi eam obtinere deſperarent, fame capere decernunt. Sequenti anno Tiberius Cæſar, qui Juſtino ſucceſſerat, inſtructa multarum navium claſſe plurimum obſeſſam in urbem commeatum immiſit. Barbari cum nec fame urbem capere ſe poſſe intelligerent, obſidionem ſolvunt, atque indecores recedunt, amiſſaque ſpe Neapolis potiundæ, Ravennam animo meditabantur. Pelagius Pontifex, veritus ne barbari, novo exercitu comparato, ad obſidendam iterum urbem redirent, Cæſarem, ut nova auxilia in Italiam mitteret, vehementer per ſuos Legatos rogavit; nihil enim ſpei in Longino eſſe, qui (propria quoniam mala, quam aliena nos acrius ſtimulant) Ravennam ſervare potius, quàm Romæ ſuccurrere ſatagebat. Id ubi Cæſar intellexit, Longinum ignavum hominem, ſpectatoremque ejus belli, non verò actorem, in Orientem revocat, novum Exarchum Smaragdum Patricium novo cum exercitu navigare Ravennam jubet: eique vel in primis mandat, ut quibus maximis viribus poſſet, Romam defenderet, in quam Gregorium Ducem, & Caſtorium Magiſtrum Equitum, ut exercitui præeſſent, ac tuendæ urbis curam ſuſciperent, proficiſci imperat, utque Romano Pontifici præſto eſſent, atque illius conſilio cuncta adminiſtrarent, ſummoperè injunxit.

At Longobardi poſt X. annorum interregnum, regii nominis iterum deſiderio accenſi, abolita jam per tot annos nimiæ potentiæ invidia, ſuorumque Ducum vel ipſi impotentis dominationis pertæſi, comitia creando Regi edicunt, in quibus communi conſenſu Autharitum demortui Clephis filium Regem ſalutant. Qui barbaræ gentis XII. Rex fuit: III. vero ab Alboino, qui Longobardorum regnum in Italia inſtituit. Ut autem nominis ſui odioſam Italis populis duritiem emolliret, Flavium ſe vocari voluit, quo inde prænomine cæteri Longobardorum Principes appellati. A quibuſdam Apthacarium vocatum reperio, variantibus in barbarorum nominibus plerumque authoribus. Eo creato, Duces, qui Provinciis, urbibuſque præfuerant, dimidium bonorum, quæ iniquè acquiſiverant, ad regios uſus contulerunt, rati ſuſpectos Principibus eſſe, qui nimias opes obtinuiſſent, eaque ſpontanea oblatione ſe tutò reliqua poſſeſſuros.

Dum hæc à barbaris gerebantur, Neapoli Candida junior nobilis Matrona, inſigni pietate, magniſque virtutibus floruit. Hæc nobili viro nupta vitam innocentiſſimè tranſegit, cæteriſque Matronis omnium virtutum, & earum præcipuè, quæ nobili in fœmina deſiderari poſſunt, abſolutum exemplar exhibuit. Viro inde orbata, pari laude in viduitate vixit; tandem ſexagenaria magna ſanctimoniæ fama diem obivit; atque inter Divos relata. Corpus in æde D. Andreæ ad Nilum eleganti tumulo, qui adhuc viſitur, Chri-

ſtiano ritu collocatum, plurimis poſt mortem ſignis mirificè claruit. Neapolis civem optimam inter Tutelares numeravit. Eam è nobili, vetuſtaque Brancaciorum familia, quæ tanta fœmina multis heroibus præferenda merito gloriatur, originem traxiſſe, Scriptores tradunt.

At Tiberio è vivis ſublato, Mauritius, qui ob egregias virtutes dictus jam Cæſar ab eo fuerat, Auguſtalia accepit. Pelagius novi Imperatoris inauguratione comperta, Italiæ, quam Longobardi immaniter lacerabant, miſeratione permotus, Romæque timens, cui continuò inhiantes barbari imminebant, Legatos ad novum Cæſarem mittit; ut enarratis Italiæ malis, hoſtiumque crudelitate expoſita, auxilium adverſus tantam calamitatem expoſcerent. Mauritius Italiæ miſeriis, ac Pontificis authoritate motus, opitulari afflictis ſtatuit. Quia verò, aliis bellis implicitus, novas copias mittere non valebat, ingentem pecuniæ vim Childerico Francorum Regi tranſmiſit, ut ea conſcripto Gallorum exercitu, Longobardos communes hoſtes, qui fidem toties utrique fregerant, armis aggrederetur. Hic Duce cum exercitu in Italiam miſſo, malè adverſus Autharithum pugnavit, ſeròque doctus Mauritius ad debellandos hoſtes non bene ſpem in exteris poni: ſatiuſque ſi ea pecunia exercitum in Italia conſcripſiſſet; qui ſe acrius in libertatem aſſeruiſſent. Autharithus & indole ferox,& victoria inſolens, poſtquam in varias ſe partes moturum ſimulaſſet, ex improviſo victorem exercitum in Samnium induxit, cujus oppida, cum modicis præſidiis tenerentur, illicò occupavit. Tum captum Beneventum, Zutonemque Ducem inſtitutum plures tradunt; confirmatum verò in eo Principatu, captaque oppida adjuncta veteri ditioni, Alii, ut ſuperius relatum, non levibus conjecturis opinantur. Autharithus Fortunæ impetu, quo nihil in bellis potentius, ſtatim uſus totam ulteriorem Italiam excurrit, Rhegiumque Julium, poſtremum Italiæ oppidum delatus, cuſpide mucronatæ ſecuris, quam barbari Alabardam vocant, columnam Rheginam eo litore poſitam, percuſſit, & huc uſque, inquit, Longobardorum imperium erit: quæ inde à barbaro Rege nomen apud indigenas obtinuit. Scio quoſdam eſſe, qui hanc Autharithi in ultimos Italiæ fines expeditionem negaverint, ea ratione ducti, quod nunquam Longobardi Calabriam ſub ditione tenuiſſent. Ego excurſionem eam fuiſſe duco, qua præter agrorum vaſtationem nihil ſolidi acquiſivere. Siquidem eo, & ſecuto mox tempore Græci Calabriam, Apuliam, Ravennæ exarchatum, Romam cum finitimis, Neapolim, reliquaque campaniæ maritima obtinebant. Amalphis in Reipublicæ formam ſuo ſe jure regebat. Cætera Longobardi dura ſervitute vexabant.

Porrò, Zuto Beneventi Dux, Chriſtianæ Religioni infenſiſſi-

 mus,

mus, pecuniæque avidus, quam qui maximè, cum accepiſſet, in Caſſinate Cœnobio immenſas ſacrorum vaſorum divitias eſſe, plurimumque ſignati auri, argentique, occupariqne cuncta facile poſſe, clam Benevento cum armatis digreſſus, Caſſinum ſumma celeritate pervenit, noćteque intempeſta Monaſterium invaſit; Monachiſq; ad inopinam invaſionem trepidantibus, cepit: cuncta diripuit; cœnobiumque penè evertit, Beneventum cum preda ovans revertitur, viſuſque ſibi fortis, & callidus, quod ſacrilegio, ac fraude Principatum aſpicatus eſſet. Monachi unà cum Bonito ipſorum Præpoſito, aſſumpta D.Benedicti Regula, & quod ex ſacra ſupellectile auferre in ea trepidatione poterant, miraculo evaſerunt. Romam inde petierunt, ibi à Pelagio benignè accepti; locum juxta Lateranum ad incolendum ab eodem habuere, ibique magnifico cœnobio extructo, ad CXXX. annos permanſerunt.

Interea Franci nova pecunia à Mauritio accepta, novam expeditionem in Longobardos, quos vicinos vix ferre jam poterant, ſuſceperunt; verum Italiam ingreſſi, nihil memorabile geſſerunt, imo non aliter, ac ſi hoſtes eſſent eam barbaro ritu depopulati: magis nimirum ad ſua commoda, quam ad alienam utilitatem intenti. Mortuus tamen eo bellorum motu Antharithus, eoque extincto, levata paululum Italiæ calamitas, Rodelindæ uxoris ſuffragio cui eligendi Regis poteſtatem Longobardi fecerant, Agilulphus, qui Taurinorum Dux fuerat, Rex ab ordine, populoque ſalutatus. Hic Theolindam religioſam feminam uxorem duxit; eaque adhortante, Gentium ſuperſtitione ejurata, Chriſto nomen dedit, Pauluſque in luſtratione appellatus eſt, mitior in Catholicos fuit, uxoriis primum illecebris, mox Chriſtiana Fide emollitus.

Sub hæc tempora Demetrius Neapolitanus Antiſtes, cum non eas virtutes præ ſe ferret, quibus ornari Præſules conſueverunt, ac Mopſueſteni errores, qui tribus capitulis continebantur, tueretur, in ordinem redactus, eique Paulus ſuffectus. Hic ad cognoſcendam Demetrii cauſſam Legatus à Gregorio, qui Pelagio peſtilentia ſublato ſucceſſerat, eſt miſſus: cumque egregiarum virtutum ſpecimen præberet, Præſul à populo eſt ſalutatus: exin cum in Luculliano à Clementiæ nobilis Matronæ famulis injuria eſſet affectus, urbe diſceſſit, inque Nepeſinam Eccleſiam, ex qua accitus fuerat, reverſus. In ejus locum Florentius ire juſſus. Qui multis lacrymis à Gregorio, cujus Subdiaconus fuerat, obtinuit, ut eo onere, cui ferendo ſe imparem profitebatur, tempeſtivò levaretur. Fortunatus vir & vitæ innocentia, & prudentiæ laude conſpicuus creatus eſt, quo ſane calamitoſis illis temporibus Eccleſia maximè indigebat, divinoque conſilio factum, ut viro ſancto recuſanti, ſanctus etiam ſubrogaretur; & ut quemadmodum humilitatis unus, ſic alter obedientiæ exemplum eſſet.

At

At Zuto Beneventi Dux nomine, re Tyrannus, omnia tum Apuliæ, tum Calabriæ loca depopulabatur. Neapolim invadere non auſus, in ultimos Italiæ fines prædonis ritu arma circumtulit. Lucanos primum, mox Brutios vaſtavit, Crotonem, quem valido præſidio Græci tenebant, obſedit: multoque labore, ac ſuorum cæde captum diripuit: cumque tenere non poſſet, cives omnes ſecum captivos abduxit. Qui deinde, deprecante Gregorio Pontifice, grandi pecunia redempti, in patriam remiſſi, urbem, adnitentibus Græcis, inſtaurarunt.

Dum hæc à Zutone agebantur, Neapoli D. Agnellus ſexagenario major, ultimum diem ſanctiſſimè obivit, inque Virginis æde, quam à Miſericordia populares vocant, ſacro more tumulatus. Exequiis Fortunatus Præſul interfuit: qui illis perſolutis, in ara maxima corpus collocavit. Sanctiſſimus hic vir Neapoli nobilibus parentibus ortus, ex eademque familia, ex qua D. Lucia originem duxit, ejuſque parentes è Sicilia Neapolim commigraſſe perhibentur. Mater diu ſterilis, voto ſe Virgini obſtrinxit, ædem ſe illi dedicaturam, ſi prolem ſuſcepiſſet. Voto edito, Agnellus conceptus, eoque in lucem orto, ſe mater religione exſolvit. Agnellus ubi è pueris exceſſit, ex patriis bonis noſocomium ædificavit: inque eo plures annos ægrotis, ſumma humilitate, charitateque miniſtravit. Ejus autem ſanctimoniam pluribus Deus ſignis palam popularibus fecit, atque ob id ſumma veneratione colebatur. Humilliſimus vir ab humanis ſibi laudibus timens, in Pelignos aufugit: inque aſperrimis vitam montibus diu toleravit. Anno DLXX. Dei monitu, in patriam, relicta ſolitudine, reverſus, eique cœnobio, quod Divus Gaudioſus inſtituerat, invitus præpoſitus: poſtquam verò plures illud annos rexiſſet, plurimaq; virtutum exempla præbuiſſet, multarum palmarum faſce onuſtus, in Cœlum migravit. Non multo poſt obitum Fortunato Præſule procurante, à Gregorio P. M. in Divos relatus, atque à civibus ſuis uti Patronus eſt ſalutatus. Cui poſt D. Januarium, qui primas obtinet, multum Neapolis debet, eumque uti benefactorem maximum, maxima religione veneratur. Plurima alia de D. Agnello in ejus vita, à Joanne Neapolitano, non verò à Fortunato ſcripta narrantur, quæ uti portentoſa, nec verò ſimilia, meritò ab aliis Scriptoribus exploduntur.

Tertio anno ab obitu D. Agnelli, Fortunatus Antiſtes mortalitate ſe exuit, Diviſque adnumeratus: cadaver in æde D. Euphebii ſolemni ritu tumulatum. Vir fuit, & ſanctimonia, & eruditione clariſſimus; gregemque à barbarorum contagione fortiſſimè vindicavit; Plurimas ad eum D. Gregorius epiſtolas ſcripſit: eumque plurimum commendat, dignum ſanè, qui tanti Pontificis laude ornaretur. Fortunato è vivis ſublato, dum novo Pontifici cooptando

mus, pecuniæque avidus, quam qui maximè, cum accepiſſet, in Caſſinate Cœnobio immenſas ſacrorum vaſorum divitias eſſe, plurimumque ſignati auri, argentique, occupari que cuncta facile poſſe, clam Benevento cum armatis digreſſus, Caſſinum ſumma celeritate pervenit, noɛteque intempeſta Monaſterium invaſit; Monachiſq; ad inopinam invaſionem trepidantibus, cepit: cuncta diripuit; cœnobiumque penè evertit, Beneventum cum prӕda ovans revertitur, viſuſque ſibi fortis, & callidus, quod ſacrilegio, ac fraude Principatum aſpicatus eſſet. Monachi unà cum Bonito ipſorum Præpoſito, aſſumpta D.Benedicti Regula, & quod ex ſacra ſupellectile auferre in ea trepidatione poterant, miraculo evaſerunt. Romam inde petierunt, ibi à Pelagio benignè accepti; locum juxta Lateranum ad incolendum ab eodem habuere, ibique magnifico cœnobio extructo, ad CXXX. annos permanſerunt.

Interea Franci nova pecunia à Mauritio accepta, novam expeditionem in Longobardos, quos vicinos vix ferre jam poterant, ſuſceperunt; verùm Italiam ingreſſi, nihil memorabile geſſerunt, imo non aliter, ac ſi hoſtes eſſent eam barbaro ritu depopulati: magis nimirum ad ſua commoda, quam ad alienam utilitatem intenti. Mortuus tamen eo bellorum motu Autharithus, eoque extincto, levata paululum Italiæ calamitas, Rodelindæ uxoris ſuffragio cui eligendi Regis poteſtatem Longobardi fecerant, Agilulphus, qui Taurinorum Dux fuerat, Rex ab ordine, populoque ſalutatus. Hic Theolindam religioſam fęminam uxorem duxit; eaque adhortante, Gentium ſuperſtitione ejurata, Chriſto nomen dedit, Paulusque in luſtratione appellatus eſt, mitior in Catholicos fuit, uxoriis primum illecebris, mox Chriſtiana Fide emollitus.

Sub hæc tempora Demetrius Neapolitanus Antiſtes, cum non eas virtutes præ ſe ferret, quibus ornari Præſules conſueverunt, ac Mopſueſteni errores, qui tribus capitulis continebantur, tueretur, in ordinem redactus, eique Paulus ſuffectus. Hic ad cognoſcendam Demetrii cauſſam Legatus à Gregorio, qui Pelagio peſtilentia ſublato ſucceſſerat, eſt miſſus: cumque egregiarum virtutum ſpecimen præberet, Præſul à populo eſt ſalutatus: exin cum in Lucullano à Clementiæ nobilis Matronæ famulis injuria eſſet affectus, urbe diſceſſit, inque Nepeſinam Eccleſiam, ex qua accitus fuerat, reverſus. In ejus locum Florentius ire juſſus. Qui multis lacrymis à Gregorio, cujus Subdiaconus fuerat, obtinuit, ut eo onere, cui ferendo ſe imparem profitebatur, tempeſtivè levaretur. Fortunatus vir & vitæ innocentia, & prudentiæ laude conſpicuus creatus eſt, quo ſane calamitoſis illis temporibus Eccleſia maximè indigebat, divinoque conſilio factum, ut viro ſancto recuſanti, ſanctus etiam ſubrogaretur; & ut quemadmodum humilitatis unus, ſic alter obedientiæ exemplum eſſet. At

At Zuto Beneventi Dux nomine, re Tyrannus, omnia tum Apuliæ, tum Calabriæ loca depopulabatur. Neapolim invadere non auſus, in ultimos Italiæ fines prædonis ritu arma circumtulit. Lucanos primum, mox Brutios vaſtavit, Crotonem, quem valido præſidio Græci tenebant, obſedit: multoque labore, ac ſuorum cæde captum diripuit: cumque tenere non poſſet, cives omnes ſecum captivos abduxit. Qui deinde, deprecante Gregorio Pontifice, grandi pecunia redempti, in patriam remiſſi, urbem, adnitentibus Græcis, inſtaurarunt.

Dum hæc à Zutone agebantur, Neapoli D. Agnellus ſexagenario major, ultimum diem ſanctiſſimè obivit, inque Virginis æde, quam à Miſericordia populares vocant, ſacro more tumulatus. Exequiis Fortunatus Præſul interfuit: qui illis perſolutis, in ara maxima corpus collocavit. Sanctiſſimus hic vir Neapoli nobilibus parentibus ortus, ex eademque familia, ex qua D. Lucia originem duxit, ejuſque parentes è Sicilia Neapolim commigraſſe perhibentur. Mater diu ſterilis, voto ſe Virgini obſtrinxit, ædem ſe illi dedicaturam, ſi prolem ſuſcepiſſet. Voto edito, Agnellus conceptus, eoque in lucem orto, ſe mater religione exſolvit. Agnellus ubi è pueris exceſſit, ex patriis bonis noſocomium ædificavit: inque eo plures annos ægrotis, ſumma humilitate, charitateque miniſtravit. Ejus autem ſanctimoniam pluribus Deus ſignis palam popularibus fecit, atque ob id ſumma veneratione colebatur. Humillimus vir ab humanis ſibi laudibus timens, in Pelignos aufugit: inque aſperrimis vitam montibus diu toleravit. Anno DLXX. Dei monitu, in patriam, relicta ſolitudine, reverſus, eique cœnobio, quod Divus Gaudioſus inſtituerat, invitus præpoſitus: poſtquam verò plures illud annos rexiſſet, plurimaq; virtutum exempla præbuiſſet, multarum palmarum faſce onuſtus, in Cœlum migravit. Non multo poſt obitum Fortunato Præſule procurante, à Gregorio P. M. in Divos relatus, atque à civibus ſuis uti Patronus eſt ſalutatus. Cui poſt D. Januarium, qui primas obtinet, multum Neapolis debet, eumque uti benefactorem maximum, maxima religione veneratur. Plurima alia de D. Agnello in ejus vita, à Joanne Neapolitano, non verò à Fortunato ſcripta narrantur, quæ uti portentoſa, nec verò ſimilia, meritò ab aliis Scriptoribus exploduntur.

Tertio anno ab obitu D. Agnelli, Fortunatus Antiſtes mortalitate ſe exuit, Diviſque adnumeratus: cadaver in æde D. Euphebii ſolemni ritu tumulatum. Vir fuit, & ſanctimonia, & eruditione clariſſimus; gregemque à barbarorum contagione fortiſſimè vindicavit; Plurimas ad eum D. Gregorius epiſtolas ſcripſit: eumque plurimum commendat, dignum ſanè, qui tanti Pontificis laude ornaretur. Fortunato è vivis ſublato, dum novo Pontifici cooptando

comitia haberentur, diſſidium eſt ortum: quidam Joannem, quidam Petrum ſalutarunt. Ad Pontificem Max: controverſia eſt delata, qui cauſſa cognita, utrumque quod magnis vitiis notaretur, excluſit, noviſque comitiis habitis Paſchaſius eſt creatus. Qui nec ipſe omni labe caruit: nec iis virtutibus præluxit, quibus præditum eſſe Præſulem oportebat: idcirco ſæpius per epiſtolas à Romano Pontifice caſtigatus; utque ſuo muneri ſatisfaceret, admonitus. Non multo ante Zuto Beneventanus è vivis raptus, violentæ tyrannidis pęnas luiturus: in ejus locum ab Agilulpho Rege, Arechis, ſive, ut alii ſcribunt, Arechiſius, Giſulphi Foroiulienſis conſanguineus ſuffectus eſt anno DXCIII. Per eoſdem dies Romanus Patritius fato perfunctus. Cui Mauritius Conſtantinopoli ſucceſſorem in Italiam Romanum Gallicanum deſtinavit, qui IV. Ravennæ Exarchus numeratus eſt.

Porrò Arechiſius, ut novum Principatum, novis etiam victoriis augeret, inita cum Ariculpho Spoleti Duce ſocietate, arma in Græcos ambo intulerunt, fineſque illorum ingreſſi, cuncta hoſtiliter depopulati. Inde provincias partiti, Ariculphus in Romaniolam, Arechiſius in Campaniam ad Neapolim obſidendam exercitum induxit. Gregorius Pontifex, qui ob rerum geſtarum magnitudinem, Magnus inde appellatus, cognito Neapolitanorum periculo: veritusque ne Longobardorum regnum nova incrementa caperet, Joanni Ravennatium Antiſtiti injunxit, ut quo ſtatu Neapolitanorum res eſſent Exarchum doceret. Ob id Maurentius Ravenna Neapolim venit, inque ea urbe Dux conſtitutus, in quam Cæſaris ne, an Exarchi authoritate miſſus fuerit, incertum. At certum tamen eſt, Arechiſium obſidendæ Neapolis conſilium omiſiſſe, feceritne quod Maurentii virtutem timeret; an Gregorii authoritate permotus? haud equidem affirmare facile eſt. Eo enim tempore, quo Agilulphus Rex Chriſtianam Religionem amplexus fuerat, reliqui eum imitati venerari Pontifices, mitioreſque in Catholicos eſſe inceperunt. Quinimò Arechiſium à Gregorio rogatum ligna ex ſuis ſylvis ad Apoſtolorum Petri, & Pauli Templum ædificandum ſubminiſtraſſe, in quibuſdam vetuſtiſſimis monumentis ſcriptum invenio. Ex quibus res erui, mancas quamvis neceſſe eſt; ut aliqua ex illis hiſtoriæ lux afferatur.

Annus DCII. turbatas in Oriente res Græcorum excepit. Phoca nequiſſimus homo Cæſar ab ſeditioſis ſalutatus ab Iſtro, ubi cum legionibus excubabat, Conſtantinopolim cum exercitu venit; Mauritioque cum omni familia, immaniſſimo ſævitiæ exemplo, exterminato, imperium invaſit. Gallicano deinde Exarcho exauthorato, Lemigium Thracem novum Exarchum in Italiam miſit, Neapolim verò Guduinus ab eodem tyranno Dux creatus, venit. Nonnulli

Digitized by Google

nulli inter Neapolitanos hunc Duces non numerant; mendumque irrepſiſſe arbitrantur in epiſtola Gregorii Pontificis ad Guduinum Ducem Neapolitanum ſcripta.

Atqui non abs re puto, ſi pauca de Neapolitanis Ducibus, cæteriſque Magiſtratibus, quæ magnum hiſtoriæ lumen afferre poterunt, breviter noſtro more diſſeramus. Ab origine urbem Archontes, Demarchique regebant, Archontes ab Athenienſibus inſtituti, annuam primò poteſtatem, ut Romani Conſules, exactis Regibus, habuere, deinde prorogato Imperio decennalem magiſtratum obtinuerunt. Quales Neapoli antiquis temporibus eſſent, incertum. Hi verò ad Senatum, & Equeſtrem Ordinem pertinebant: Demarchi ad plebem, quemadmodum apud eoſdem Romanos Tribuni Plebis erant: qui ad nimiam Patrum potentiam frænandam, in ſacro monte primum creati. Nec aliter factum Neapoli exiſtimo, ubi cum duo civium membra eſſent, Ordo, & Populus: utrumque ſuos Principes habuiſſe ad civicam concordiam conſervandam, qua una Reſpublicæ ſubſtentantur, neceſſarium fuit. Plurima monimenta reperiuntur, in quibus Demarchi mentio ſæpe fit. Eſt etiam antiquiſſimus lapis, in quo *εὐδημία*: Bona Popularitas, inciſum, inque plebis gratiam factum nemo inficias ibit. Demarchum Barbarorum ætate Majorem populi Gregorius Pontifex appellavit.

Præter hos, inferiores magiſtratus fuere, qui res publicas adminiſtrabant. Horum primus Phretarchus nuncupatus, cui Curiarum, Tribunaliumque cura demandabatur. Phratriæ enim conventus hominum ſonant. Secundus Chalcologus dictus popularibus fuit, qui publicæ pecuniæ curam gerebat, inque ſacros uſus illam erogabat; Quæſtorem hunc Latini appellabant. Tertius Phroniſta: ſacrarum hic rerum ſolicitudinem, procurationemque gerebat, itàque dictus quod aliorum curam haberet. Curatores populi, Curioneſque à Romanis, & Parochi græco etiam vocabulo nuncupati. Quartus Diœcetes vocabatur. Erant autem hi Tribulium Sacerdotes negotiorum adminiſtratores, ac procuratores. De his etiam Cicero meminit oratione, quam pro C. Rabirio habuit. Quintus Agoranomus, qui ſcilicet Annonæ præficiebatur. Ædilem Latini vocare conſueverunt. Qui magiſtratus plurimum Neapoli ſemper habitus, nihilque in ejus adminiſtratione deſiderabilius æquè, ac difficilius, quàm res frumentaria, qua ſcilicet una, & quies, & felicitas populi continetur. ſummis idcirco viris, qui non ſuam, non Principis, ſed populi rem curarent, committebatur. Auguſtus ſapientiſſimus Cæſarum, Præfecto urbis eam dari juſſit; ut nimirum rectius adminiſtraretur. Auguſti exemplum reliqui imitari Principes debent, ſi Patres Patriæ, populorumque Tutores vocari amant;

libe-

liberique à domeſticis turbis eſſe volunt. Nulla enim adeo populum res commovet, quam caritas annonæ: & tum maximè, cum aut ſupinos in ea re Principes, aut ærario potius, privatiſque commodis, quam publico bono, ac fęlicitati conſulentes, animadvertit.

Romanis deinde ritibus in civitatem inductis, Decuriones Municipiorum more creati: ex quibus Decemviri eligebantur, univerſaque urbs in ordinem, quo Patres continebantur, & Plebem diviſa eſt. Fuerunt etiam Conſules, qui an diſtincti à Decurionibus, non ſatis compertum habeo. Imo priſcis pariter temporibus Archontes, Conſules, ſed græco vocabulo nominabantur. Sub Conſtantino Duces conſtituti, qui Conſulum etiam nomen, & authoritatem retinuerunt. Idemque, qui Neapoli imperium tenebat Dux, & Conſul Latinis, Græcis verò Ὕπατος, καὶ Δοὺξ dicebatur. Qui ab Auguſto Marcellum Ducem Neapoli creatum, & Virgilium Poëtam Conſulem renunciatum aſſerunt, poëtarum more fabulantur; nulla quippe ante Cõſtantini ætatem Ducum mentio in Romana hiſtoria: nulla ejus nominis ad hanc rem uſurpatio. Ducum electio penes populum erat: an id à Conſtantino obtinuerit, incompertum. Illud autem certiſſimum, hujuſmodi Duces Græcorum, ac Longobardorum temporibus floruiſſe. Gothorum ætate barbari urbem adminiſtrabant. Sed jam ad hiſtoriæ filum redeamus.

Guduino è vivis expuncto, Joannes Canſinius Dux à Phocà Neapolim miſſus, homo turbidus, ac novarum rerum cupidiſſimus, & ſane novandi occaſionem brevi habuit. Nam Phoca occiſo, Heraclius, qui Africam regebat, Imperator ſalutatus. Qua rerum mutatione, turbæ in Italia excitatæ, quæ mox Hunnorum irruptione incrementa ſumpſerunt. Hi prædandi cupiditate, cum adoleſcente Cacano eorum Duce, in Italiam per Pannonicas Alpes irruperunt: primoque impetu Foroiulienſem Ducatum occupaverunt. Giſulphus, ut Principatum reciperet, coacto Longobardorum exercitu, obviam Cacano proceſſit; prælioque commiſſo, acie victus, cumq; omnibus copiis magna occidione deletus eſt. Victor Cacanus Forum Julii copias admovet: Romildæque Giſulphi uxori ſe illam conjugem accepturum pollicetur, ſi urbem traderet. Romilda ſpe nuptiarum Forum Julii Cacano dedit. Qui cum eam una nocte uxoris loco habuiſſet, fide non ſervata, quod ſolemne barbaris eſt, repudiavit: Hunniſque ad libidinem proſtravit, tandem palo affixit; futuram poſteris documento, ne hi fidem ab aliis ſperarent, quam ipſi ſuis non præſtitiſſent; perfidiamque perfidia puniri. His tumultibus, ac novo Heraclii Principatu, Ravennates moti (in malorum exempla facilè ducimur) ipſi etiam turbas excitarunt. Occaſionem nimiam Exarchi avaritiam, ac ſuperbiam prætexebant, qui impo-

Digitized by Google

impotenti cupiditate, ac faſtu, cuncta moderabatur: arma igitur capiunt, concurſuque multitudinis facto, cui torrentium more irruenti nullus eſt obex, nullum repagulum, quo teneatur, adductis ad jus dicendum Judicibus, miſerè eos trucidarunt. Cujus nece admoneri Principes poſſunt, ne avaros, atque impotentes regendis populis præficiant: & iis præcipuè, qui longius ab Aula poſiti; nam uti non facile deferre querelas; ita difficilè contineri in officio poſſunt. Id ubi Cauſinio, vel uti alii ſcribunt Campſinio, innotuit, oblatam ſibi occupandæ Italiæ occaſionem ducens, facilèque allici ad ſe rebelles poſſe, Neapoli tyrannidem invadit: amicorum præſidiis firmat: novas copias ſcribit, quibus reliquas urbes occuparet. Ut verò Neapolitanorum animos, ſine quorum auxilio, tantum opus ſe aggredi poſſe minimè arbitrabatur, ad ſe traheret, pro concione advocatos his allocutus creditur: Si meis, non veſtris commodis inſervirem, Neapolitani, author apud vos eſſem, ut me tanquam publicæ quietis everſorem in ordinem redactum urbe ejiceretis: at quando veſtra res agitur, veſtra utilitas quæritur, pro qua meum caput libenter periculis objiciam, æquum cenſeo, ut vos omnibus me viribus adjuvetis. Ecquid vobis ad utilitatem, ad gloriam magis conducere poterit, quam ſi duro Græcorum jugo excuſſo, libertatem, quam ne ipſi quidem Romani Principes vobis inviderunt, imo & ſanctam eſſe voluerunt, iterum adipiſcamini? Imo & Imperium etiam; nec tantum Campaniæ, ſed Italiæ totius, quæ Græcorum juxta, ac Barbarorum pertæſa, nihil niſi Ducem, quem ſequatur, cui pareat, expectat. Quo circa ſi me ſequi velitis, Dominos vos Italiæ efficiam, qua adepta, inſulæ etiam, ac ipſa Africa in veſtra poteſtate erunt. Longobardi Hunnorum armis impliciti, Græci domeſticis turbis laborant. Quid igitur facilius, quam Italiam occupare. Nec id plurimi laboris ducite, ultro in deditionem gentes venient: & ſuis parere, quam barbaris præoptabunt. Ita magni Principatus ortum habuere, inter quos veſtrum etiam, ſi fortes eritis, numerabitur. His Neapolitanorum animis ſibi conciliatis, delectus habere inſtituit: quæque ad gerendum bellum neceſſaria erant, ſummo ſtudio, ac celeritate adornat. In Calabriæ annalibus Apuliam, Lucaniam, Calabriamque Neapolitanorum armis obtinuiſſe reperio, quæ ſi vera, & primis hiſce ſecunda reſpondiſſent, haud dubium quin magnus parari Principatus quiviſſet. Sed perfidia difficile regna comparantur; nec malas fovere artes Fortuna conſuevit.

Interea Heraclius cognito Ravennatium motu, Exarchi cæde, & Cauſinii defectione, occurrendum illico, ne mora malum gliſceret, ſibi duxit. Eleutherium cum delecta militum manu in Italiam, ut Ravennatibus ad officia revocatis, Cauſinium bello perſequatur,

navigare jubet, trajecturus ipſe, niſi Perſico bello impediretur. Eleutherius in Italiam appulſus, Ravennæ tumultus, venia delinquentibus data, ſtatim compoſuit. Inde exercitum in Campaniam ducens, ut Cauſinium opprimeret, Roma pertranſivit, ubi à Gregorio Pontifice benignè acceptus, & ad rem fortiter gerendam inflammatus. Cauſinius cùm pares in promptu vires non haberet, haud ſibi acie dimicandum duxit, ſed intra Neapolitana mœnia ſitu, & opere valida ſe continere, fatigare ita ſe hoſtem poſſe quoad nova auxilia veniſſent, aut is caſus oriretur, quo Eleutherius à cœptis deſiſtere cogeretur. Hic nihil moratus, urbi copias admovit, atq; urgere obſidionem totis viribus adortus. Maximæ in urbe tum diſſentiones, ac turbæ erant, ſiquidem plurimi vel amicitia tyranni, vel pecunia obærati, vel ſpe novæ dominationis illecti, Cauſinii partes ſequebantur, alii boni cives, qui & tyrannidem oderant, & quam vana ea ſpes Principatus eſſet, optimè intelligebant, deſciſcere à Cæſare nolebant. Interea cum ad arma concurſum eſſet, diu acriter utrinque pugnatum. In ea pugna cum Eleutherius ſua manu Cauſinium jugulaſſet; quaſi ſublata belli cauſſa utrinque ceſſatum. Nec vim civibus inferri Eleutherius paſſus eſt. Ut ſcilicet conciliatis ea manſuetudine Neapolitanorum animis viam ad tyrannidem, quam jam ipſe affectabat, facilius ſterneret. Venia Neapolitanis data, novoque Duce Neapoli relicto, Ravennam contendit. Pacem cum Theolinda Longobardorum Regina, quæ mortuo marito, pueri Adalualdi tutelam gerebat, æquis conditionibus fecit, ſeque inde Italiæ Regem ſalutari juſſit, quo tot palmarum gloriam turpi defectione corrupit, oſtenditque facilius eſſe gentes armis ſuperare, quam impotentis animi cupiditatem ſubigere.

Quis autem Dux is fuerit, qui Neapoli ab Eleutherio relictus, variant Scriptores, quidam Theodorum appellatum tradunt; alii anonymum cenſent. Qui eum Theodorum vocatum putant, eo argumento ducuntur, quod à Theodoro Duce Divis Joanni, & Paulo ædificatam Eccleſiam fuiſſe vetuſtiſſimus lapis habet. Verum cum in eodem lapide ſub Aſone, & Conſtantino factum id notetur, nec quis Aſon fuerit, in annalibus reperiatur, & ſub Heraclio iſta contigerint, ad alia tempora monumentum illud, ni mendum ſit, referendum. Porrò Eleutherius, vix ſe tyrannum prodidit, cum ſtatim à militibus occiſus, perfidiæ pœnas luit. Cui illico Iſacius Patricius ab Heraclio ſuffectus: ſeptimus numero Exarchus, qui Italiam adminiſtravit.

Romæ Gregorio in Cœlum evocato, Sabinianus, & duo deinde Bonifacii uſque ad annum DCXV. Eccleſiam adminiſtraverunt. Quo tempore tres viri ſanctiſſimi, exuta mortalitate, inter Divos populi ſuffragio adnumerati. Horum primus Athanaſius Sur-

reptæ

rentinus Præſul, qui cum multos annos Nobiliſſimæ Eccleſiæ præfuiſſet, magnarumque exempla virtutum edidiſſet, è terris in Cœlum emigravit. Secundus Antoninus fuit, qui Campaniæ, quod Picentinorum ad Silarim amnem oppidum eſt, nobili loco natus, ibique adoleſcens piè educatus, ſtudio ſanctioris vitæ Caſſinas in cœnobium ſe contulit, ſacræque militiæ aſcriptus; cum verò magna virtutum omnium, ac prudentiæ in primis laude floruiſſet, eidem cœnobio præpoſitus. Quo verò tempore Zuto Beneventanus Caſſinas Monaſterium evertit, Antoninus fuga dilapſus, Stabienſe in Caſtrum confugit, ibi à Catello, ejus urbis Antiſtite peramanter exceptus, qui brevi Antonini ſanctimoniam admiratus ſumma veneratione habere cœpit. Antoninus antiquæ ſolitudinis ſtudio in eos montes, qui Æquana juga, inter Stabias, ac Surrentum ſita, veteres appellarunt, ſolus ſeceſſit. Cui mox ſe Catellus ipſe D. Michaelis admonitu ſocium adjunxit. In eorum mōtium editiore jugo ædiculam ædificarunt, & D. Michaeli dedicarunt. In ea ſacra quotidie faciebant, divinarumq; rerum meditationi, ab humanis negotiis liberi continenter vacabant. Stabienſes apud Bonifacium III. Præſulem accuſarunt, quod relicta gregis cura ad montium otia divertiſſet: non intelligentes operoſa eſſe Sanctorum otia, nec magis pro grege Paſtores vigilare, quam cum Deo ſoli vacant. Catellus Romam accitus, atque in cuſtodia habitus; ita Deo permittente, ut & illius innocentia, & accuſatorum impudentia proderetur: etenim Antonini admonitu liberatus, & magno cum honore Stabienſe in Caſtrum remiſſus, ubi multis ſtipendiis emeritus in Cœlum conceſſit. Oppidani ſerò tandem Præſulis ſui ſanctitatem edocti, eum inter Tutelares Divos aſcripſerunt, præſentemque eum ſæpius in ærumnis, ac benefactorem maximum ſenſerunt. Antoninus à Surrentinis, qui illius ſanctimoniam agnoverant, multis precibus accerſitus, Surrentum ſe contulit, ubi ab illius urbis Antiſtite obtinuit, ut Caſſinatium cœnobio, quod in ea urbe erat, redderetur, in quo dum innocentiſſimè vitam ducit, Bonifacio Præſule extincto, ipſe invitus in illius locum ſuffectus. Quo in munere poſtquam multos annos præclaris virtutibus præfulſiſſet, naturæ jura perſolvit, atque inter Divos receptus. Magnifica in æde, quam ei Surrentini dedicarunt, ſepultus, multis poſt mortem ſignis inclaruit, cumque inter Tutelares, magno illius urbis commodo, Surrentini aſcripſerunt.

Anno DCXXVI. Bonifacio V. Cive Neapolitano, magno Eccleſiæ incommodo extincto, Honorius Capuanus Petronii viri Conſularis filius, omnique diſciplinarum genere inſtructus Pontifex renunciatus. Sub cujus Pontificatu, Amalphitanis authoribus, qui plurimum ea ætate mari pollebant, Ordo Militaris D. Joannis Hieroſoly-

ſolymitani, ſacra in urbe primam originem è tenuibus exordiis habuit: cujus Ordinis Equites Hoſpitalarii primum; inde Rhodii à Rhodo inſula, in qua diu, amiſſa Palæſtina, floruerunt: noſtra ætate à Melita, in quam à Rhodo, poſtquam hæc Turcis dedita, tranſmigrarunt, Melitenſes appellati. Origo nobiliſſimi Ordinis hæc fuit. Mercatores quidam Amalphitani ſæpius in Palæſtinam mercimoniorum cauſſa commeabant, quorum plurimi, ac peregrinorum non pauci ſancta in urbe ægrotantes omni ope deſtituti, in dies interibant. Id Amalphitani animadvertentes, populariumque ſuorum miſericordia permoti, malo adhibere remedium ſtatuerunt. Ægypti Regem, ad quem eo tempore Palæſtina pervenerat, adeunt, petuntque, ut ſibi liceret Xenodochium Hieroſolymis ædificare, in quod Europæi, ſive mercatores, ſive peregrini forent, qui Religionis cauſſa Chriſti Sepulchrum adibant, ægroti exciperentur. Facilè barbarus Rex annuit, ratus id ſibi etiam futurum emolumento, ob vectigalia, quæ ab exteris exigebat. Facultate igitur habita, pecuniaque viritim collata, Xenodochium extruxerunt, in quo hoſpites degerent, ægrique medica ope curarentur: delectique ab ipſis aliquot, qui illius curam ſuſciperent, ægrotiſque miniſtrarent, atq; Hoſpitalarii nuncupati. Atque his parvis initiis is Ordo crevit: cujus brevi per totam Europam dignitas, ac potentia propagata; quod noſtri in laudem Regni ſummopere cedit. Interea Paſchaſio extincto, Joannes hujus nominis III. in Præſulem cooptatus: & XX. annos Eccleſiam adminiſtravit. Hujus Præſulis opus fuit magnificum illud ædificium, marmoreis columnis ſuffultum, & egregiis ſignis exornatum, per quod Albati, cum ſacro fonte intingebantur, ut ad Antiſtitem deducerentur, dextrà excipiebantur; exin benedictione ipſis ab eo impertita, ſiniſtrà emittebantur.

At Longobardi indignati quod non eas Adalualdus virtutes excoluiſſet, quibus ornatus pater regnum feliciter adminiſtraverat, illum regno expulerunt, & Ariovaldum anno DCXXXVI. Regem ſalutaverunt. In eo inter cæteras dotes juſtitia, ac fortitudo, regiæ virtutes maximè eminebant, quas tamen Ariana labes, qua perditò inficiebatur, plurimum obfuſcabat. Hoc tam execrabili malo plures eorum temporum egregii cæteroqui viri laborarunt. Arechiſius Beneventanus ſimul ac novi Regis inaugurationem accepit, Ajonem, quem unum ex uxore filium ſuſceperat, ad Ariovaldum miſit, ut apud eum educaretur, ac regias tum belli, tum pacis artes ediſceret. Dum Benevento Papiam, ubi Longobardi Reges inhabitabant, juvenis pergit, Ravennæ ab Exarcho Iſacio hoſpitio ſuſceptus. Qui nulla hoſpitalitatis ratione habita, medicatum Ajoni poculum præbuit: quo adeò malè cerebrum affectum eſt; ut jam tum ſtoliditate animi ſummopere laboraverit. Ad quod

faci-

facinus veterine ſimultate, an odio in Longobardos, inductus Iſacius fuerit, memoriæ minimè traditum. Id ubi Arechiſius cognovit, tantum animi dolorem concepit, ut brevi in morbum inciderit, qui cum etiam ætate jam affecta ingraveſceret, Proceres, ac plebem advocat: eiſque mandat, ut quando ad Principatum adminiſtrandum Ajo Græcorum fraude non amplius idoneus eſſet, Rodoaldo, ac Grimoaldo, quos ipſe liberorum loco educaverat, & tum filios adoptabat, ſacramentum dicerent, ut Principes colerent; eorumque juſſis parerent. Hi ex Giſulpho Foroiulienſi nati fuerant, qui patre ab Hunnis acie victo, ac trucidato, Zutone, ac Cutone fratribus extinctis, à patruo, prætextu ætatis ditione ſpoliati, à quo cum acerbè etiam haberentur, ad Arechiſium conſanguineum confugerunt, qui eos peramanter exceptos ſollicitè educavit, quæque ab illorum parente beneficia privatus acceperat, in eos memor rependit. Per idem fermè tempus Cæſarius Neapoli Antiſtes creatus, qui poſtquam IV. annos ſediſſet, Gratioſum ſucceſſorem habuit, qui ſeptimo Præſulatus anno, locum Euſebio dedit, ab his nihil memorabile geſtum in annalibus invenio.

Interea in Oriente Heraclius Cæſar, poſtquam unum, & triginta annos regnaſſet, variis tum animi, tum corporis ægritudinibus confectus, ultimum diem infeliciter obivit, ſuoque fato reliquos Principes edocuit magnas etiam fortunas miſerabili exitu terminari poſſe: nec qui benè cœperit, ſed qui benè vitam finierit, felicem prædicandum. Conſtantinus à Patre jam Auguſtus ſalutatus Imperio ſucceſſit. Qui à Martina Auguſta noverca lento veneno extinctus, cum vix IV. menſes regnaſſet, ſuffectus ejuſdem Auguſtæ filius Heracleonas, qui poſt ſex menſes à Senatu exauthoratus, atq; unà cum matre relegatus; reciſo huic naſo, matri lingua, eoque ſupplicio parricidii uterque pœnas luit. Conſtans Conſtantini filius Imperator ſalutatus. Quo ſecundum jam annum regnante, Mauritius Chartularius, & Iſacius Exarchus, qui Lateranenſe Palatium expilaverant, ſacrilegii pœnas dederunt. Hic de Cœlo ictus miſerè periit: ille dum tyrannidem affectat, à Dono bello appetitus, ac acie victus, in Eccleſiam confugit, ex qua vi raptus perduellionem capite luit. Sed jam Arechiſio, anno DCXLIII. è vivis ſublato, Ajo, qui jam Papia Beneventum redierat, Dux à Beneventanis ſalutatus. Hic cum à Patre paulo ante, quam fato fungeretur, collega in Principatum admiſſus eſſet, Beneventani, rati eo facto priorem Arechiſium voluntatem immutaſſe, nulla teſtamenti ratione habita, Ajonem paternæ ditionis hæredem eſſe juſſerunt. At miſeri juvenis brevis dominatio fuit. Nam Slavi Illyricæ gentes, quæ & Sclavi inde appellatæ, claſſe multarum navium inſtructa, in vicinam Apuliam navigarunt, militeque ad Gargani litus expoſito, Sipon-

tum

tum vetuſtiſſimum Daunorum oppidum obſederunt. Ajo ut ſuæ ditionis urbem à barbaris vindicaret, tumultuarium exercitum coëgit, inque Apuliam ſumma celeritate contendit, dum vero militis partes audacius, quàm Imperatoris prudentius agit, hoſtiumque caſtra, quæ excavatis circum foſſis Sclavi muniverant, obequitat, unà cum equo in foveam delapſus, ſtatim ab hoſtibus circumventus occiditur. Quo infelici Principis ſucceſſu edocti, cautius ſibi agendum Beneventani cenſuerunt. Novis igitur copiis in Samnio coactis Rodoaldo Duce magnis itineribus in Apuliam contendunt, ibi collectis prioris exercitus reliquiis caſtra in conſpectu hoſtium poſuerunt. Rodoaldus ne incertam ſemper pugnæ ſortem tentare cogeretur, nihil omiſit, ut pacem cum barbaris componeret: at cum duras illi conditiones imponerent, acie certare ſtatuit; copiis igitur explicatis, pugnandi poteſtatem hoſtibus fecit. Ingens in eo certamine virtus Beneventanorum fuit, brevique hoſtes fuderunt: plurimiſque eorum occiſis, reliquos in naves compulerunt. Rodoaldus victor Beneventum reverſus, ovans urbem ingreſſus, atque ab univerſis Dux ſalutatus. Porrò Rodoaldus, ut conceptam de ſe opinionem augeret, novaque victoria adeptam priori gloriam inſigniret, novum exercitum conflavit, Græcorumque negligentia uſus, Surrentum obſedit. Surrentini nihil in Græcis ſpei eſſe animadvertentes, dedere urbem antequam machinis mœnia everterentur, ſtatuere. Verùm cum Agapitus Præſul eos ad ſervandam urbem magnis dictis accenderet, tantos animos concepere, ut Longobardos longe à muris ſubmoverint. Rodoaldus cum capere ſe urbem poſſe deſperaret, obſidionem ſolvit, ac Beneventum copias inglorius reduxit. Nempe non eadem belli fortuna, ubi non eadem bellandi eſt cauſſa. Non multo poſt Rodoaldus anno DCXLIX. ſupremo fato perfunctus, poſtquam V. annos regnaſſet, Grimoaldus frater, uti Arechiſius teſtamento juſſerat, Dux à Beneventanis ſalutatus eſt.

Id temporis Leontius Neapolitanam Eccleſiam adminiſtrabat, ex qua ad Romanum Concilium profectus unà cum Martino Summo Pont:, aliis Patribus, Monothelitarum errores confutavit; Sergiumque, Pyrrhum, Paulum, & Theodorum Pharaniten, unam in Chriſto voluntatem admittentes anathemate perſtrinxit. Horum patrocinium cum Conſtans II. Cæſar ſuſciperet, latè ea peſtis per Orientem pervagata, quæ & Occidentem corripuiſſet, niſi Martini, ac reliquorum Præſulum vigilantia obſtitiſſet. Ea quippe errorum, quæ ignis, indoles eſt; quem ſi foveas, exardeſcit, maximumque aura incrementum ſuſcipit: ſi naſcentem comprimas, illico extinguitur. Quidam in hæc tempora Sergium Criſpanum Neapolitanorum Ducem intrudunt: ex quodam diplomate adducti, in quo hujus Sergii nomen inſcriptum reperitur. Ego eos libens ſequor, qui à

Cauſi-

Cauſinii nece ad Joannem Cumanum, reliquos Anonymos faciunt, idque negligentiæ Scriptorum, qui ea ætate vixerunt, tribuendum, ni forte eorum ſcripta exciderunt. Sed ne Criſpanos vetuſta nobilitate fraudem, qui ex hoc Sergio, ſe originem trahere gloriantur; Dux Neapolitanorum habeatur: qui nobili ex Saracenis relata victoria Conſulatum inſignivit. Quoniam verò hi primam ſub hæc tempora excurſionem in Italiam fecerunt, & plurimam noſtræ hiſtoriæ materiam ſuppeditabunt, de illorum origine pauca differere operæ pretium duco.

Perſicum inter, & Arabicum ſinum ingens in Auſtrinum Oceanum tellus excurrit. Arabico iſthmo Africæ jungitur, à Meſopotamia Euphrate dividitur, Syriaque à Septentrione, ac Majori Aſia, cujus pars eſt, terminatur. Arabias antiqui appellaverunt. Quarum quæ ad Oceanum, Erithræum inter, & Perſicum latiſſima extenditur, Felix cognomine nuncupata, quæ hanc ſupra in Paleſtinam porrigitur, Petręa dicitur; tertia quæ ab ortu Euphratem, ac Meſopotamiam, à Septentrione Cœleſyriam terminos habet, ob ſteriles arenæ campos, Deſerta appellata. In his plurimæ gentes incolunt, quarum, quæ Felicem habitant, divitiis magis affluunt, ac minus barbaræ thus, & balſamum nobis mittunt: horumque ditiſſimi ſunt Sabæi. In reliquis raras urbes habent: Soli plerumque, & vagi degunt, fixiſque, ubi opportunior campus, tentoriis, ibi & urbes, & domos locant: ideoque Nomades, ac Scenitæ vocati. In Deſertâ nobiles Nabathæi, qui uſque ad Libani juga excurrunt. In Petręâ Agareni, qui & Saraceni vulgò nuncupati. Illi à Nabatho Iſmaëlis filio, à quo ſuam originem revocant, nomen ſortiti, hi ab Agare, & Abramo procreati, à Sara tamen juſta uxore, Saracenos dici maluerunt. Arabia Petręa, cujus Roſtra urbs Princeps, ac Philippi Cæſaris patria, unà cum Syria, & Ægypto Romano Imperio paruit. Felix Ælio Gallo Ægypti Prætore primùm tentata, ac magna ex parte Romanis armis ſubacta. Qui Deſertam incolunt, vagique errantes, nihil præter armenta, quibus victitant, quidquam poſſident, quo tributa perſolvant, uti noſtra ætate non Perſis, non Turcis parent; ita olim nec Parthis, nec Romanis paruerunt. Ab Idololatria ad Chriſti Fidem ab Eunucho Candaces Æthiopum Reginę anno XXXVIII. adduci cęperunt, anno autem CCXXV. tota pene Arabia ab Origine Chriſtianis ſacris imbuta, diu quieta vixit, ac ſuis ſe finibus continuit. Cum verò exhauſta jam populis Aquilonaris plaga eſſet, nec quibus noſtra vitia Deus puniret, in ea regione exiſterent, barbaram à Meridie gentem evocavit; inque perditos Chriſtianorum mores armavit. Nec ſanè, ulla unquam gens immanior, ac crudelior his barbaris fuit: qui ferarum ritu excurrentes, magnam Orbis partem, ferro, ignique deſolaverunt.

Reliquæ barbaræ nationes uſu miteſcere cęperunt; noſtriſque ritibus emollitæ humanitatem, ac Fidem ſuſceperunt, hæc, fide ejurata, adeo pertinaciter Maumethanæ ſuperſtitioni adhæſit; ut ab ea divelli non uſu, non ratione, non armis valuerit. Primum Saraceni ſuo ſub Duce mercede à Romanis conducti contra Perſas, ac Parthos militarunt: plurimaque cum laude ſtipendia meruerunt. Anno DCXII., qui Heraclii III. fuit, avaritia Præfectorum irritati, quod debitam ſibi pecuniam ſolvere recuſaſſent, infeſto agmine Syriam depopulati. Inde Heraclio in eam Provinciam contra Perſas veniente, illius humanitate emolliti, ad officia revocati, atque in Coſrhoën deducti. Perſico bello abſoluto, aliquot annos in fide manſerunt. Tandem nova data rebellandi materia, quæ Romanum Imperium Græcorum inertia fatiſcens ad ultimum exitium adduxit. Ea Maumethes fuit. Hic anno DLXX. Abdalla patre, matre Eremita Mecca in urbe in terrarum perniciem editus eſt. Viliſſimus Opilio, ac Camelorum curator primam ætatem transduxit; mox divitis herę conjux factus, majora animo, ut ſunt avidi ſemper mortales, agitare cœpit. Anno XL. ætatis ſuæ ex Judaicis, & Chriſtianis ritibus novam ſuperſtitionem quotquot fuere pernicioſiſſimam excogitavit. Sagax, ac fraudolentus impoſtor, adjuvante Sergio quodam Monacho, ultimæ fęcis homine, ac vitiorum omnium ſentina, ſe Prophetam à Deo miſſum ad novam legem evulgandam jactabat, cum Superis, ac D. Michaele in primis ſe commercia habere, ac prolixa colloquia, quibus de divinis rebus erudiretur, magnificè mentiebatur. Falſis quibuſdam prodigiis, atq; in ſpeciem compoſitis, quibus fidem perjurus Sergius faciebat: ita vulgi animos rerum plerumque ignaros captavit; ut multis jam aſſeclis auctus circumvagaretur. Novam legem non è Cęlo, ſed ex Erebo acceptam ſpargere in gentes incœpit. Eam variam, atque ex aliis conflatam voluit, ut facilè admitteretur. Corporis voluptates, quibus maximè homines trahuntur, intemperantiſſimus homo adjunxit, atque ita ſuperſtitionem mirificè propagavit. Novi erroris aſſeclæ Ali, & Oſman: qui mox inſignes doctores habiti. Quadriennio poſt circumciſionem Judęorum ritu aſſumpſit, magnum jejunium XXX. dierum, preces quotidianas quinquies in die corporiſque ablutionem inſtituit: abſtinétiam à ſuilla, & vino injunxit, tandem peregrinationem in urbem Meccam natalem ſuum ſuperaddidit. Aſſeclas ſacramento aſtrinxit; ut ſibi obſequentes eſſent: & quicumque obſtitiſſet, ferro perſequerentur, armis novam Religionem propagandam eſſe. Quinquagenarius geminas uxores duxit. Tum ſero Meccenſes rei novitate perculſi, ac ſuſpectam eam religionem habentes, vertere ſolum coëgerunt. Ipſe veritus populi tumultum, Methymnam fugit, ibi plauſu exceptus, ac veluti pro-

pheta

Digitized by Google

pheta eſt habitus. Hæc autem fuga in diem XVI. Kal: Auguſti anni DCXXII. incidit, quia vero fuga *Ægira* Arabis dicitur, hinc ortum initium Ægiræ Maumethanæ, ex qua annos numerant. Porrò Maumethes ex agaſone, jam Sacerdos factus, ac Princeps anno DCXXVIII., qui Heraclii duodevicesimus fuit, ex Methymna unà cum Saracenis, quos mira ſibi arte, ac ſagacitate adjunxerat, egreſſus, in Imperii fines venit: agrumque ad incolendum armatus petiit. Heraclius cùm hominis audaciam retundere armis non poſſet, invitus conceſſit. Quæ res admirationi fuit: ut qui Coſrhoën, & ferocientes tot victoriis Perſas, tot Provinciis occupatis, tot exercitibus potentes, victor profligaverat, & ad petendam, quam rejecerant, pacem compulerat, territus à viliſſimo Camelario, pauciſque latronibus foret. Verum ipſe non miror. jam Heraclius deſciſcere à pietate cęperat: & Chriſtiani tantis calamitatibus exerciti vitia non poſuerant. Id circo viliſſimus hic homuncio à Deo excitatus, ut Imperatori fręnum, populoque terribilis admonitor eſſet. XXI. Heraclii anno Maumethes ex crapula, multoque vino madidus infelicem animam evomuit, ſtatimque à porcis voratus. dignum nefando helluone, atque impio impoſtore ſupplicium. Illius oſſa à ſuis collecta Methymmæ tumulata, ibique templum ſatis magnificum quadringentis columnis ſuſtultum ab aſſeclis poſitum. Cæterum, nefario Duce extincto, latius excitata ab eo peſtis, propagata. Abubathar Maumethi ſuffectus, ingenti barbarorum agmine in Palęſtinam effuſus omnem circa Gazam regionem vaſtavit: cęſoque Palęſtinæ Præſide, qui ei obviam iverat, toti Syriæ minitabatur. Quo tempore ortus in Auſtrali plaga Cometes, inque enſis formam diu effulſit, earum cladium, quas inde Romano Imperio Saraceni ex Auſtro egreſſi, intulerunt, prænuncius eſt habitus. Succeſſor Homarus vir magni animi, ſimul atque regnum obtinuit Boſtram Arabiæ Petręæ Principem invaſit, ac primo impetu cepit. Theodorum Heraclii fratrem, qui cum exercitu in auxilium obſeſſis venerat, acie vicit, atque in fugam compulit. Mox recedente Heraclio, Syriam intrat: Damaſcum capit; ac deinde Hieroſolymam, cujus Patriarcha Sophronius mœrore interiit. Ipſe victor reparari Salomonis templum imperat. Sequenti anno Saraceni, capta Antiochia, uſque ad Amanum, & Euphratem progreſſi; inque Orientis excidium nati, cuncta deſolavere. Homaro à vili quodam Perſa per fraudem occiſo; ut imbelli nimirum manu pęnas ſcelerum daret, finemque furendi faceret: ſtatim Hoamen ejus locum occupavit. Eo Duce Saraceni ulterius progreſſi, Ægyptum, atque Africam ab Imperatore rebellantem ſubegerunt. Navibus inde, & claſſibus potentes, Cyprum occuparunt. Mauritanias ad Herculeum uſque fretum progreſſi, in poteſtate habuere. Ex his in vicinas

Hiſpanias trajicientes univerſas fere perdomuerunt, ac DC. annos tenuerunt. Siciliam, Sardiniam, Corſicam, extremaſque Italiæ, & Græciæ oras ſibi armis ſubmiſerunt. Ipſiſque Imperii Principibus Conſtantinopoli, & Romæ incendia, excidiumque meditati; eaſque miraculo ſervatas nemo unus dubitavit.

Hi igitur, ut ad inſtitutum hiſtoriæ revertar, nequiſſimi barbarorum Saraceni, quos Agarenos pariter vocatos invenies, cùm audiviſſent in Gargano percelebri Apuliç monte Templum eſſe Divo Michaeli ſacrum, magnaque apud Chriſtianos religione haberi, ideoque immenſas in eo divitias congeſtas: quæ voti cauſſa ex omnibus terræ partibus iidem quotidie conferebant: Pretioſæ ſpe prædæ accenſi claſſem inſtruunt: partimque in Apuliam, partim Siciliam, ut feracem etiam inſulam depopularentur, curſum dirigunt. Grimoaldus, qui fratre extincto, tum primum Principatum iniverat, ac magnam de ſe Beneventanis expectationem excitaverat, barbarorum adventu comperto; ratus opportunam comparandæ gloriæ occaſionem offerri, primos Beneventanorum capere arma jubet, copiiſque ex reliquo Samnio collectis, magnis itineribus, ne barbari antequam ipſe veniſſet, Templum expugnarent, in Apuliam contendit. Hic Barbaros in ipſo Gargani aditu aſſecutus, haud continere animi impetum potuit, quin è veſtigio eos adoriretur, ſuos igitur breviter hortatus primus in hoſtes vadit. Samnites Ducis exemplo animati magno impetu Saracenos aggrediuntur, eoſque magna occidione deleverunt. Non melior eorum, qui Siciliam invaſerunt, fortuna fuit. Etenim Olympius Exarchus, qui Theodoro in Orientem à Conſtante revocato, miſſus in Italiam fuerat, ubi Saracenos in Siciliam appuliſſe, magnam ejus inſulæ partem occupaſſe, reliquam populationibus vaſtare, cognovit, Neapolim magna celeritate ſe contulit. Naves, quæ ibi ad uſum belli erant, armat, ſecumque unà cum Sergio Duce, Neapolitana juventute aſſumpta, in Siciliam navigat, collatiſque cum barbaris ſignis navali prælio decertavit, cumque hoſtes numero navium noſtros ſuperarent, diù anceps pugna fuit, nec in quam partem inclinatura victoria eſſet, judicari poterat. Tandem noſtri virtute numerum ſuperarunt, magnaque navium parte, aut capta, aut demerſa, hoſtes deleti, totaque Sicilia ejecti. Olympius etſi magna ſuorum clade victoria potitus, Neapolim victor redivit, ovans in urbem receptus. Verum ea lętitia diu frui non licuit; etenim improviſo morbo extinctus, è vivis exceſſit.

HI

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ
LIBER QUINTUS.

Um hæc in Saracenos in Italiam primùm irrumpentes ſecunda fortuna in ulteriore illius parte gerebantur; in citeriore turbatæ Longobardorum res erant: Regnoque inter duos fratres diviſo, tantùm non extinctæ. Siquidem haud diuturna ea potentia eſſe poteſt, quæ ex virium ſocietate, concordiaque coalita, in plures inde partes diſtracta, invalida efficitur: eorum more torrentium, qui in varios alveos diffuſi, impetum omnem amittunt. Ita florentiſſimas Reſpublicas, potentiſſima Regna, Romanum ipſum Imperium ſæpè laboraſſe comperimus. Rodoaldo ob impotentem libidinem, cum IV. annos regnaſſet, occiſo, Aribertus Haſtenſis Comes ſuffectus. Qui cum ab anno DCLVI. ad DCLXV. regnum obtinuiſſet, illud inter Gundebertum, & Partarithum filios diviſit. Primus Papiæ, ſecundus Mediolani regnabat. Sed quo viciniores Regnorum ſedes erant, eo magis regnantium animi, voluntateſque diſiunctæ. Fraterna charitas dominandi cupiditate refrixerat: alterumq; alteri ſuſpectum æmulatio reddiderat: dumque non ſe mutuò patiuntur, ſemetipſos perdiderunt. Primus, qui tentandam ſibi fortunam duxit, Gundebertus fuit. Garibaldum Taurinorum Comitem Legatum ad Grimualdum, cujus & virtutem, & potentiam

Hiſpanias trajicientes univerſas fere perdomuerunt, ac DC. annos tenuerunt. Siciliam, Sardiniam, Corſicam, extremaſque Italiæ, & Græciæ oras ſibi armis ſubmiſerunt. Ipſiſque Imperii Principibus Conſtantinopoli, & Romæ incendia, excidiumque meditati; easque miraculo ſervatas nemo unus dubitavit.

Hi igitur, ut ad inſtitutum hiſtoriæ revertar, nequiſſimi barbarorum Saraceni, quos Agarenos pariter vocatos invenies, cùm audiviſſent in Gargano percelebri Apuliæ monte Templum eſſe Divo Michaeli ſacrum, magnaque apud Chriſtianos religione haberi, ideoque immenſas in eo divitias congeſtas: quæ voti cauſſa ex omnibus terræ partibus iidem quotidie conferebant: Pretioſæ ſpe prædæ accenſi claſſem inſtruunt: partimque in Apuliam, partim Siciliam, ut feracem etiam inſulam depopularentur, curſum dirigunt. Grimoaldus, qui fratre extincto, tum primum Principatum iniverat, ac magnam de ſe Beneventanis expectationem excitaverat, barbarorum adventu comperto; ratus opportunam comparandæ gloriæ occaſionem offerri, primos Beneventanorum capere arma jubet, copiiſque ex reliquo Samnio collectis, magnis itineribus, ne barbari antequam ipſe veniſſet, Templum expugnarent, in Apuliam contendit. Hic Barbaros in ipſo Gargani aditu aſſecutus, haud continere animi impetum potuit, quin è veſtigio eos adoriretur, ſuos igitur breviter hortatus primus in hoſtes vadit. Samnites Ducis exemplo animati magno impetu Saracenos aggrediuntur, eoſque magna occidione deleverunt. Non melior eorum, qui Siciliam invaſerunt, fortuna fuit. Etenim Olympius Exarchus, qui Theodoro in Orientem à Conſtante revocato, miſſus in Italiam fuerat, ubi Saracenos in Siciliam appuliſſe, magnam ejus inſulæ partem occupaſſe, reliquam populationibus vaſtare, cognovit, Neapolim magna celeritate ſe contulit. Naves, quæ ibi ad uſum belli erant, armat, ſecumque unà cum Sergio Duce, Neapolitana juventute aſſumpta, in Siciliam navigat, collatiſque cum barbaris ſignis navali prælio decertavit, cumque hoſtes numero navium noſtros ſuperarent, diù anceps pugna fuit, nec in quam partem inclinatura victoria eſſet, judicari poterat. Tandem noſtri virtute numerum ſuperarunt, magnaque navium parte, aut capta, aut demerſa, hoſtes deleti, totaque Sicilia ejecti. Olympius etſi magna ſuorum clade victoria potitus, Neapolim victor redivit, ovans in urbem receptus. Verum ea lætitia diu frui non licuit; etenim improviſo morbo extinctus, è vivis exceſſit.

HI-

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ

LIBER QUINTUS:

DUm hæc in Saracenos in Italiam primùm irrumpentes ſecunda fortuna in ulteriore illius parte gerebantur; in citeriore turbatæ Longobardorum res erant: Regnoque inter duos fratres diviſo, tantùm non extinctæ. Siquidem haud diuturna ea potentia eſſe poteſt, quæ ex virium ſocietate, concordiaque coalita, in plures inde partes diſtracta, invalida efficitur: eorum more torrentium, qui in varios alveos diffuſi, impetum omnem amittunt. Ita florentiſſimas Reſpublicas, potentiſſima Regna, Romanum ipſum Imperium ſæpè laboraſſe comperimus. Rodoaldo ob impotentem libidinem, cum IV. annos regnaſſet, occiſo, Aribertus Haſtenſis Comes ſuffectus. Qui cum ab anno DCLVI. ad DCLXV. regnum obtinuiſſet, illud inter Gundebertum, & Partarithum filios diviſit. Primus Papiæ, ſecundus Mediolani regnabat. Sed quo viciniores Regnorum ſedes erant, eo magis regnantium animi, voluntateſque disjunctæ. Fraterna charitas dominandi cupiditate refrixerat: alterumq; alteri ſuſpectum æmulatio reddiderat: dumque non ſe mutuò patiuntur, ſemetipſos perdiderunt. Primus, qui tentandam ſibi fortunam duxit, Gundebertus fuit. Garibaldum Taurinorum Comitem Legatum ad Grimualdum, cujus & virtutem, & potentiam

jam perſpectam habebat, rogatum auxilium mittit. Hic divini, humanique juris immemor, Grimualdo perſuadet, ut ſibi Longobardorum regnum vindicet; viamque ad illud obtinendum expeditiſſimam oſtendit. Grimualdus oſtentata Regni ſpe inflammatus, luſtrato illicò exercitu, partem copiarum Capuano Comiti tradit, ut per Etruriam duceret; ipſe cum reliquis magnis itineribus Papiam progreditur. In urbem Garibaldi fraude introductus, Gundebertum ſua manu obtruncat: inde Partaritho unà cum parvulo filio expulſis, regno potitur. Ut autem aliquo jure poſſidere illud videretur, utriuſque Regis ſororem ſibi copulat, notham Traſimundo Patavino Comiti deſpondet, Arianam luem ejurat, ſeque Catholicum profitetur; nempe ut & acceptior populis eſſet, & præteriti criminis maculam elueret. Nobilem D. Ambroſio Eccleſiam dedicavit: quo monumento & pietatem, & Religionem publicè teſtaretur. Beneventi Romualdum nothum Ducem conſtituit, haud ſibi expedire ratus eam ditionem regno Longobardorum adjungere: cujus cum plerumque Reges crearentur, verebatur ne Beneventanorum quies turbaretur.

Interea Conſtans Imperator, Theodorum fratrem, quem ſacris initiari curaverat, interfecit: parricidiumque ſacrilegio inſignivit, quo patrato continuò frater ſacra veſte indutus ſibi præ oculis obverſari viſus, poculumque porrigere his verbis, *Bibe frater*. Quo oſtento territus Conſtantinopolim relinquere ſtatuit, atque in Italiam navigare. Ducens loci mutatione triſte à ſe oſtentum amoliturum, neſciens infelix, in ſemet ſcelus, & ſceleris pœnas eſſe, quas fugiebat. Ut verò honeſtam cauſſam prætexeret, Longobardorum diſſidiis oblatam ſibi ſpem recuperandæ Italiæ jactabat. Longobardico igitur bello decreto, ingentem claſſem, atque exercitum adornat; primo tempore in Italiam navigaturus. Ducibus, quos in ea provincia habebat, ut copias ſcriberent, commeatuſque compararent, injungit. Ipſe opportunam ad navigandum tempeſtatem nactus, magno cum exercitu Byzantio Athenas venit: hic novis copiis auctus, iterum vela facit; ac proſpero curſu Tarentum applicuit. Luſtrato, poſt brevem quietem, exercitu, in Apuliam, quæ Longobardis parebat, caſtra movit. Et primo impetu Luceriam cepit, ac diripuit, muroſque à fundamentis evertit, qua barbara feritate ad excindendam ſe Italiam, non liberandam, eo apparatu, veniſſe demonſtravit. Nec ſanè aliud ab eo expectandum erat, qui unà cum Catholica Fide humanitatem etiam exuerat, nec ab externis continere manus poterat, qui proprio fratri non pepercerat. Lucerià caſtra ad Acheruntiam tranſtulit, ſtatimque obſedit. Acheruntini Lucerinorum exemplo moniti, omnem in fortitudine ſpem ſalutis, ac libertatis poſuerunt. Urbs edito in

ſaxo

ſaxo poſita, validiſque cincta operibus erat: nec commeatus ad tolerandam obſidionem deficiebat. Conſtans cum nullo modo vinci obſeſſorum pertinaciam poſſe, nec ſpem potiundi oppidi affulgere animadverteret, obſidionem ſolvit, & ad oppugnandam Principem urbem Beneventum caſtra movit: ratus facilè reliquas ſe in poteſtate habiturum, ſi illarum caput obtinuiſſet. Romualdus, qui Conſtantis in ſe futurum impetum præviderat, Geſualdum nutritium, ſpectatæque fidei virum ad Patrem Papiam legavit, ut præſenti rerum ſtatu expoſito, ſuppetias ad repellendum hoſtem poſtularet. Grimualdus filii periculo cognito, confeſtim quas maximas copias poteſt, cogit: præmiſſoque Geſualdo, qui bono animo Romualdum eſſe juberet, ſe brevi auxilium allaturum; ipſe luſtrato deinde exercitu, maxima in Samnium celeritate contendit. Interea Cæſar obſidionem urgebat, machiniſque muro admotis, ſumma vi quatiebat, ſuoſque ad eam partem occupandam, quam tormenta dejecerant, identidem ingenti ſpe, ac verbis inflammatos, mittebat. At Romualdus nihil perterritus Beneventanos ad defendendam urbem ſpe vicini ſubſidii accendebat, & nunc muros circumeundo, nunc in hoſtes erumpendo, nunc murorum ruinam farciendo, etſi juvenis, veterani tamen Ducis, fortiſque militis partes omnes adimplebat. Dum hęc agerentur Geſualdus rediens in Græcos ſpeculatores incurrit, à quibus comprehenſus ad Imperatorem eſt deductus. Qui Geſualdum percunctatus, quid nuncii ferret? adeſſe cum exercitu Longobardorum Regem cognovit. Quo nuncio perculſus, verituſque ne circumveniretur, inducias, quas Romualdus petierat, Giſa Ducis ſorore loco obſidis accepta, conceſſit. Inde fraude uti ſtatuit, ingentes Geſualdo divitias offert, ſi in murum deductus Duci nunciet, haud fieri poſſe, ut eo anno à Rege domeſticis turbis implicito, ſubſidia accipiat, quo circa monere ſe illum, ut ſuis rebus opportunè conſuleret. At Geſualdus glorioſam mortem, quam certò ab hoſte expectabat, omnibus divitiis, atque honoribus præferens, ſervatæque fidei laudem æternam apud poſteros fore arbitratus, ad mœnia deductus Beneventanos monet, ne animum deſpondeant, Regem cum exercitu non longè abeſſe, rogarentque pro ſe Ducem, ut conjugem ſuam, ac liberos commendatos haberet, quando ipſe pro communi ſalute vitam ponere non dubitaſſet. Conſtans nihil tanta virtute permotus, obtruncari ei caput jubet, baliſtaque intra mœnia emitti. Romualdus allatum Geſualdi caput, manibus accipit, ac peramanter deoſculatur, & utinam, inquit, ea in hoſte æſtimatio virtutis fuiſſet, quæ etiam apud barbaros interdum eſſe conſuevit, quas enim mortuo tibi non poſſum, vivo gratias egiſſem. Cęterum tam laudabile fidei exemplum, ampla poſteris, & laudum, & imi-

imitationis ſeges erit, nec ulla unquam ſecula tam egregii facti memoriam delebunt. Ipſe interim, quod poſſum, debito te honore proſequar, acceptumque diadema demortuo capiti imponit, atque honorificè ſepeliri jubet. Quidam Scriptores ex hoc præclariſſimo viro Geſualdę familiæ originem ducunt: eque iſto nobili facto ſtemma de rivaſle, in quo purpurea in areola aurea corona depingitur.

Conſtans cùm ſe imparem tantis Longobardorum copiis videret, veritusque ne circumveniretur, obſidionem ſolvit, ac Neapolim verſus copias ducit. Dum autem Calorem amnem trajicit, Nicola Capuanus Comes ultimum agmen aſſecutus, tanto impetu aggreſſus, ut plurimos eorum occiderit. Quo damno Conſtans accepto, dubitans ne Longobardorum Rex cum totis viribus superveniret, incredibili celeritate ſe Neapolim recepit. Ea ignominia Græci Duces vehementer perturbati, cuncta in ignavi Cæſaris temeritatem refundebant. Quorum Saburra, vir magnæ apud milites authoritatis, Conſtantem adit, ac XX. militum millia ab eo poſcit: ſpondetque ſperare ſe illis Longobardorum vires fracturum. Cæſar, qui delere eam maculam cupiebat, non gravatò annuit. Saburra omnium copiarum lectiſſimis ſecum aſſumptis, in hoſtem movit, Vulturnoque trajecto, ad Minturnas juxta Orientalem Liris ripam exercitum metavit. Longobardi Romualdo Duce, quem omnibus copiis pater præfecerat, per Campanum agrum Formias proceſſerant. Hæ, Ciceronis villa nobiles, ad mare, quod Formianum ab ipſis ſinum veteres appellarunt, ſitæ ſunt: dextra amœniſſimos colles aureis malis, myrtoque & citreis conveſtitos: ſiniſtra amplam, ac feracem planitiem ad Lirim uſque pertinentem habent: pluresè collibus rivi ſcaturiunt, qui proximum in ſinum præterlabentes mira agros ubertate fecundant. In hac ab utroque exercitu magnis viribus certatum, in quibuſdam annalibus reperio. Copiis utrimq; inſtructis, certamen initum, magniſque animis pugnatum: Græcos antiqua decora, recens victoria Longobardos accendebat. Diu anceps pugna fuit: cumque ambo Duces de victoria ambigerent, leviſſimus caſus, ut in conflictibus plerumque accidit, ad Longobardos victoriam inclinavit. Amelongus Grimualdi Regis armiger Græcum militem equo excuſſum, miro in altum lacerti robore elevavit. Quo caſu Græci vehementer perterriti, illumque in ſuperſtitionem vertentes, ſtatim dant terga; plenamque hoſtibus victoriam relinquunt.

Conſtans Neapoli Romam progreſſus, ad ſextum ab urbe lapidem Vitalianum Pontificem cum univerſo Clero, Romanoque Senatu obviam habuit, à quo grandi honore, ac ſi Longobardos viciſſet, ſumma populi lætitia ovans in urbem introductus. At ingratus Princeps tanti officii immemor, iraque ardens, quod bellum in Lon-

Longobardos ſuſceptum è ſententia non ſucceſſiſſet, non Cæſaris, ſed hoſtis ritu, ſignis egregiis, atque ornamentis quamplurimis Romam ſpoliavit. Quo uti ſe viribus hoſti imparem, ita in ſe impotentem animi oſtendit: eoſque imitatus, qui cum ſævire in exteros non valeant, domeſticos vexant. Roma Neapolim rediit, ubi poſtquam dies duodecim ſubſtitiſſet, præda dives per Lucanos, ac Brutios in Siciliam trajecit, Germani occiſi Manibus eum ubique perſequentibus. Dum autem Syracuſis Imperii ſedem ſtatuere meditatur, in balneo Metii, ſeu Mezentii Præfecti opera pluribus vulneribus Id: Jul: anni DCLXVIII. confoſſus, pęnam tot ſcelerum luit. Prætoriani ſtatim Metium ipſum Armenum genere Cæſarem creaverunt. At Conſtantino, Conſtantis filio, qui Conſtantinopoli ſalutatus Imperator fuerat, cum exercitu ſuperveniente, tyrannus cum ſuis oppreſſus, atque extinctus. Conſtantinus hujus nominis IV. Rebus Occidentis, qua poterat ſolertia, compoſitis, in Orientem reverſus. Cum autem è Sicilia rediens barbam attuliſſet, nam digrediens vix primum lanuginem emiſerat, Pogonates audivit. Vir patri per omnia diſſimilis, præcipue fraterna charitate, nam quaſi parentis errata emendaturus, Tiberium, & Heraclium fratres collegas Imperii aſcivit, atque unicè amavit, firmiorem concordia ſibi fore Principatum arbitratus. Inde reliquos Patris errores corrigere cupiens, pecuniam, quam novus Pontifex Imperatori pendere cogebatur, remiſit, exigique in poſterum inhibuit. Hanc Gothi Principes primum imperaverant: Orientales inde Cæſares, Gothis debellatis, inducto more exigebant. Voluit etiam, ut electio Romani Pontificis libera eſſet, & quem Clerus elegiſſet, ſtatim inauguraretur, nam antea Cæſar conſulebatur. Suam in Eccleſiam obſervantiam teſtaturus Juſtiniani, & Heraclii filiorum cirros capillorum, tanquam primitias ad Benedictum Pontificem miſit, utque eo argumento, & Pontificis illos, & Eccleſiæ filios eſſe oſtenderet: & ut eos Pontifex peculiari ratione filiorum loco haberet.

Hac tempeſtate, Adeodato, qui poſt Leontium paucos annos ſedem tenuerat, è vivis ſublato, Neapolitanam Eccleſiam Agnellus regebat: qui anno DCLXXX. Conſtantinopolitano Concilio interfuit: & Monothelitarum errores cum reliquis Patribus damnavit. Quo tempore paſſim araneorum telę è Cœlo decidere ſpectatæ ſunt, haud dubio profligati, deterſiq; erroris ſignum. Eodem fermè tempore, alterum Romæ Concilium celebratum, in quo D. Decaroſius Capuanus Antiſtes, & D. Barbatus adfuerunt. Barbatus ejus Concilii acta memoriæ conſignavit. Hujus Divi corpus in æde Virginei Montis propè Abellinum, magna vicinarum gentium religione colitur. Agnellus è Concilio reverſus Ædem Divo Januario intra

moe-

mœnia extruxit, ac ſolemni ritu dedicavit.

Verùm Græco bello abſoluto, ut ad Longobardos hiſtoriæ ſtylum referam, Grimualdus filii Principatu ſtabilito, Papiam victrices copias reduxit. Tum Alteco Bulgarorum Dux, Italicæ terræ ubertate, atque amœnitate invitatus; ſive à Longobardis contra Græcos advocatus, ut apud alios ſcriptum invenio, cum plurima ſuorum multitudine, boniſque univerſis in Italiam commigravit, agroſque ad incolendum poſtulavit. Grimualdus ne periculoſo iterum bello implicaretur, in Beneventano Ducatu ſedes attribuit: ut & præſidium contra Græcos eſſent, & raros cultoribus campos excolerent. Romualdus novis hoſpitibus Sepiam, Bojanum, Æſerniam, aliaque ignobilia circumpoſita loca conceſſit, quæ cum inculta penè, ac deſerta jam eſſent, Bulgarorum induſtria populoſa, & culta evaſerunt. Alteco Romualdi juſſu Ducis titulo depoſito, ne Principi æquari videretur, Comes appellatus. Alii Caſtaldum, qua barbara appellatione Præfecti locorum vocabantur, nuncupatum tradiderunt. Hæc gens, è Scythis quamquam originem traheret, Italicam brevi linguam, ac leges Longobardorum edocta, in illorum etiam mores tranſivit. Grimualdus anno DCLXXV. Garibaldo filio admodum adoleſcente, regni hærede relicto, mortalitatis jura perſolvit. Partarithus, qui à Grimualdo regno ejectus fuerat, ratus oblatam ſibi occaſionem injuriæ ulciſcendæ, adoleſcentem, amicorum ſubnixus auxiliis paterna è ſede pellit, regnumque invadit. Ita enim fato rerum comparatum; ut iiſdem artibus, quos alios petimus, & ipſi ſubinde petamur. Verum & Parentis morte, & Fratris ejectione, nihil Romualdo authoritatis, potentiæque imminutum. Quinimo non contentus Græcos Samnio expuliſſe, florentiſſimo Longobardorum, Samnitium, ac Bulgarorum, quos ſocios nuper aſciverat, exercitu comparato, in illorum fines movit. Ejus conatum Græcorum tumultus plurimum adjuvere. Nam Conſtante occiſo, novoque tyranno ſalutato, turbidæ in Italia res erant, pluresque Italicæ legiones defecerant, nec paucæ in Sardinia, Africaque gentes rebellaverant. Hoc trepido Græcorum ſtatu Romualdus Peccutios, Salentinos, antiquæque Calabriæ gentes depopulatus, Tarentum invaſit: expugnatoque Brunduſio, omnem eam Provinciam deſenſoribus vacuam victor excurrit; Beneventumque reverſus triumphans urbem ingreſſus. Theoderata ob partam à conjuge victoriam nobilem extra pomerium D. Petro Apoſtolo ædem dedicavit. Romualdus poſtquam XVI. annos, XX. alii tradunt, Principatum tenuiſſet anno DCLXXXI. ſupremum diem obivit. Tres ex uxore liberos reliquit Grimualdum, Giſulphum, & Arechiſium. Grimualdus inito Principatu, Vilindam Partarithi Regis filiam ſibi matrimonio copula-

vit.

vit. At non diu regno frui licuit; ſiquidem tertio ab inauguratione anno fato extinctus, Giſulpho fratri locum conceſſit. Qui anno DCLXXXIV. Principatus inſignia ſuſcepit. Præcedenti anno Partarithus exceſſerat, cujus filius Cunibertus, qui à Grimualdo unà cum patre ejectus fuerat, regnum Longobardorum ſuſcepit. Hic unà cum matre Rodilinda Beneventum à Grimualdo relegatus, primam ætatem optimis moribus, pietateque imbuerat; ideoque regnum adeptus ſe illo digniſſimum oſtendit. Longobardos, qui Ariana ſorde tot jam annos inficiebantur, ad Catholicæ Religionis munditiem revocare magnis viribus connifus, regiiſque pariter virtutibus, ac fortitudine emicuit.

Initio anni DCLXXXV. noctu ingens ſereno Cœlo Stella viſa eſt: ſed ea obſcuritate notata, qua Luna nube obſita cerni conſuevit. Inde Februario altera à Meridie ex Ortu in Occaſum magno nitore conſpicua tranſcurrere, ingenti populorum admiratione ſpectata: ſuſpenſis novitate omnium animis, Martio Veſuvius Mons tertiùm immani incendio conflagravit, tantumque ignium evomuit; ut omnia circum herbida aduſſerit: certum vaſtitatis metum allaturus, ni brevi, ut violentia ſolent, extincto incendio, quieviſſet. Quibus portentis prænunciatam Benedicto mortem gentes crediderunt. qui Nonis Maii naturæ jura exſolvit. Conſtantinus Pogonates non multo poſt magno Eccleſiæ, atque Imperii incommodo XVII. Principatus anno è terris exceſſit. Heredem Imperii, ſed non paternarum virtutum Juſtinianum V. reliquit. Nam & Eccleſiam exagitavit, & vindictæ appetentiſſimus fuit: neq; unquam calamitatibus, quas plurimas perpeſſus, erudiri, atque ad frugem revocari potuit. Adeo prava homini indoles, ubi à teneris adolevit: à Leontio Orientis Præfecto captus, naribus reciſis Cherſonam in exilium pulſus.

Anno DCXCIV. Neapoli Agnello extincto, Julianus in Præſulem cooptatus, cumque VII. annos Eccleſiæ præfuiſſet, ut Diaconus auctor eſt, vivere deſiit, atque ob egregias virtutes, quibus præluxerat, inter Divos eſt relatus. Quo tempore non pacatiores in Occidente Eccleſiæ res erant, Longobardi Duce Giſulpho Beneventano, viro turbido, ac dominationis appetentiſſimo, in Eccleſiæ Romanæ ditionem irruperant, locisque plurimis incenſis, innumeras prædas abegerant. Interea Sergio extincto, Joannes VI. renunciatus Pontifex fuerat, cujus creatione nihil Giſulphus perterritus, arma iterum in Romanam ditionem circumtulit. Orſura, Arpinoque expugnatis, aliiſque oppidulis in deditionem acceptis, caſtra ad Morream poſuerat. Dum verò Joannes Giſulphi motus ſedare nititur, novæ à Græcis turbæ excitatæ. Tiberius, qui Leontio tyranno ſublato, Imperium invaſerat, ſummaque im-

potentia adminiſtrabat: nempe ut vi parta, vi etiam tueretur: non intelligens, haud diuturnam eam potentiam futuram, quæ juſtæ moderationis modum exceſſiſſet: Theophilatum Exarchum in Italiam miſerat; eique injunxerat, ut Romam à Pontificis poteſtate ſubduceret: eumque vi, quando ſuaſione non profeciſſet, induceret, ne in Romanos Imperium exerceret. Theophilatus, ut tyranni juſſa exequeretur, non Ravennam uti mos obtinuerat; ſed per Siciliam Romam navigavit. Romani ea novitate aliquid in ſe moliri Exarchum ſuſpicati, arma capiunt, eumque de medio ſuſtuliſſent, ni ejuſdem Pontificis opera ereptus, liber Ravennam confugiſſet. Joannes eo periculo ſuperato, ad Giſulphum curas applicuit. Cum autem ad officium revocare armis non valeret, authoritate, ac manſuetudine agere conſtituit. Sacerdotes multa ætate, vultuſque reverentia conſpicuos ad eum cum Pontificiis donis legat; eumque vehementer rogat, ut omiſſo bello, pacem Eccleſie, cujus filius ipſe, non hoſtis erat, concederet. Giſulphus ea Pontificis manſuetudine captus, gratiis Joanni pro muneribus actis, captivos, quos habebat, emittit, præſidia ex oppidis educit, pacemq; Romanis concedit. Tanti apud Principes Pontificum authoritas valet; cum hi majeſtate ſui nominis uti potius, quam vi ſciunt.

Dum autem Giſulphus bello Romanos vexaret, non deſiderabantur apud Longobardos, qui pietatem excolerent; etenim decocta barbarie, in humanos ritus manſuefacti tranſiverant. Tres inter reliquos nobiles juvenes fuere, Paldo, & Toto fratres, qui unà cum Totone patrueli, divitiiſque, quibus affluebant, ac Giſulphi aula, cui proximi cognatione erant, relictis, Beneventoque egreſſi, in longinquas terras; ut ibi Deo liberius inſervirent, ire conſtituerunt. Ubi verò in Sabinos pervenerunt, Abbas ejus Monaſterii, quod apud eas gentes dedicatum Virgini erat, de illorum conſilio divinitus paulò ante admonitus, ut Paulus Diaconus author eſt, juvenes hoſpitio excipit, ac perhumaniter tractat: inde eis perſuadet, ut in Samnium revertantur, ædiculamque ad Vulturni fontes D. Vincentio ſacram amplificent, ibique cœnobio extructo ſanctiorem vitam inſtituant: futurum id Superis gratiſſimum. De quo poſtquam aliquantum dubitaſſent, exequi tandem Abbatis conſilium decernunt. Ædem, ac Monaſterium propriis ſumptibus ædificant, eique Paldonem præficiunt: confluentibus mox aliis, ampliſſimum cœnobium evaſit: & non minus ſanctimonia, quàm incolentium doctrina celeberrimum. Ejus fama latè evulgata Giſulphum Benevento accivit. Qui cœnobitarum virtutes admiratus, circumpoſitum eis agrum, quod ampliſſimum erat, donavit; ut ſic proventu abundè comparato, commodius pietati vacarent, ſimulque ipſe in tam pii operis partem veniret. Inde Beneventum re-

reverſus, non multo poſt fato conceſſit.

At Juſtinianus ope Tribellii Bulgarorum Regis in Imperium reſtitutus, in tyrannos primum, eorumque amicos crudeliſſimè ſęviit, pacatum inde Imperium tenens, Conſtantinum, qui, Joanne VI., & VII. cum Siſinio extinctis, tùm Pontificatum obtinebat, in Orientem invitavit, ut de controverſis inter Græcam, & Latinam Eccleſiam Conſtantinopoli ſtatueretur, cumque enixe rogavit, ne gravaretur ſua præſentia Orientem illuſtrare, quando ſatis Occidenti illuxiſſet: venturum ſe Romam aſſerens ad præſtandum ei obſequium, ſi Imperii ſalus permiſiſſet. Conſtantinus Syrus genere haud denegandam hanc Cæſari gratiam duxit. Quocirca multis Præſulibus, ac Miniſtris ſtipatus ad Tiberina oſtia, ubi eum miſſa à Cęſare claſſis præſtolabatur, deſcendit, conſcenſiſq; navibus II. Id: Octobris DCCX. Neapolim venit. Neapoli Tizzocopium Patricium Exarchum Theophilati loco à Juſtiniano miſſum obviam habuit. Mox in urbem à Neapolitanis grandi honore exceptus, & ſplendidè tractatus. Cum verò plurima Neapolitanis beneficia contuliſſet, Siciliam navigavit, ex qua Rhegium Julium trajecit. Rhegio Crotonem, inde Callipolim appulit, ad ultimum tandem Italiæ oppidum Hydruntum devenit. Hic inſtante jam hyeme, multos menſes moratus. Primo vere ſequentis anni, Hydrunte relicto, in Græciam navigavit, proſperoque uſus vento, brevi Conſtantinopolim applicuit. Cujus adventu cognito, Tiberius Juſtiniani Cæſaris filius, Cyrus Patriarcha, Pontificalibus inſignibus indutus, univerſoque Clero ſtipatus, cæterique aulæ Proceres obviam ad octavum uſque lapidem proceſſerunt: acceptumque grandi honore in urbem deduxerunt. Ex qua eodem comitatu Nicomediam pervenit: ibique Imperator Nicea rediens eum convenit, ac ſacros pedes humiliter deoſculatus. Cæſarem Conſtantinus Pontifex peramanter complexus, ſacram benedictionem impertivit. Quid verò egerint, & quis tantæ expeditionis fructus extiterit, minimè innotuit, ſiquidem publicè nihil actum. Suſpicio tamen fuit, eos canones agitatos, qui in Synodo, quæ erratica appellata, conditi fuerant, & à Sergio Pont: minimè admiſſi, quos æquos cenſeri Juſtinianus volebat, cui Gregorio adhortante, ſe fortiter Conſtantinus oppoſuit. Tandem cum magnificè ab Imperatore tractatus fuiſſet, in Italiam rediit, Cajetam appulſus, ex qua à populo Romano ſumma lætitia, ac pompa in urbem deportatus. Venturis poſt ſe exemplum relinquens eas expeditiones ſine certo, ac grandi Eccleſiæ emolumento non eſſe à Romano Pontifice ſuſcipiendas.

Anno DCCXII. Philippicus cognomento Bardanes Juſtiniano occiſo, Imperium occupavit: tanta ea infelici Græcorum ætate feracitas tyrannorum fuit: Nimirum perditi hominum mores na-

turam efferaverant, & ubi peccare ſemel impunè cœptum, nullum licentiæ frenum eſt. Romæ pacatiores res erant, Conſtantinoque è vivis ſublato, Gregorius II. vir omni diſciplinarum, virtutumq; laude ornatus Pontifex Maximus anno DCCXVI. omnium ordinum gratulatione ſalutatus. Sub quo Neapolitanam Laurentius Eccleſiam regebat, cujus etſi acta exciderint, celebre tamen nomen fuit, inque Divorum album ob inſignem viri ſanctimoniam relatum. Rempublicam verò Joannes Dux adminiſtrabat: Cui receptæ à Longobardorum manu Cumæ cognomen veteri more fecerunt. Romualdus II., qui Giſulpho extincto, Beneventanum Principatum anno DCCVII. ſub Ariberto Longobardorum Rege ſuſceperat, otii impatiens, proferendæque dominationis cupidiſſimus bellum finitimis inferre conſtituit. Cum verò optimè intelligeret, quantam ſuæ ditioni acceſſionem allaturus eſſet, ſi eam Tyrrhenum uſque, Bajanoſque ſinus extenderet, oppugnare Cumas decernit, quas ſi ſub poteſtate habuiſſet, & Neapolitanis, & reliquæ Campaniæ facile jugum imponeret. Delectum Longobardorum, ac Samnitium plurimum habet, commeatus comparat; machinas ad oppugnanda mœnia adornat. Inde Benevento egreſſus, Cumas movet. In eo Campaniæ litore, quod ſupra Miſenum ad Vulturnum amnem excurrit, editus collis jacet, qui ſenſim ad mare, & Occidentem Solem deſcendit, objectamque, modico freto interfluente, Prochytam aſpicit, & eas inſulas, quas Pithecuſas veteres appellavere, piſcoſum dextra lacum Licolam minoribus dictum, ſiniſtra Acheruſiam paludem habet. Hoc in colle à Cumanis Aſiæ populis, & Chalcidienſibus Eubœæ inter primas Italicas, Siculaſq; colonias Cumæ edificatæ; quarum non obſcura priſcis temporibus geſta fuerunt. In editiore jugo non amplum ea ætate oppidum erat validiſſimis mœnibus, turribuſque præcinctum: quod vel Ariſtodemi tyranni arcem fuiſſe, vel à Gothis extructum, crediderim: in quod cum difficilis aditus eſſet, inexpugnabilis locus habebatur. Romualdus quibuſdam civium pecunia corruptis, noctuque per murum admiſſus oppidum occupavit; validoque ſuorum præſidio munivit. Gregorius Pont: Cumarum expugnatione comperta, veritus ne Longobardi reliqua Campaniæ loca occuparent, ac graviores Eccleſiæ eſſent, vel ſaltem ex arce tam valida continuis excurſionibus Romanum agrum depopularentur; Romualdo imperavit, ut Cumis diſcederet: renuentem ſacro fulmine percuſſit. Inde ad Joannem Neapolitanorum Ducem ſcripſit; ut Longobardos Cumis ejicerat, ſe LXX. auri pondo ad eam expeditionem ſoluturum, ſi feliciter ceſſiſſet, ſimulque electam militum cohortem Neapolim mittit, qua ad expugnandum oppidum Joannes uteretur. Joannes & Pontificis hortatu, & ſuorum periculo permotus collecto exer-

citu,

ritu, Pontificiiſque ſibi ſubſidiis adjunctis, Cumas progreditur. Et ne nova auxilia in arcem Romualdus ſubmitteret, prima vigilia movit, primo mane Cumas pervenit; poſitiſque in collis aditu caſtris, oppidum obſedit. Longobardi ſæpe eruptione facta, cum ſuorum cæde in mœnia repulſi, tandem CCC. occiſis, D. cum eorum Præfecto captis, Cumæ receptæ. Joannes præſidio impoſito, & antiquis ſociis benè tractatis, ovans Neapolim reverſus; & Cumanus à populo grandi lętitia ſalutatus. Gregorius victoriæ nuncio accepto, pecuniam Joanni tranſmiſit, magniſque cum laudibus ornavit. Illud in hac expeditione memorabile accidiſſe memoriæ proditum eſt. Dum Joannes in hoſtem moveret, ut augurato proficiſceretur, à Sacerdote benedictionem Chriſtiano ritu petivit: oblatus eſt quidam Sergius, qui Duci, totiſque copiis benedictionem impertivit. Cui Joannes ſe illum Præſulem renunciaturum, ſi victor rediiſſet, ſpopondit. Nec aliter factum, ſiquidem Cumis receptis, Laurentioque demortuo, Sergius Antiſtes ſubſtitutus. Qui morum innocentia, ac paſtorali vigilantia dignum ſe ea dignitate comprobavit. Sub hoc Duce Caſſinas Cœnobium à Longobardis exciſum: poſt CXI. annos à Petronace cive Brixienſi, divitiis, quibus affluebat, reſtitutum, ac magnificentius extructum, ad quod pium, atque egregium opus ſuam etiam Gregorius operam collocavit. Religioſis inde viris implevit; & eidem Petronaci, omnium virtutum laude ornatiſſimo, adminiſtrandum commiſit. Ex quo ſecutis temporibus, tanquam ex equo Trojano, plures Magni Pontifices, ac ſanctiſſimi Præſules prodierunt.

Joanni Cumano, quem Magiſtrum Equitum appellatum pariter invenio, Exhilaratum ſuffectum fuiſſe, annales tradunt: & ſi reliqui Scriptores illius non meminerint, fortaſſe quod à majorum pietate deſciverit. Verum hiſtorici eſt & malos juxtà, & bonos Principes recenſere: ut & illorum vitia poſteri fugiant, & horum virtutes imitentur. Plurimum ad fovendam hominis improbitatem peſſima tempora, in quæ incidit, contulerunt. Etenim Juſtiniano occiſo, Philippico excęcato, Anaſtaſio in cœnobium incluſo, Theodoſius anno DCCXV. Romano Imperio invitus præpoſitus. Qui otii magis, quam Imperii cupidus, conſilio cum D. Germano Patriarcha, & Senatu habito, ſe Imperio abdicavit, & Leoni Iſauro tradidit. Ipſe eo onere verius, quam honore levatus, ſacris initiatus Epheſi vixit: ibi objiſſe, & miraculis inclaruiſſe perhibent. Leo horum Sanctorum judicio virorum electus, ſpem fefellit. Nam etſi principio probitatis ſigna ederet, inſtigatus inde à Judæis, qui illi Imperium præſagiſſe ferebantur, furere in ſacras imagines impotentiſſime cępit. Iconomachorum primum errorem induxit, atq; incremento eidem dato, ingentem in Catholicos procellam, quæ diu

Digitized by Google

diu Eccleſiam afflixit, incredibili furore ſuſcitavit. Gregorii II. Pontificis Legatos, qui ei fortiter reſiſtebant, contra gentium jura in carcerem conjecit, ac mori coëgit. Cum verò ſuis Præfectis injunxiſſet, ut ſacras imagines ex Italia, Siciliaque ejicerent, & tam nefariis impii hominis juſſis ſtrenuè ſe Gregorius opponeret; plurima in ipſius Pontificis vitam vi, & dolo molitus eſt. Primum Mauritii opera, qui Ducis nomine Romam adminiſtrabat, & quorumdam ſceleratorum hominum, qui unà cum Duce conjuraverant, occidere aggreditur. Verum detecta divinitus fraude, cum res ei è ſententia non ſucceſſiſſet, Paulum Patricium in Italiam mittit, ut ſcelus fruſtra tentatum, ipſe perficeret. Hac etiam conjuratione prodita, Romani arma ſumpſerunt, proque ſui Pontificis majeſtate, ac vita acriter decertantes, plurimos conjuratorum occiderunt. Tum tandem Romani Græci Cæſaris, qui cum in Saracenos, ac Turcas arma vertere debuiſſet, Superos bello perſequebatur, impietatem execrati, Orientalis Imperii jugum excuſſerunt: ac Gregorium Dominum ſalutarunt, eique ſacramentum dixerunt. Gregorius ut Romanorum potentia Pontificiam Majeſtatem contra iniquum Grecorum imperium, quod jam in tyrannidem degeneraverat, fortiter tueretur, oblatum ultrò Principatum ſuſcepit. Quem non arma, non humanæ vires, arteſque, ſed populorum ſtudia anno DCCXXVII. auſpicato contulerunt. At non Paulus ab inferenda Pontifici nece ceſſavit. Armatos in Romanos præmiſit; ut omnia cædibus, ac rapinis implerent. Romani, Longobardis in auxilium accerſitis, Exarchi milites, plurimis eorum trucidatis, in fugam conjecerunt. Exhilaratus Dux Neapolitanus, qui ſatis eo argumento erudiri poterat, niſi ambitio, qua Cæſaris gratiam aucupabatur, hominem obcecaſſet, copiis coactis, unà cum Adriano filio, in Romanum agrum irrupit, Romanoſque hortatur, ut Cæſari pareant, eique Gregorium vinctum tradant. Quod Romani indignè ferentes, iraque accenſi, ad arma conclamarunt, concurſuque multitudinis facto, fugientem Ducem inſecuti unà cum filio trucidarunt. Qui ſua nece, inſigne reliquis exemplum reliquit, ne, ut iniquis Principibus obſequantur, impias Sacerdotibus manus intentent, nec vim ullam, nec fraudem eſſe, qua circumveniri unquam pietas poſſit. Exhilarato Petrum ſuffectum, Anaſtaſius author eſt, ſub quo nihil memorabile noſtra in urbe geſtum invenio.

Interea motus in Sicilia excitati, proximam Calabriam plurimum turbaverunt. Baſilius Tiberius nobilis Conſtantinopolitanus, Sergio ejus inſulæ Prætore adhortante, illam occupare, ſpe inde Imperii obtinendi, tentavit: cumque ad novitatem pronæ, ob Leonis impietatem, gentes eſſent, facili negotio acquiſivit. Leo ut tam periculoſo bello ſtatim occurreret, Sergio proſcripto, Paulum Cartula-

tularium novum in Siciliam Prætorem cum exercitu miſit. Sergius illius adventu perturbatus in Calabriam confugit. Quo Tiberius deſtitutus à Paulo victus, ac cęſus. Sergius venia à Paulo impetrata, in Siciliam redivit. Ea occaſione Calabri, quod perduellem exceptſſent, novis tributis gravati, unaque cum Apulis, Lucanis, aliiſq; populis, qui in Græcorum poteſtate erant, crudeliter vexati, vique ad tollendas ſacras Divorum imagines cogebantur. Quæ à Cæſarianis Miniſtris ex omnibus templis, ac privatis domibus rapiebantur. Cum verò idem Paulus Exarchus ſumma impietate ſactitaret, ſuæque ditionis gentes ad amplectandam Cæſaris impietatem impelleret; Ravennates concurſu in Prætorium facto occiderunt. Leo, comperta Exarchi nece, Eutichium novum Exarchum in Italiam mittit: eique vehementer injungit, ut non ſolum Pontificem, ſed Romanos Senatores, cunctoſque, qui Pontificem, ac Catholicam Religionem tuerentur, dolo, quando vi non ſuccederet, interficeret. At fruſtra in eum, cujus tutelam Superi ſuſceperunt, fraudes inſtruuntur. Dolo patefacto, ad arma Romani currunt, eumque pari cum Exhilarato, Pauloque pęna affeciſſent; ni Pontifex Chriſtianæ manſuetudinis memor, prohibuiſſet. Ipſe, re infecta, acceptaque ignominia ferox Ravennam conceſſit. Icto mox fędere cum Luitprando Longobardorum Rege, Romam, quę, ut diximus, jugum excuſſerat, obſeſſurus, infeſtis ſignis venit. Gregorius obviam Luitprando occurrit: & ita ſua Majeſtate, atque oratione flexit; ut ad ejuſdem Pontificis pedes accidens, & regium diadema, & arma D. Petro conſecravit: & ſic conflatam à Græcis procellam mirabili ſolius nominis poteſtate difflavit. Quibus ſumma ſui laude, Eccleſiæque utilitate geſtis XI. Pontificatus anno ſupremo fato perfunctus, magnum ſui deſiderium Romanis reliquit. Cui poſtquam juſta perſoluta, Zacharias Græcus genere, ſed latinæ fidei, morumque innocentia conſpicuus, ſucceſſor datus. Eo tempore Eutichius Exarchus à Luitprando gravi bello petebatur, ex quo, ut ſe redimeret, ad Zachariæ authoritatem confugit. Zacharias, ut hoſtem Eccleſiæ beneficiis manſuefaceret; Ticinum progreſſus, ita Luitprandum, à quo magnificè ſuſceptus, ſua eloquentia permovit; ut Ravennæ potiundæ certam jam ſpem omitteret. Eidem Eutichio à Rachiſio Rege pacem in XX. annos impetravit. Quibus beneficiis, ac raro Catholicæ manſuetudinis exemplo revocari ab errore potuiſſet: ni tanta in Heterodoxis pertinacia, ut nec eos beneficia, nec rationes valeant emollire. Idem Zacharias anno DCCXLVIII. Caſſinas Cœnobium ab omni Præſulum poteſtate exemit, ſolique Romano Pontifici parere voluit. Ut eo nimirum honore is locus donaretur, ex quo plurimi Pontifices produturi erant.

Bene-

Digitized by Google

Beneventi anno DCCXXXIII. Romualdo II. poſtquam ſex, & viginti annos regnaſſet, defuncto; Giſulphus filius, quem ex prima conjuge ſuſceperat, Autona Luitprandi Regis ſorore, Principatum inivit. Hic cum in tenera adhuc ætate paternarum virtutum imaginem referret, quidam Beneventani nobiles, qui libertate Principis propria vitia tegere cupiebant, in eum conjurarunt. At plebs Beneventana, cui gratiſſimus adoleſcens erat, acceptis armis, in conjuratos inſurrexit, eoſque trucidavit. Luitprandus tumultu cognito, Beneventum ſe contulit, Nepotemque ad tantam ditionem adminiſtrandam non ſatis idoneum ob ætatem animadvertens, ſecum Papiam deduxit, & Gregorium nepotem etiam ſuum Ducem inſtituit. Qui Gitimberga in uxorem ducta, ſeptimo initi Principatus anno interiit, ut Diaconus author eſt. Herchempertus inter utrumque Andelajum interpoſuit, fortaſſe à Beneventanis ſalutatum, & à Luitprando depoſitum. Gregorio extincto, anno DCCXL., Godeſcalcus amicorum ope fultus eum Principatum occupavit. Cum autem venire cum exercitu Luitprandum, ut ſe eo Principatu dejeceret, intellexit, ad Leonem Imperatorem confugere conſtituit. Dum verò rebus univerſis, & Anna uxore, in navim impoſitis, ipſe conſcenſurus jam eſſet, à Beneventanis, qui Giſulphi partes ſequebantur, improviſo circumventus, occiditur. Giſulphus, qui adulta jam ætate, ac regiis artibus imbutus, tum primùm Papia rediverat, ingenti populorum lętitia anno DCCXLIII. Dux ſalutatus. Qui annus Luitprandi Regis fato inſignis fuit. Optimus hic Princeps poſtquam labantes Longobardorum res ſtrenuè reſtituiſſet, Græcoſq; bello perſecutus, univerſum ferme Exarchatum illis eripuiſſet, ipſamque Ravennam Papiæ æmulam expugnaſſet, quam tamen, Venetis adjuvantibus, Græci deinde receperant: plurimaque laude digniſſima geſſiſſet: ſeque in Romanos Pontifices obſequentiſſimum exhibuiſſet, atque ad illorum pedes regia inſignia ſubjeciſſet, glorioſum mortalitati finem impoſuit. Poſt cujus fatum Ildebrandus nepos regnum obtinuit: at ſeptimo initi Principatus anno expulſus locum Rachiſio Forojulienſi dedit. Qui anno DCCXLIV. à Longobardis ex Duce Rex ſalutatus.

In Oriente, ubi res Eccleſiæ in pejus quotidie ruebant, jam Leo infamem animam efflaverat, dignumque ſe ſucceſſorem reliquerat. Is fuit Conſtantinus filius cognomento Copronimus, quo idcirco cognominatus, quod dum luſtrali aqua à D. Germano ablueretur, ſacrum fontem ſordibus inquinaſſet. triſte omen triſtis eventus, ut idem D. Germanus præſagiverat, ſecutus eſt. Etenim peſſimus fuit, omniumque vitiorum labe inquinatus. In ſacras prę-ſertim imagines ad inſaniam uſque, ac furorem exarſit: Frangi eas, lacerari, inque ignem conjici, ubicumque repertæ forent, præci-

pie-

piebat. Dux Neapolitanorum, qui Orientalium errores execrati ex illorum jugo jam ſe ſubducere, veteremque libertatem aſſerere meditabantur, Stephanus erat. Præſulatum, Sergio, & qui proximè ſucceſſerant, Coſma, & Calvo extinctis, Paulus ſanctiſſimus vir gerebat, qui quoniam Romani Pontificis partes, & Catholicam veritatem contra Heterodoxos ſtrenuè tuebatur, magnam tum Cęſaris, tum Miniſtrorum ejus ſibi invidiam conflavit: qui furiis agitati, ſanctum Antiſtitem urbe expulerunt; minisque eos, qui acrius pietatem ſectabantur, perterruerunt. Paulus in ædem D. Januarii extra urbem poſitam, confugit, inque illius cryptis degens, paſtoris munera impigrè exercebat, biennium ibi latuit: ex quibus identidem prodiens, gregem ad veram Religionem, quam ab Apoſtolo Petro acceperat, retinendam, vehementer adhortabatur. Cives, quorum ille benevolentiam perpetua manſuetudine, ac benignitate promeruerat, haud paſſi eum diutius latere, concurſu facto, nullaque ſcelerati Cęſaris ratione habita, cujus jugum excutere moliebantur, & juſta ea occaſio videbatur, ſolemni pompa Neapolim Præſulem reduxerunt. Quo facto errare eos convincuntur, qui tùm Neapolim ab Eccleſia defeciſſe aſſeruerunt. Paucorum hæc nota fuit, quibus inuri merito poſſe, imo & deberi, non inficior, qui ut pote Cęſaris miniſtri, illius errores ſequebantur. Id Sergius Præſul, qui poſt D. Laurentium, in ea dignitate præfulſit, & cui ab eodem Divo ille honor prænunciatus, docere ſatis poteſt, nam monitus à Gregorio III., ut Conſtantinopolitani Antiſtitis amicitiæ renunciaret, ſtatim paruit; docere ipſi Neapolitani poterunt, qui Cæſaris juſſis poſthabitis, frementibuſque jis, qui cum Cæſare ſentiebant, amandatum Præſulem, ſummo honore armati deduxerunt. Cęterum quod paucorum culpa ſerius Antiſtitem revocaverint, pęnas communi clade luerunt. Etenim brevi, Paulo extincto, tam atrox urbem peſtilentia invaſit; ut majorem populi partem ſuſtulerit: nec ſufficientibus Veſpillonibus, qui cadavera efferrent, pleraque inhumata jacebant. Quæ ſtrages eo major fuit, quo minus in arte medicorum vim peſtis neſcientium auxilii erat. Nec conſanguinei, domeſticique opem afferre poterant, nam vel timore morbi cuncta momento corripientis, fugiebant; vel eadem ipſi lue comprehenſi, auxilio indigebant.

Ut pauliſper vis peſtilentiæ deferbuit, Neapolitani de eligendo novo Præſule conſilium injerunt, & qualem calamitoſa ea tempora poſtulabant, ſedulò requirebant. Tandem in eam cuncti ſententiam deſcenderunt; ut Stephanum Ducem in eam dignitatem eveherent. Hic cum magiſtratum unà cum Conſulatu XII. annos ſumma integritatis, prudentiæque laude geſſerat, omniumque civium animos ſibi devinxerat; etenim non faſtus appetens, non pe-

cuniæ cupidus, non præceps ingenio fuerat, ſed in omnes comis, ac munificus: quæ virtutes ut in Principe raræ, ita magni æſtimandæ, & ad continendos in fide populos potentiſſimæ. Uxorem non multo ante amiſerat; Cęſarium filium ſibi collegam aſciverat, atque patriis virtutibus imbuerat. Optimum idcirco populo viſum, ſi eum Epiſcopum eligerent. Eſſe filium collegam, cui magiſtratus urbis continuandus traderetur. Ducem igitur adeunt; & quà ratione, quà precibus invitum tandem cogunt, ut populo ſatisfaciat: ſeque creari Præſulem patiatur, & quando civilia urbis negotia tam egregiè curaſſet, ſacra pari vigilantia adminiſtraret. Stephanus, ut hanc civibus ſuis gratiam faceret, paratum ſe oneri ſubeundo, inquit: & quando ipſi juſſiſſent, delatum honorem accipere. Romam inde progreſſus Stephano III., qui Zachariæ, & Stephano II., qui tres tantum dies Pontificatum geſſerat, ſuffectus fuerat, quid de ſe populus cenſuiſſet, expoſuit. Stephanus, & populi ſuffragio, & ipſius virtute permotus, illico tonſis è more capillis, ſacris initiat: atque è veſtigio Neapolitanum Antiſtitem creat, multaq; laude commendatum, ad gregem ſuæ curæ, fideique commiſſum dimittit. Neapolim reverſus ab effuſa obviam multitudine incredibili gaudio exceptus, ac triumphantis in morem in urbem deductus, ſacraque in ſede eſt collocatus. Ex qua tot illico virtutibus præluxit, & jis vel maximè, quæ Paſtoris erant, tantùm ſacris in ritibus, majorumque cęremoniis inſtructus apparuit, ut vix ab eo, qui à tenero in Eccleſia educatus fuiſſet, majorem diſciplinam deſiderare potuiſſes. Quocirca eam populi electionem divinitus contigiſſe prudentiſſimi quique cenſuerunt. Ineſt quippe divinum quid multitudini: & licet errare ſinguli, univerſi tamen non poſſunt. Pontificatu jam inito, Cæſarium filium Ducem creari curat. Theophilo nobili viro, qui Cęſario poſt ſuffectus, Euproxiam filiam matrimonio jungit. His ſanguinis vinculis jam abſolutus, totus ad regendam Eccleſiam ſibi ſorte datam incumbit. Templa plurima ædificavit, cœnobia extruxit, quorum illud, quod D. Feſto dedicavit, principem locum occupavit: hoc poſtquam diu ſtetiſſet, ſuperiori ſeculo inſtauratum, & D. Feſto, & Marcellino dedicatum. In eo nobiles Virgines ſanctiſſimis legibus vitam transducunt. Secundo loco D. Pantaleonis, & Gaudioſi fana fuerunt, in quorum ultimum è Linterno oppido à Vandalis primum, mox à Saracenis exciſo Sanctorum Fortunatæ, Carponii, Evariſti, ac Priſciani lipſana ſolemni pompa transportavit. Raynerius eorum temporum Scriptor, Eutichetis etiam, & Acutii reliquias tranſtuliſſe: marmoreiſque monumentis in eadem æde collocaſſe, memoriæ tradidit. Ipſe ſeptuagenario major, Adriano Pontifice deceſſit; & apud Divi Januarii ſepultus magna pompa fuit.

Dum

Digitized by Google

Dum verò in Oriente perditi Chriſtianorum mores, ac Cæſaris impietas Eccleſiam vexabant, ut in pauciſſimis admodum priſca fides, ac pietas reperirentur; In Occidente bruma jam excuſſa, erumpere iterum in gemmas, ac reflorere pietas, probique mores cęperunt. Etenim manſuefacti in Hiſpania Gothi, in Gallia Franci, in Italia verò Longobardi Catholicam Religionem piè excolebant. Beneventi Giſulphus majorum ſuorum errores emendare ſatagens Caſſinati Cœnobio, quod jam reſtituebatur, circumpoſitum agrum, plurimas villas, atque oppida donavit. Cunibciga uxor, ne pietate à viro vinceretur, celebre Idolorum fanum, quod in Caſſino erat, dejectis Idolis, ſacro ritu luſtrari juſſit, ac D. Petro dedicari: ſacris inde imaginibus, ac vaſis exornavit. Plures alii nobiles Beneventani inſignes Martyribus Baſilicas dedicarunt, ac prædiis multis donarunt. Giſulphus Juſtinianum æmulatus ſuperbiſſimam Beneventi ædem Divinæ Sapientiæ excitare adorſus: ne vero abſolveret, mors obſtitit. Anno DCCL. vivere deſiit, & Luitprando locum dedit. Alter Rachiſius, ut ad Regem Longobardorum redeam, dum bello Eccleſiam exagitaret, obviam ei Zacharias Pontifex non armis, ſed ſua indutus majeſtate occurrit, ad cujus conſpectum Rachiſius divina quaſi vi perculſus, ſtatim ad illius pedes accidit, iraque, ac furore depoſito, multis lacrymis veniam petivit: inde Pontificem rogat, ut ſe ſacris initiaret, quod ubi obtinuit, Caſſinum venit, & inter Monachos admiſſus. Uxor, & filia exemplum imitatæ Caſſinum venere, atque ibi Virginum cœnobio extructo, ſanctam vitam vixerunt. Aiſtulphus Frater regnum ſuſcepit, qui non pietatem fratris, ſed cupiditatem imitatus bello Pontifices vehementer afflixit, plurimaque Eccleſiæ loca occupare armis conatus eſt. Etenim Græcorum diſcordiis ratus poſſe ſe eos ex Italia ejicere; quibus expulſis ſe totius Italiæ Regnum adepturum; ingentem exercitum conflavit: ac Ravennam movit. Quam urbem, Eutichio Exarcha deferente, ſtatim occupavit, eaque capta, reliqua ejus ditionis oppida nullo negotio expugnavit. Atque ita hic titulus, qui ſub Juſtino II. in Italia anno DLXIX. inſtitutus fuerat, anno DCCLII. ſub Conſtantino Copronimo eſt extinctus, qui cum ab Eccleſia rebellaſſet, jure meruit, ut Italiæ Principatum amitteret. Aiſtulphus ea ditione auctus Pentapolitanam regionem invaſit, & ita Romæ imminebat, ut tantum non capta, eo impetu victoriæ fuerit. Stephanus III. cum ſe imparem Longobardorum armis videret, & nihil in Orientalibus Imperatoribus ſpei eſſe: imo & timoris plurimum imminere, ad Galliæ Regem confugit, ut illius auxilio Longobardis obſiſteret. Pipinus, qui tum Francorum regnum obtinebat, invadendæ Italiæ occaſione arrepta, magnis copiis conſcriptis, & commeatu plurimo comparato,

 in

in Italiam movet, inque ipſo Alpium aditu cum Aſtulpho ſecundò prælio confligit; fugatumque Ticini obſidet. Pontifex, qui Aſtulphum humilem in officio continere, non omnino debellatum volebat, Pipino ſuadet, ut pacem cum Rege Longobardorum faciat: qua compoſita, in Galliam redivit. Inter pacis conditiones potior fuit, ut Exarchatum, ac urbes Romanæ ditionis reſtitueret. Verum paulo poſt ab hoſtili exercitu liber, non ſolum eas urbes non reddidit, ſed infeſtis ſignis Romam venit, atque obſedit: ſperans ſi ea potiretur, univerſam Italiam in poteſtatem habiturum. Adfuit iterum Pipinus à Pontifice advocatus: iterumque Aſtulphum Papiæ obſidet: nec prius pacem petenti dedit, quam univerſa, quæ occupaverat, Pontifici reddidiſſet. Cum verò Conſtantini Legati inſtarent, ut Exarchatus Imperio reſtitueretur, negavit Pipinus ea reddenda eſſe, quæ malè Græci defendiſſent.

Sed ad noſtra redeo. Cęſarius, qui in patris locum Dux ſuffectus fuerat, non diu vixit: ſed ſuperſtite adhuc patre, magno urbis incommodo, fato conceſſit, à quo magnificè tumulatus: poſituſque lapis cum epigraphe perquam honorifica, qui cum multorum ſeculorum injuriam viciſſet, hominum tandem ignavia interiit. In hujus Ducis, & Conſulis laudem elegans pro eo tempore carmen apud Capacium legitur. Verùm ea non ultima Cæſarii laus fuit, quod ſub Arechiſio Beneventi Duce primam adoleſcentiam egerit. Nam Stephano Duce, inter Neapolitanos, ac Beneventanos ortum de finibus bellum eſt, cùmque mutuis cladibus deſæviſſent, compoſita pax, obſeſque pacis Duci Beneventano Cęſarius datus eſt. Fuit autem Arechiſius Dux, poſt Luitprandum, qui ſeptem annos regnavit, magna Longobardorum lętitia ſalutatus, quippe qui inter omnes optimus habebatur, & ſanè fortiſſimus fuit, & tum religione, tum juſtitia laudatiſſimus. Primus ex Longobardis, qui non contentus Ducis titulo, ſe Principem appellari voluit: regia inſignia aſſumpſit: & à Beneventano Antiſtite Regum more inungi juſſit. Et ſanè ſi ditionis amplitudo, ac potentia ſpectabatur, dignus profectò, qui Regibus adnumeraretur. Accedebat animi magnitudo, quæ nihil mediocre patiebatur, fortunatiſſimus certè futurus, ni res Longobardorum Deſiderii temeritate concidiſſent. Etenim anno DCCLVI. Aſtulphus, qui toties Romano Pontifici fidem fregerat, dum venatu ſe exercet, cęleſti igne tactus interiit, Deſiderius Thuſciæ Dux, ope Stephani Pontificis,quem magnis ſibi promiſſis conciliaverat, Rex Longobardorum renunciatur. Qui ſimul ac Regnum adiit, Faventiam, ac Ferrariam, cum univerſa hujus ditione Eccleſiæ reſtituit. Deinde Stephano defuncto, Deſiderius, quaſi ſolutus juramento eſſet, quæ ſpontè dederat, armis repetiit: aliaque vi extorquere conatus eſt. Paulus, qui fratri ſuc-

ceſ-

ceſſerat, mitioris indolis vir, Deſiderium toleravit: magis expedire ducens, ut ea Italus jam Princeps poſſideret, quam iterum ad deprædandam Italiam exteros induceret. At non ita Stephanus II., qui poſt Paulum Pontificatum adeptus, ſenſit. Chriſtophorum, ac Sergium Legatos ad Deſiderium mittit: qui eas urbes repeterent, quas Eccleſiæ eripuiſſet. Deſiderius cum mitius agere cum communi parente debuiſſet, durius egit, ac Legatos contra jus gentium excæcavit: quæ cauſſa excidii fuit, qua ipſe, & Longobardorum regnum interiit. Etenim Adrianus, qui Stephano ſucceſſit, Carolum, qui inde Magnus appellatus, Pipini filium, qui propter Hermengardam Deſiderii filiam repudiatam, jam infenſus Regi Longobardorum erat, magno Francorum coacto exercitu in Italiam venit. Cui Deſiderius nihil territus ad Ceniſij montis anguſtias occurrit: eas verò anguſtias cum tueri vallo commodò poſſet, nimia fiducia pugnare maluit, acie victus Papiam confugit. Victor Carolus ne tempus ullum hoſti ad reficiendas copias daret, illicò inſecutus Papiæ obſedit. Quam poſt longam obſidionem unà cum Deſiderio obtinuit. Deſiderius cum captivis in Galliam abductus. Aldegiſius ejus filius ad Conſtantinum confugit, à quo Patricius creatus: miſera mortalium conditio; ut qui Rex natus eſſet, privati honore affici magni duxerit. Atque hic regni Longobardorum finis fuit. Ab Alboino cœptum anno DLXVIII, in Deſiderio poſt CCVI. annos finem, uti reliqua habitura ſunt, conſtitutæ dominationis accepit. Carolus cum anno DCCLXXXI. Romam veniſſet, Ludovicum filium Aquitaniæ Regem, Pipinum alterum Italiæ creavit, inungique ab Adriano procuravit, & ſic Italia non libertatem conſecuta, ſed tantum ſervitutem mutavit. Veritus deinde Adrianus ne Arechiſius Beneventanus fretus affinitate Longobardorum, qui, Deſiderio capto, in eum unum ſpectabant, ſibi Italiæ regnum vindicaret; quod & uxoris jure, quæ ex Deſiderio nata erat, repetere potuiſſet, rurſus in Italiam Carolum evocavit. Carolus exercitu in Italiam ducto, in Samnium caſtra movit. Arechiſius veritus Caroli fortunam, quæ ſurgentia fovere imperia conſuevit, acie cum hoſte decertare noluit, ſed copias omnes Beneventum deduxit. Verum cum eam urbem defendere ſine certa totius domus ruina diu non poſſet, pacem à Carolo petiit: & his conditionibus impetravit: Beneventani Duces Gallis Regibus ſacramentum dicerent: certam pecuniam in annos penderent: obſides Grimualdus, & Adilchita filii in Galliam mitterentur: corona aurea, quam geſtare Arechiſius inceperat, cum magna pecuniæ vi pro belli expenſis victori traderetur. Quia verò parum honeſtum videbatur, ut Adilchita puella in longinquas terras commigraret, Parentis precibus relicta. Aldegiſius, qui tum pro Cæſare militabat, & author apud Rachiſium

ſuc-

Digitized by Google

fuerat, ut Carolo fortiter obſiſteret, Neapolim ad tutum id temporis aſylum confugit. Porrò Arechiſius nihil eo belli ſucceſſu perterritus, ad muniendam ditionem totus incumbit; quæ media inter Gallos, quorum potentia ſublatis Regibus Longobardorum maximè creverat, & Græcos cum eſſet, ab utriſque ſibi cavendum cenſebat, & poſſe etiam alterutrius auxiliis fultum, alterius conatus eludere, ſi munitam ipſe eam habuiſſet, idcirco Salernum, cujus ſe Principem appellari juſſerat, egregiis operibus munit, uti valido eo munimento Tyrrheno mari tanquam è ſpecula excubaret.

At Neapoli Cæſario è vivis ſublato, Theophilus, Theophilactum alii vocant, cui filiam Stephanus nuptui dederat, Dux creatus, quo tempore, mortuo Leone IV., Conſtantinus VI. cognomento Porphyrogenitus unà cum Irene Attica matre Orientis Imperium tenebat. Hæc mulier virili fortitudine filio adhuc puero Imperium aſſeruerat: nihilque eorum prætermittebat, quæ ad illud pacificè retinendum conferre videbantur. Verùm ingratus filius, in quo patris indoles, non matris relucebat, vix pubertate egreſſus, matrem Imperio ejecit, & crudeliter habuit: inde cuncta, quæ optimè ab illa conſtituta fuerant, ſubvertit: Divorum imagines Patris exemplo ſprevit, ac conculcavit. Quia verò rarò impii longævi ſunt: à matre excæcatus, ne liber in Deum, ac Superos fureret, brevi ex mœrore interiit. Irene ſuſcepta Imperii adminiſtratione, primam Religionis curam complexa: conjugiſque, & filii impietate damnata, ut ſacris imaginibus ſuus honor redderetur ſedulò curavit. Præſules, ac Monachos in ſua loca reſtituit. Theodori monitu, Conſtantini ſoceri corpus effoſſum publicè cremari juſſit, cineresque in mare ejici, quemadmodum ipſe Divorum oſſa jactaverat: reponique parem impio viro pœnam, ejuſque, qui malorum omnium caput fuerat, deleri memoriam curavit, fortunata ſanè femina, ſi parem virtute filium procreaſſet. Theophilo Duce, anno DCCLXXXVIII. Saraceni, qui vicinam Africam occupaverant, plurimarum navium claſſe in Campaniam appulere: ſubitoque impetu univerſum Neapolitanum agrum depopulati, circumpoſitiſq; caſtellis occupatis, ad obſidendam urbem proceſſerunt. Prid: Kal: Julii, cùm D. Pauli feſtus dies ageretur, per Donurſiam portam, quæ id temporis, prolato pomœrio, Conſtantinopolitana nuncupatur, improviſo in urbem, effuſoque agmine ingreſſi, in cives armati ruunt; omniaque ſanguine, & ſtrage replent, brevique tota ea urbis regione potiti, quæ ab ea porta ad forum pertinebat. Erat autem forum pro æde Caſtoris, & Pollucis; quæ ſacro inde ritu expiata, D. Paulo dedicata eſt, extatque ad hæc tempora unà cum foro. quod ab æde proxima D. Laurentii, ubi urbis magiſtratus reſidet, nomen apud Minores obtinuit. Theophilus Dux, ut urbi,

ſuo-

ſuorumque civium ſaluti ſuccurreret, cum electa militum manu, quos raptim armaverat, hoſtibus obviam proceſſit: plurimoſque illorum ſua manu cecidit. Dum verò in barbaros animoſius invehitur, haſtæ ictu percuſſus, non prius occubuit, quam multo Saracenorum ſanguine, necem ulciſceretur. Neapolitani, quod rarò uſu venit, Ducis cæde ferociores facti, acrius in hoſtem irruunt, certi aut vivere, aut mori: corporaque pro vallo barbaris opponunt. Dum autem accerrimum certamen ardet, delecta Francorum manus, Roma à Carolo de periculo Neapolitanorum admonito in auxilium miſſa, ſupervenit. Qui oblatam rei benè gerendæ occaſionem fortiter arripuere: atrox prælium, & pertinax fuit: diuque incertum, utrinam parti inclinatura victoria eſſet. Tandem Superis opitulantibus, Neapolitani hoſtes loco moverunt, magnaque clade urbe ejecerunt. Saraceni mœnibus pulſi, vires colligunt: & caſtra eo loco, quod Malaczanum populares vocant, metantur. Ex eoque per ſex menſes crebris excurſionibus circumpoſitam regionem vaſtarunt. Demum poſtquam plures ex Apulia, Lucania, Calabriaq; copiæ advenissent, menſe Januario eo die, qui D. Pauli Converſione inſignitus, Neapolitani unà cum ſociis urbe egreſſi, aciem explicant, factoque impetu Saracenos invadunt. Hi cum tantum impetum ſuſtinere non poſſent, terga vertunt, effuſaque acie naves petunt. Neapolitani denſis ordinibus inſecuti magna occidione deleverunt. Caſtris inde direptis, ingenti præda onuſti ovantes in urbem redierunt: ſummoque à ſuis plauſu excepti. In primo certamine DXXVII. ex Neapolitanis deſideratos invenio: vulneratos DC. ex auxiliariis tria millia occidiſſe. Ex Gallis equitibus D. ex peditibus DCXL. occubuiſſe. In ſecundo XLVI. equites Gallos cum Aimone eorum Duce, ac quatuor filiis egregiè pugnantes in acie cecidiſſe: ex Neapolitanis Equites CC. pedites duomillia fortiter pro patria dimicantes vitam dediſſe, in iiſdem annalibus reperio. Aldegiſius Deſiderii filius vir miræ fortitudinis, dignuſque ut diutius viveret, poſtquam ingentem barbarorum cladem edidiſſet, pluribus ictibus confoſſus occubuit: ejus corpus in Galliam Ciſalpinam ad ſuos remiſſum. Galli Duces cum reliquis in ædem D. Januarii militari pompa elati. Ex hoſtibus ad XLII. millia occiſa XL. naves combuſtæ, pauci ſe fuga ſubduxerunt. Neapolitani templum Caſtori, & Polluci à Tiberio Auguſti liberto poſitum D. Paulo ob inſignes haſce victorias ſuo auſpicio relatas, beneficii memores dicarunt. In hoc bello eveniſſe, quod ſuperius retulimus, Capacius affirmat: Neapolitanos nimirum à D. Michaele admonitos Agnelli patrocinio ſe ea pugna victores futuros, viſumque Agnellum Crucis ſigno Saracenos in fugam conjeciſſe. Eoque inde in loco ædem D. Michaeli dedicatam, & clavum victoriæ monimentum defixum.

Eo

Digitized by Google

Eo autem bello cum imminuta juventus eſſet, Senatus conſulto decretum, quod Beliſarii ætate factitatum meminerant; ut ex vicinis oppidis honeſtiſſimi quique in civitatem admitterentur; & novis matrimoniis civium numerus augeretur. Galli opera egregiè navata, ad Carolum ſplendidè à Neapolitanis donati redierunt: plures tamen ex illis in urbe manſerunt: ductiſque in matrimonium defunctorum uxoribus, nova prole civitatem auxerunt. Cęterum Theophilum Ducem ideo nece mulctatum, Scriptores quidam tradiderunt, quod avaritiæ ſordibus notaretur: & uxorius pluſquam æquum eſſet, conjugi concederet, atque ob id utrumque odio apud populum fuiſſe. Defuncto Stephano Præſule, viro cæteroqui optimo, tamen Clerici ob filiæ invidiam ſummopere lætati. Id impotens fęmina adeo ægrè tulit; ut neminem ex Clero creari Antiſtitem voluerit. Theophilus, ut conjugi hanc gratiam faceret, Paulum quendam Laicum uxore orbatum, invitum apprehendit: tonſoque capillo Præſulem ſalutat: mox ire Romam jubet, ut à Pontifice ſacris initiaretur. Theophilo in acie cęſo, & glorioſa ea morte nota expurgata, Eupraxia mariti caſu doctior facta, ſe ad frugem reduxit, inque Albinenſi vico cœnobium inſtruxit, Virginiq; dedicavit, in quo unà cum ſacris virginibus reliquum vitæ piè tranſduxit: quæ etiam ab Antiſtite conſecrata, eidem cœnobio præpoſita. Neapolitani ubi feſtos dies pro victoria egerunt, novum Conſulem, ac Ducem crearunt. Hunc Autimum, & Autemium Capacius vocat: atque unà cum uxore pietatem maxime coluiſſe, plurima monaſteria ædificaſſe, peregrinos hoſpitio ſuſcepiſſe, ſanctorum virorum reliquias exquiſiſſe; inque honeſtiorem locum tranſtuliſſe: quibus pietatis operibus, aliiſque, quæ ſui muneris erant, magno in honore apud Patres, ac Plebem habitum; plurimumque apud exteros inclaruiſſe. Divina providentia factum, ut Ducis pietate ſecura à Saracenorum incurſionibus Neapolis quieſceret. Eo enim tempore, Saraceni magnis claſſibus Siciliæ litora, Italiæque circumvehebantur; Hiſpaniaque occupata, toti Europæ imminebant.

Per idem fermè tempus Archiſius Beneventi ſupremum diem obivit. Vir ſanè maximus, qui, ni fortuna, & ſuorum fata conatibus obſtitiſſent, Longobardorum regnum, atque afflictas Italiæ res reſtituere in integrum valuiſſet: inque eo talem Italia Regem fuiſſet habitura, qualem vix univerſorum vota exoptaſſent. Etenim non fortitudo, non juſtitia, non pietas in eo deſiderabantur, munificentia prorſus regia. Templum S. Sophiæ à Giſulpho inchoatum ingenti ſumptu perfecit, atque elegantiſſime exornavit, inque illud XLIV. Martyrum corpora, ex variis Italiæ locis conquiſita, ſolemni pompa deportavit. Inter quæ corpora XII. Fratrum, qui pro Chriſto paſſi in Apulia fuerant, atque in ea provincia obſcuris

locis

lotis jacebant, numerabantur. De his mirum illud memoriæ proditum. Dum Arechiſius noctu, uti conſueverat, in æde S. Sophiæ preces fundebat, duodecim ei homines apparuere: quos cum ille, quinam eſſent, & cur eo tempore in ædem intraſſent? interrogaret: illi reſponderunt, hi, Princeps, ſumus, quos tu tanto ſtudio ex Apulia conquiſitos, hic ſummo honore, ac munificentia collocaſti. Quam verò id officii nobis gratum acciderit, ſenties cum ex mortali hac vita ad immortalem commigrabis. Uſque adeo impenſa in Divos opera ubere proventu non vacat; hi enim ſuperi ſunt, ut vinci beneficiis non ſinant. Superbiſſima pariter duo Palatia, dignaque admiratione habita, quorum unum Beneventi, alterum Salerni excitavit, regioque cultu exornavit. Literas egregie coluit, ac doctos viros magno in pretio habuit. Paulum Diaconum, ex Diomedeis inſulis, in quas à Carolo relegatus fuerat, elapſum benignè ſuſcepit, & inter amicos habuit. Regnavit XXX. pene annos. Quo mortuo Grimualdus filius è Gallia accerſitus, in qua obſes erat, anno DCCLXXXVII. Principatum inivit. His verò à Carolo conditionibus liber in paternam ditionem dimiſſus fuerat: ut Salerni, Acheruntiæque mœnia ſolo æquaret: in publicis tabulis Caroli nomen præfigeretur: in nummis ejus effigies, nomenque inſculperetur: Longobardi barbam raderent. Id Longobardis iniquiſſimum habitum: nihil enim antiquius habebant, quam patrios mores, quibus ſui generis memoria perennis apud poſteros eſſet, retinere; ideoque uti duriſſimæ, nec ab homine libero admiſſæ, ab univerſis repudiatæ; nec eas exequi Grimualdus, etſi ſacramento ſe obligaſſet, unquam curavit; atque hinc inter Pipinum, & Beneventanum ortæ inimicitiæ. Grimualdus ne Græcos etiam hoſtes haberet, Urantiam Conſtantini Cæſaris neptem uxorem duxit. Etſi, non multo poſt, ut mutabile hominum ingenium, repudiatam Conſtantinopolim remiſerit: quæ cauſſa fuit, ut antiquo odio acrius excitato, bellum Græci in Beneventanos intulerint: Exercituque in Campaniam inducto, Theanum primum, inde Nuceriam, aliaque Longobardorum oppida occuparint. Grimualdus cum ſuis obviam Græcis factus, illico Nuceriam recepit, ibique Guiniſchiſium Spoleti Ducem, qui mercede conductus, in auxilium Græcorum venerat, cum omnibus copiis cepit. Quo bello abſoluto, alterum cum Francis ſuſtinuit, de quo tamen vix apud Scriptores obſcura quædam memoria extat.

Porrò Neapoli Antimi Ducis fato; magni in urbe tumultus excitati, cum enim plures candidati eſſent, in partes populus diviſus, & quæque factio ſuum volebat. Multorum ea contentio dierum fuit; & vix ab armis ſe partes continuerunt: quibus nullo modo conſentientibus, ſic tandem controverſia compoſita eſt; ut quando in

popularem non convenirent, ex Sicilia Dux evocaretur, conſuetum in liberis civitatibus pejus malo remedium. Qua civili diſcordia ſæpe factum, ut noſtris nos exteri armis ſuperaverint. Theocliſtus igitur è Sicilia accerſitus, qui Neapolim ſtatim convolans, oblatum ultro magiſtratum arripuit. At non diu eum obtinuit. Siquidem civium diſcordiis Conſtantinopoli auditis, Theodorus Protoſpatarius illicò miſſus. Ex quo, Capacius, deducit, Duces aliquando à Neapolitanis eligi conſueviſſe: aliquando miſſos à Cęſare, qui populi ſuffragio creatos confirmabat. Etſi ultimis temporibus libera omninò à Græcorum dominatione civitas, ipſa ſuos Magiſtratus eligebat.

Non minores interea Romæ tumultus fiebant. Adriano mortuo, Leo III. Pontificatum iniverat: illum Paſchalis Primicerius, & Compularius Sacelli Præfectus nequam homines, ac ſuperbiſſimi nullo modo pati poterant; ut qui ſibi illum honorem ambiverant. Conjuratione ſceleratorum hominum inita, in ſolemni ſupplicatione, nimirum, ut gravius ſacrilegium eſſet, impetum in Pontificem faciunt, populoque per Satellites ſubmoto, crudeliter, cędunt, oculos eruunt, linguam præcidunt, ſemivivumque in arctam cuſtodiam conjiciunt: immane auſum, quod ne Saraceni quidem, qui tum temporis in Chriſtianos immaniſſimè ſęviebant, perpetraſſent. Sed nullum tam atrox, tam immane ſcelus eſt, quod ira, atque ambitione obcęcata hominum mens non audeat. Inde, ut ſecurius cuſtodiretur, in D. Geraſimi cœnobium noctu translatus: ibi Divus Petrus, cujus opem Leo imploraverat, oculos, & linguam reſtituit: benèque ſperare eum juſſit: mox ſuorum opera, ex eo loco in Vaticanum deductus: ac ſubinde armis Spoletini Ducis protectus Spoletum incolumis delatus. Spoleto in Galliam profectus. Paderbonæ à Carolo honorificè ſuſceptus, ibique aliquandiu manſit, tandem multis Præſulibus, ac Proceribus ſtipatus Romam redivit. Hic habita de perduellibus quæſtio, ac majeſtatis convictis capitis in eos ſententia à Judicibus lata. At Leo Chriſtianæ manſuetudinis memor, parci eis juſſit: ſatiſque viſum, ſi tantum relegarentur; ut ſcilicet emendare eos velle, non punire videretur.

Proximo anno DCCCI. Carolus, Alpibus ſuperatis, Romam venit, cui Pontifex Nomentum uſque obviam proceſſit: eumque veluti Eccleſiæ defenſorem, quanta potuit tum amoris, tum grati animi ſignificatione excepit: inde Romam ſimul ingreſſi, feſtis à populo Romano acclamationibus ſalutati. Non multo poſt Leo Carolum nil tale cogitantem Occidentis Imperatorem coronavit, ac ſacro oleo majorum more inunxit. Carolus Auguſtalibus inſignibus acceptis, gratias Pontifici egit: & ne ſe oblato munere indignum oſtenderet, futurum ſe Romanæ Eccleſiæ Defenſorem, ejuſque

jura

jura propugnaturum ſolemni ritu juravit. Itaque factum ut poſt annos CCCXXIII., quibus defecerat in Occidente Romanum Imperium, reſtitutum feliciter fuerit. Populus Romanus, ut novum Cęſarem creatum cognovit eum Auguſtum, Pium, Felicem ſalutavit. Leo ut abſoluta ex omni parte ea gaudia forent, Pipinum Caroli filium Galliarum Regem inunxit, ac regiis inſignibus cohoneſtavit.

Irene cum id in Oriente accepiſſet, Legatos Romam miſit, qui de illata ſibi, & Orienti, quò Cęſarum nomen, ac majeſtas translata à Conſtantino fuerant, injuria quererentur. Carolus, & Leo, ut eam controverſiam pacificè componerent, ſuos in Orientem Legatos miſerunt. Qui dum de pace agere inciperent, Nicephorus Patricius, Irene in Lesbum relegata, Imperium occupavit: quod ut firmius obtineret, pacem cum Carolo libenter inivit, conſtitumque ut Conſtantinopolitani Cęſares totum Orientem, & eam Italiæ partem, quæ à Siponto Hydruntum uſque, & Neapoli ad ultimum Brutiorum promontorium excurrit, unà cum Sicilia, Sardiniaque haberent. Reliqua Italiæ pars, his locis exceptis, quæ Eccleſiæ parerent, & Venetiis, quæ liberę relictę, ad Carolum, & Occidentales Imperatores unà cum reliquo Occidente pertinerent. Media inter duo Imperia Beneventana Ditio relicta. Pace pacta, Leo Carolum hortatus, ut omne Longobardorum nomen Italia ejiceret. Id arduum factu Carolo viſum; cum plerique eorum in Italorum affinitates, ac mores tranſiſſent; idcirco ſancitum, ut in jis locis relinquerentur, ubi ſedem, ac peculiarem principatum obtinuiſſent. In Citeriore Italia Capuæ, Theani, Salerni, ac Beneventi permanſerunt, tantoque cultu, ac virtutibus ſecutis temporibus floruere, ut nullis Italorum inferiores viderentur, experimentoque oſtenderunt emendari in cunctis vitium tempore potuiſſe.

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ

LIBER SEXTUS.

ROmanum Imperium, à tenuiſſimis ortum principiis, ac ſeptingentorum fermè annorum ſpatio per continuos victoriarum curſus propagatum, in ſummum potentiæ, gloriæque faſtigium Auguſtus evexit: Cæſarum inde ſocordia, ac tyrannorum cupiditate inclinatum, Trajanus erexit: civilibus inde diſcordiis iterum fatiſcens, Conſtantinus priſcæ magnitudini, majeſtatique reſtituit, novoque Chriſtianæ Religionis lumine illuſtravit. Verùm translata deinde in Orientem ſede, ita, inſcius licet, labefactavit; ut jam tum adeo inclinari cœperit; ut nec Theodoſii fortunatus cæteroqui labor, nec felix Juſtiniani induſtria, reparare, nedum in ſolidum reddere unquam potuerint. Nempe id etiam regnis accidit, quod in plantis evenire quotidiano experimento comperimus: quæ ſi alienum in ſolum tranſportentur, à fructi ubertate, bonitateque degenerant. Cum enim in Græcorum ignaviam ſenſim Romanæ vires, quæ in Orientem tranſierant, prolaberentur: nec amplius priſcæ ſtudium diſciplinæ, nec paternæ virtutis æmulatio vigeret, ita paulatim labi cœpit, ut brevi ruiturum omninò putaretur. Quin imo ipſi Imperatores non ultimi ruinæ authores exiſtebant. Etenim per mutuas cædes ſibi fraudibus, quibus invicem circum-

cumveniebantur, illatas, tyranni verius, quam legitimi Principes Imperium invadebant, ac plerique eorum, & vitiis, & erroribus inquinati Catholicam Religionem, ac Romanam Eccleſiam vexabant. Quocirca optimum Leoni III. Pontifici viſum, ſi Imperium ſua authoritate, quando armis non poterat, Occidenti reſtitueret, ut ſi non antiqua majeſtas, potentiaque, venerabile ſaltem nomen retineretur. Quo conſtituto, Carolum Francorum Regem, qui ea ætate tum fortitudinis, tum pietatis laude primus inter Chriſtianos Principes habebatur, Occidentis Imperatorem, ut diximus, ſalutavit. Et ſic Romanum Imperium, non armis, ſed Romani Pontificis munere Francis delatum, ex quibus mox ad Italos, ad Germanos inde translatum: perque varias familias deductum, tandem in Auſtriaca altero jam ſeculo conquievit.

Porrò Franci, à quibus ſecutis temporibus Reges accepimus, ſe Trojanos origine faciunt. Ajunt enim, Troja capta, lectiſſimam virorum manum incendio elapſam minorem Scythiam petiiſſe, ac juxta Meotidem paludem, urbe ædificata, conſediſſe, ibique uſque ad Valentinianum Valentiniani filium quieviſſe. Quo tempore, cum Alanos ab Imperio rebellantes, ad officia bello domitos revocaſſent, ab eodem Cęſare honore auctos, & à tributis, quæ pendere conſueverant, in decennium levatos, eo tempore exacto, cum ad vectigal penſitandum revocarentur, & ſolvere recuſarent, ſedibus pulſos, in Germaniam ſub Marcomiro profectos, in ea Provincia, quæ Franconia ab ipſis vocata, conſtitiſſe. Verùm hiſtoria ne iſthæc, an fabula, noſtri inſtituti decernere non eſt. Ex eo tamen Scythicam eos gentem fuiſſe ſuſpicati non immerito quidam ſunt. Alii Germaniæ populos fuiſſe tradunt, & Francones etiam tum à Cicerone appellatos, quibuſcum Probus Cæſar, aliique Romani Duces proſpero eventu dimicarunt. Ex his Francos inde procreatos cenſent, eoſque circa annum CDXX. ſub Pharamundo Rege ab obſcuritate nominis emerſiſſe. Rhenum primum tranſgreſſi, Treviris, ac finitimis in locis conſederunt. Verum non multo poſt, cum Vandali, Alani, Svevi, aliique barbari à Stilicone evocati, in Galliam irrumperent, Franci tot gentibus impares, tranſmiſſo iterum Rheno, ad patrias ſedes redierunt. At non multum ibi quievere: & patrii infelicitas ſoli, & gentis indoles ad novas ſedes inquirendas incitabat. Clodione Rege, qui Pharamundo patre extincto, regnum ſuſceperat, iterum trajicere Rhenum adorti. Ætius vir priſcæ fortitudinis, qui tum Galliæ præpoſitus, eos in tranſitu aggreſſus magna clade delevit, revertique in Franconiam coëgit. Inde cum Bonifacii defectione turbatæ Occidentis res eſſent, Franci novo veluti claſſico excitati, rurſus Merovęi ductu (filium hunc Clodionis, alium alii faciunt) anno CDXLVIII. in Galliam irruperunt. Toxian.

xiandriam primò, mox aliis ſupervenientibus, Tungros occupant; & ad Axonam amnem uſque ſe extendere. Ætius, quoniam ingens ab Attila Hunnorum Rege periculum imminebat, amicos eos pati potius, quam hoſtes voluit; eas Francis ſedes conceſſit, atque in amicitiam Romani Imperii admiſit. Interea Attila cum D. armatorum millibus infeſtis in Galliam ſignis intravit. Obviam Ætius cum Romano exercitu occurrit: nec longè ab hoſte caſtra poſuit, in quibus præter veteres Gallos, Burgundiones erant, ac ſociæ gentes, Francique in primis ſub Meroveo Rege, ac Theodoricus Viſigothorum: qui Aquitaniæ metuens auxilia Romanis intulerat. In aciem progreſſi, dextrum ipſe cornu Ætius accepit: ſibique Meroveum cum Francis adjunxit. Siniſtrum Theodoricus cum Burgundionibus aſſumpſit; reliquæ gentes mediam aciem expleverunt. Atrox prælium, & cruentum fuit: in quo CLXXX. millia utrimq; ceciderunt, atque inter primos fortiter dimicans Theodoricus occubuit. Nox superveniens pugnam diremit. Attila, qui non Galliam modo, ſed totum Imperium ſpe devoraverat, victum ſe ratus, quod non viciſſet, triſtis in caſtra copias deduxit, eaque validis munitionibus præcinxit, veritus ne in illis ab hoſtibus invaderetur. Ne verò barbarus cum omnibus ſuis deleretur, Ætius prohibuit: timens ne tot feroces populi tanta victoria elati, Romanamq; militiam edocti Galliam ipſi occupaſſent. Quæ cauſſa fuit, ut ei à Valentiniano nex inferretur: ejuſque exemplo reliqui docerentur: Nunquam dubio futuri mali, præſentem fortunam amittendam eſſe. Anno CDLIX. Meroveo Childericus ſucceſſit, qui cum pudicis inferre ſtuprum matronis ſæpius tentaſſet, primorum conjuratione, fuga ſalutem quærere eſt coactus: inque Thuringiam ſeceſſit. Franci ejus loco Ægidium Civem Romanum Sveſſionum Prefectum Regem ſuffecere. Hic non ſatis intelligens haud diu tutum ſibi apud exteros regnum fore, delatum ſibi Principatum ſuſcepit, & ſex annos tenuit. Childericus, & amicorum apud quos exulabat, ope fretus, & à plurimis Francorum, qui externi hominis imperium aſpernabantur, evocatus, in regnum revertitur. Ægidium obviam cum exercitu venientem fundit; & ad Viſigothos fugere compellit. Regno recepto, ſuas fœminas exoſus, quod earum cauſſa regnum amiſiſſet, Biſſinam Thuringiæ nobiliſſimam ſibi matrimonio jungit: ex qua Clodoveum ſuſcepit. Qui patre vita functo, regnum anno CDLXXXV. inivit. Cotildem religioſiſſimam fœminam ex Burgundionum Regibus ortam, ſibi dari petiit; cumque affines religione impediri profiterentur, Chriſtianam ſe Religionem amplexurum ſpopondit. Cum autem luſtrationem differret, atrociſſimum cum Alemannis bellum exortum eſt. Eo bello dum ſignis collatis cum hoſtibus confligeret, ſuique Alemannorum impetum ferre ne-

qui-

quirent, inque fugam verſi revocari in aciem nullo modo poſſent; tum ipſe ſponſionis memor, Chriſtiana ſacra ſe ſuſcepturum vovit, ſi victoriam ex hoſte retuliſſet. Voto concepto, mirum oppidò, quanta ex improviſò alacritas, ac novus ardor cunctis obortus: ad ſigna redeunt, pugnam inſtaurant, ceſiſque magna clade hoſtibus, inſignem victoriam retulerunt. Clodoveus victor ſtatim ſe voto exſolvit, ſacriſque à D. Remigio aquis luſtratus Ludovicus appellari voluit, quem ſui illicò imitati Chriſto nomen dederunt: ſumma veterum Gallorum lętitia, qui unà coeuntes Francico Regno exordium felici auſpicio fecerunt. Ab hoc fortunato Rege XVIII. Carolus erat; qui magnitudine rerum geſtarum, & ob reſtitutum Imperium Magnus veteri more appellatus. Sed ne in externis rebus, quæ benè amplæ ſunt, nimis immorari videar, ad propria revertor. Beneventi Grimualdus ſupremum diem obiverat, cumque nullos ex ſe liberos reliquiſſet, Beneventani Grimualdum Theſaurorum cuſtodem Principem hujus nominis IV., ſeptimum decimum à Zutone Ducem ſalutaverunt, cujus initia Principatus haud læta ob Gallorum excurſiones fuerunt. qui extincto Principi ob violatum ſacramentum infenſi, arma in Samnium circumferebant. Cum verò de præſenti rerum ſtatu conſilium ſuorum haberet, Majo Beneventi Præfectus, ita ad eum locutus: Haud dubium, Grimualde, quin noſtri non æquum bellum ſuſceperint: ac tuus prędeceſſor, non impletis conditionibus, quibus ſe Carolo obſtrinxerat, datæ fidei defuerit: cujus criminis periculoſò bello, & ſua morte pęnas luiſſe cuncti vident, teque divinitus populis datum; ut præſentibus remedium malis cautiore conſilio afferres. Quocirca ne, quæſò, injuſtum ſuſtinere bellum diutius velis: quo & tibi, & ditioni univerſæ ruinam moliaris: moderatiore utere ſententia, laudique tibi futurum exiſtima, ſi fędere cum Gallis facto, impletiſque conditionibus, quietem tuis, ac felicitatem concedas. Neq; enim turpe tibi putes Carolo parere, cui ob magnitudinem rerum geſtarum, ob Imperium, quo à Pontifice auctus, ac veluti parens Chriſtianorum Principum conſtitutus, æquum eſt, ut univerſi, primas deferant, ac veluti Dominum venerentur. Cedendum præterea fortunæ: non enim nunc eadem Longobardorum conditio, quæ antea fuit: quique tempori inſervire novit, ille mihi, & prudentiſſimus, & fortiſſimus habetur. Contra Ranphro, & ingenio perſpicax, & ſermone facundus, in hanc ſententiam exorſus: Ceſſere quidem, non eo inficias, Gallorum fortunæ; non virtuti, jurique Longobardi: quorum etſi regnum in Deſiderio extinctum; ſupereſt adhuc illius & nomen, & majeſtas in Beneventano Principatu. Arechiſius Caroli jugum pro tempore toleravit; ut glorioſius excuteret: quò enim aliò ſpectabant fędera cum finitimis inita, totque

arces

arces excitatæ, niſi ut Francorum tyrannidem excuteret? Grimuald us quamquam inter Francos educatus, ut in illorum mores tranſiſſe videri poſſet, nihilominus, ut poteſtas facta, jugum excuſſit. Idque laudi dandum illi, non vitio vertendum eſt. Quod ſi fato præreptus, dolendum potius nobis eſſet, niſi Dei beneficio Principem obtinuiſſemus, qui nos in antiquam libertatem fortis aſſereret, ad quod vel ipſa præſentium rerum conditio invitat. Pipini vires aliò diſtractæ: qui noſtris in finibus Franci hęrent, pauci ſunt, ac prædari potius, quam collatis ſignis dimicare conſueverunt: quocirca ne conſpectum quidem noſtrorum paſſuri ſunt. Sed eſto vincant, communis Mars eſt, & varia Fortuna. Gloriæ nobis dabitur, quod non ignavi, ſed fortes virtuti, fortunæque ceſſimus. Veniant igitur Galli, & armati ſacramentum à nobis, & vectigal petant. Grimualdus hujus ſententiam ſecutus, urbe copias educit, acieque inſtructa hoſtes aggreſſus eſt. Atrox primum dimicatio fuit, mox cedentibus Francis, victoria ad Longobardos inclinavit. Ranphro cum Gallum, qui eum duello provocaverat, occidiſſet, ctu teli ab hoſtibus clam emiſſo victor occubuit; ne dati conſilii, editæque virtutis fructum perciperet: ejus mors acerbiſſima Grimualdo fuit: qui cum intellexiſſet Majonem acie egreſſum in proximum ſe molendinum abdidiſſe, comprehendi eum, aſinoque impoſitum per totam urbem circumduci, virgiſque veteri more cædi imperavit; ut eo documento, & in conſilio, & in acie ſe fortes reliqui exhiberent.

Bello abſoluto, Sico vir magnæ apud Spoletinos authoritatis, cum ſe Pipino novo Italiæ Regi infenſum videret, veritus ne quid ab eo ſibi periculi immineret, in Orientem ſe recipere conſtituit; ut procul ab ictu eo in Aſylo eſſet. Beneventum ſe cum omni familia contulit; ut inde ex Apulia in Græciam trajiceret. Grimualdus tam fortem, ac nobilem virum haud paſſus ab Italia diſcedere: eumque, ut apud ſe maneret, quà authoritate, quà precibus adduxit. Ut verò vitam commode ſuſtentaret, ſedes Acheruntiæ, & ampliſſimos agros dedit. Qui locus venatu opportunus, gratiſſimus Siconi fuit. Forte accidit, ut dum Sicardus, ac Sichinulphus Siconis filii cervum venando inſequerentur, Compſanos in agros intrarent, ibi quaſi vetitos fines, ſine Domini facultate ſubjiſſent, injuria à Compſanis affecti, canibuſque mulctati. Compſæ Radelchiſius Comes imperitabat, qui prætextu ne Pipinus offenderetur, author apud Grimualdum fuerat, ne Siconem apud ſe retineret. Juvenes ut qui indole ferociores, ulciſci injuriam volebant. Sico conceptum filiorum impetum continuit; ſatis eſſe, inquiens, ſi Radelchiſius reddi canes juſſiſſet: haud decere, ut ipſi novi ejus loci hoſpites, vim indigenis ſine gravi cauſſa inferrent; multa eſſe in hominum vita,

quæ

quæ diſſimulanda ſapientibus forent. Radelchiſius hominem ad ſe miſſum, qui canes repeteret, ſuperbè rejecit. Tum Sico unà cum filiis in iram exarſere: armatoſque mittunt, qui Compſano ex agro prædas abigerent. At hic mirum profectò cuipiam videbitur, quod res adeo leves in præclariſſimi Regni hiſtoriam ſæpius inſeramus; verùm ſi res Romanas ab initio urbis percurramus, longè his tenuiores inveniemus. Nihilominus inter maximas Romani Imperii res inferre T. Livius Scriptorum & ipſe maximus non dedignatus, nempe ut & placeret varietas, & haberent poſteri quod etiam è levibus ediſcerent; quando è tenuibus interdum caſibus res maximæ oriuntur: nos tanti authoris, vel ſaltem in levibus hiſce, inhærere veſtigiis magni ducimus.

Radelchiſius cùm id minimè peregrino ab homine expectaret, ira inflammatus, illicò ad Grimualdum Beneventum convolavit, aditoque Principe de Siconis audacia vehementer conqueſtus. Grimualdus, re cognita, venire ad ſe Siconem jubet, qui eo juſſu vehementer perculſus, iterum Orientis adeundi conſilium ſuſcepit. Sciebat enim quam durum Grimualdo ingenium eſſet, & quantæ Radelchiſium affinitates fulcirent. Verùm his caſibus illi viam Fortuna ad Principatum faciebat, nec ipſe quid hæc moliretur tardè intellexit. Acheruntini, à quibus Sico magnoperè diligebatur, ſtatim eum adeunt: & ne ad Principem eat, adhortantur, futuros ſe in illius fide: neque unquam paſſuros, ut ei injuria inferretur, paratos armis in omnem caſum eſſe: nec aliam ſibi fortunam velle, quàm quæ Siconi obveniſſet. His promiſſis, & magna ſpe animatus, Grimualdo reſpondet, ſe morbo impediri, quin ipſius juſſa exequeretur. Grimualdus ratus Siconem nolle eo prætextu imperata facere, exercitu coacto ad expugnandam Acheruntiam ipſe progreſſus. At ubi oppidum ab Acheruntinis Sicone Duce fortiter defendi cognovit, caſtris ad Acheruntiam relictis, Beneventum reverſus, penitens quod in hoſpitem, fortemq; virum arma ſine ſuo lucro intuliſſet. Verum urgebat Radelchiſius, minimè tolerandum, ut majeſtas ab extero læderetur: quid aliud id eſſe, quàm à Principe deficere, reliquoſque ad rebellandum incitare. Grimualdus hominis querelis incitatus, ſuis mandavit, ut urbem expugnarent, vinctumque ad ſe Siconem adducerent. Siconis filii ubi moliri Beneventanos oppugnationem deprehendunt, armata oppidanorum manu mœnibus egreſſi, hoſtes fortiter adoriuntur, brevique in fugam vertunt. Grimualdus etſi ſuorum cædem ægrè ferret; tamen quia ea magna Radelchiſio invidia conflabatur, lætari viſus eſt: queſtuſque apud ſuos, quod Compſani Comitis cauſſa hoſpiti tantæ virtutis, quantæ Sico erat, gratiam facere prohiberetur. Id ad Comitem delatum, adeo illum irritavit, ut conceptum in Siconem

odium, in Principem transferret, iramque diſſimulans, futurum ſe dixit pacificatorem, ſi poteſtas à Grimualdo ineundæ pacis fieret. Illum interea perdere, Siconemque in Principatum inducere animo ſtatuit. Adeò facile mutantur hominum ingenia, ubi nova occaſio novam iram excitavit. Hæc meditanti, dedita occaſio eſt, qua id, quod meditabatur, exequeretur. Erat Beneventi Daupherius vir multæ authoritatis: cui duo liberi, & animo, & manu promptiſſimi, inque omne facinus parati. Caſu factum, ut dum Grimualdi conſanguinei elegantiſſimis equis vecti per Daupherii domum tranſirent, aqua è feneſtris effuſa, equorum clunes abluerentur, id illi iniquo animo tulerunt. Grimualdus ut erat ingenio præceps, atq; indole aſper, eos ad ulciſcendam injuriam hortatus. Nec ſegnes illi ad vindictam fuere; ad quam Principis authoritate incitabantur. Ad aulam, ut moris procerum erat, Daupherius pulcherrimo equo vectus ſalutatum Principem acceſſerat, tum Grimualdi conſanguinei, caudam equo præcidi, atque immundiſſimis ſordibus inquinari præcipiunt. Simul ac illatam Daupherio patri injuriam filii acceperunt, ira accenſi necem inferre Principi, cujus hortatu res geſta à ſuis fuerat, conſtituunt. Neque difficile id quidem fuit; nam omnium in ſe odium Grimualdus conflaverat, palamque erat, infenſum illum Compſano Comiti eſſe. Audaciſſimo ſecum juvene in ſocietatem aſſumpto, nactique tempus, quo ſolus in conclavi Princeps agebat, in regiam irrumpunt: pluribuſque eum ictibus confodiunt: obiit Grimualdus anno DCCCXX. poſtquam XII. ferme annos Beneventanum Principatum obtinuiſſet.

In Oriente multos per annos turbatæ pro Græcorum ingenio res iverant: Nicephorus Patricius Irene in Lesbum relegata, imperium anno DCCCII. invaſerat; & IV. fermè annos ſumma immanitate, atque impietate adminiſtraverat, tandem cum bellum Bulgaris intuliſſet, & ſecundis aliquot præliis inſolentior factus, Cruno earum gentium Regi, pacem petenti negaſſet; haud animo reputans, nec ſecundis quempiam rebus attolli oportere, nec hoſtem ullum, etſi victum, contemnendum eſſe. Crunus ex repulſa, ac deſperatione ferox, collectis ſuorum viribus inſolentem Cæſarem aggreditur: ac cum toto penè exercitu magna internecione delet, Nicephoro occiſo, Statuario filio expulſo, omnium ordinum conſenſu, anno DCCCXI. Michaël Curopalates ſuffectus: ac III. Non: Octobris Cæſar ſalutatus. Quo Principe paululum Oriens reſpiravit. Etenim Manichęos, qui Nicephori favore inſolentes evaſerant, illico ad necem perſecutus, Catholicos, qui in vinculis erant, ſolvi juſſit. Cum Carolo Magno, miſſis utrimque legationibus amicitiam, & Imperio, & Eccleſiæ futuram ſalutarem, iniit. At vix duobus annis imperio adminiſtrato, cum ad Adriano-

polim

polim acie victus à Bulgaris eſſet, ſe Principatu abdicavit: & Leonem Armenum creari Cæſarem curavit. Qui anno DCCCXIII. Auguſtalia accepit. Quo anno Carolus Magnus Ludovicum filium, cognomento Pium Romanorum Imperatorem, Francorumque Regem Aquis inaugurari juſſit: ut quo tempore Impius in Oriente Imperium ſuſciperet, Pius in Occidente regnaret. Leo V. Armenus poſtquam VII. annos, & menſes V. Imperium juxta, atque Eccleſiam afflixiſſet, eo anno, quo Grimualdus occiſus, in ipſa nocte Natalis Dominici à fautoribus Michaëlis Ducis, nequicquam ſe Cruce, quam ſpreverat, protegente, multis vulneribus confoſſus, pęnas tot ſcelerum luit. Statim à conjuratis Michaël, quem igni Leo damnaverat, Cæſar ſalutatus: èque rogo pene ipſo ad ſolium evectus: tantæ mortalium viciſſitudines, ac mira, variaque fortuna eſt. In Occidente anno DCCCXIV. Carolus ſuprema naturæ jura exſolvit. Ludovicus, quem jam collegam pater aſſumpſerat, à Stephano V. Pont: Max: Coronam obtinuit. Lotarius filius, quem ſibi collegam Ludovicus aſcivit, à Paſchali, qui Stephano ſucceſſit, Imperii inſignia anno DCCCXXIV. obtinuit. In Italia, Pipino extincto, Bernardus filius regnum adeptus. Qui cum à Ludovico patruo defeciſſet, anno DCCCXX., & regno, & vita ſpoliatus, ejuſque ſtatim locum Lotarius conſobrinus occupavit.

Beneventi poſt Grimualdi necem, plurimæ pro creando novo Principe turbæ excitatæ: tota in duas partes diſtracta civitate. Quidam Radelchiſium Compſæ Comitem Principatui præponendum contendebant: alii Rophritum majorem natu ex Daupherii filiis, obtrudebant. Dum verò acriter inter partes certabatur, Radelchiſius in medium progreſſus, inopinatam hanc ſententiam protulit: Optime, inquit, Beneventani, intelligo, nunquam nos ob partium æmulationem convenire poſſe: imo & periculum eſſe, ne civili diſcordia, publica pax perturbetur; quocirca, utroque noſtrum ſublato, tertium inducamus, hunc verò Siconem, & fortitudinis, & prudentiæ, nobilitatiſque laude ornatiſſimum eſſe cenſeo. Tum quaſi voce è Cęlo elapſa, univerſa concio Siconem Principem ſalutavit. Qui ſtatim accitus, etſi exterus eſſet, Principatus tamen inſignibus ornatus eſt. Uſque adeo ex adverſis caſibus magna interdum fortuna oritur: nec Fortitudini Virtus juncta ſuo fraudari honore poteſt.

Neapolitani Theodorum Ducem, quem ab Oriente acceperant, abdicare ſe magiſtratu coëgerunt: cauſſa ipſius Theodori mores fuerunt. Cum enim nec juſtitiam ſanctè adminiſtraret, nec virtutem coleret: ſuoque exemplo reliqui in vitia prolaberentur, haud equidem dignus populo viſus, qui liberæ urbi præeſſet. Eo in ordinem redacto, Stephanus, qui Stephani Ducis, ac Præſulis nepos

odium, in Principem transferret, iramque diſſimulans, futurum ſe dixit pacificatorem, ſi poteſtas à Grimualdo ineundæ pacis fieret. Illum interea perdere, Siconemque in Principatum inducere animo ſtatuit. Adeò facile mutantur hominum ingenia, ubi nova occaſio novam iram excitavit. Hæc meditanti, dedita occaſio eſt, qua id, quod meditabatur, exequeretur. Erat Beneventi Daupherius vir multæ authoritatis: cui duo liberi, & animo, & manu promptiſſimi, inque omne facinus parati. Caſu factum, ut dum Grimualdi conſanguinei elegantiſſimis equis vecti per Daupherii domum tranſirent, aqua è feneſtris effuſa, equorum clunes abluerentur, id illi iniquo animo tulerunt. Grimualdus ut erat ingenio præceps, atq; indole aſper, eos ad ulciſcendam injuriam hortatus. Nec ſegnes illi ad vindictam fuere; ad quam Principis authoritate incitabantur. Ad aulam, ut moris procerum erat, Daupherius pulcherrimo equo vectus ſalutatum Principem acceſſerat, tum Grimualdi conſanguinei, caudam equo præcidi, atque immundiſſimis ſordibus inquinari præcipiunt. Simul ac illatam Daupherio patri injuriam filii acceperunt, ira accenſi necem inferre Principi, cujus hortatu res geſta à ſuis fuerat, conſtituunt. Neque difficile id quidem fuit; nam omnium in ſe odium Grimualdus conflaverat, palamque erat, infenſum illum Compſano Comiti eſſe. Audaciſſimo ſecum juvene in ſocietatem aſſumpto, nactique tempus, quo ſolus in conclavi Princeps agebat, in regiam irrumpunt: pluribuſque eum ictibus confodiunt: obiit Grimualdus anno DCCCXX. poſtquam XII. ferme annos Beneventanum Principatum obtinuiſſet.

In Oriente multos per annos turbatæ pro Græcorum ingenio res iverant: Nicephorus Patricius Irene in Lesbum relegata, imperium anno DCCCII. invaſerat; & IV. fermè annos ſumma immanitate, atque impietate adminiſtraverat, tandem cum bellum Bulgaris intuliſſet, & ſecundis aliquot præliis inſolentior factus, Cruno earum gentium Regi, pacem petenti negaſſet; haud animo reputans, nec ſecundis quempiam rebus attolli oportere, nec hoſtem ullum, etſi victum, contemnendum eſſe. Crunus ex repulſa, ac deſperatione ferox, collectis ſuorum viribus inſolentem Cæſarem aggreditur: ac cum toto penè exercitu magna internecione delet; Nicephoro occiſo, Statuario filio expulſo, omnium ordinum conſenſu, anno DCCCXI. Michaël Curopalates ſuffectus: ac III. Non: Octobris Cæſar ſalutatus. Quo Principe paululum Oriens reſpiravit. Etenim Manichæos, qui Nicephori favore inſolentes evaſerant, illico ad necem perſecutus, Catholicos, qui in vinculis erant, ſolvi juſſit. Cum Carolo Magno, miſſis utrimque legationibus amicitiam, & Imperio, & Eccleſiæ futuram ſalutarem, iniit. At vix duobus annis imperio adminiſtrato, cum ad Adrianopolim

Digitized by Google

polim acie victus à Bulgaris eſſet, ſe Principatu abdicavit: & Leonem Armenum creari Cæſarem curavit. Qui anno DCCCXIII. Auguſtalia accepit. Quo anno Carolus Magnus Ludovicum filium, cognomento Pium Romanorum Imperatorem, Francorumque Regem Aquis inaugurari juſſit: ut quo tempore Impius in Oriente Imperium ſuſciperet, Pius in Occidente regnaret. Leo V. Armenus poſtquam VII. annos, & menſes V. Imperium juxta, atque Eccleſiam afflixiſſet, eo anno, quo Grimualdus occiſus, in ipſa nocte Natalis Dominici à fautoribus Michaëlis Ducis, nequicquam ſe Cruce, quam ſpreverat, protegente, multis vulneribus confoſſus, pęnas tot ſcelerum luit. Statim à conjuratis Michaël, quem igni Leo damnaverat, Cæſar ſalutatus: èque rogo pene ipſo ad ſolium evectus: tantæ mortalium viciſſitudines, ac mira, variaque fortuna eſt. In Occidente anno DCCCXIV. Carolus ſuprema naturæ jura exſolvit. Ludovicus, quem jam collegam pater aſſumpſerat, à Stephano V. Pont: Max: Coronam obtinuit. Lotarius filius, quem ſibi collegam Ludovicus aſcivit, à Paſchali, qui Stephano ſucceſſit, Imperii inſignia anno DCCCXXIV. obtinuit. In Italia, Pipino extincto, Bernardus filius regnum adeptus. Qui cum à Ludovico patruo defeciſſet, anno DCCCXX., & regno, & vita ſpoliatus, ejuſque ſtatim locum Lotarius conſobrinus occupavit.

Beneventi poſt Grimualdi necem, plurimæ pro creando novo Principe turbæ excitatæ: tota in duas partes diſtracta civitate. Quidam Radelchiſium Compſæ Comitem Principatui præponendum contendebant: alii Rophritum majorem natu ex Daupherii filiis, obtrudebant. Dum verò acriter inter partes certabatur, Radelchiſius in medium progreſſus, inopinatam hanc ſententiam protulit: Optime, inquit, Beneventani, intelligo, nunquam nos ob partium æmulationem convenire poſſe: imo & periculum eſſe, ne civili diſcordia, publica pax perturbetur; quocirca, utroque noſtrum ſublato, tertium inducamus, hunc verò Siconem, & fortitudinis, & prudentiæ, nobilitatiſque laude ornatiſſimum eſſe cenſeo. Tum quaſi voce è Cęlo elapſa, univerſa concio Siconem Principem ſalutavit. Qui ſtatim accitus, etſi exterus eſſet, Principatus tamen inſignibus ornatus eſt. Uſque adeo ex adverſis caſibus magna interdum fortuna oritur: nec Fortitudini Virtus juncta ſuo fraudari honore poteſt.

Neapolitani Theodorum Ducem, quem ab Oriente acceperant, abdicare ſe magiſtratu coëgerunt: cauſſa ipſius Theodori mores fuerunt. Cum enim nec juſtitiam ſanctè adminiſtraret, nec virtutem coleret: ſuoque exemplo reliqui in vitia prolaberentur, haud equidem dignus populo viſus, qui liberæ urbi præeſſet. Eo in ordinem redacto, Stephanus, qui Stephani Ducis, ac Præſulis nepos

erat, communi ſuffragio Dux renunciatus eſt. Atque hæc cauſa fuit, cur Longobardi Neapolitanis bellum inferrent. Sico, ut exordia Principatus memorabili aliquo geſto illuſtria redderet, bellum Neapolitanis portare ſtatuit; ut vero juſtam cauſſam prætexeret, ulciſci ſe Theodori, quicum conſuetudinem habuerat, injuriam profitebatur. Samnitum, ac Longobardorum delectum habet, arma, & commeatus parat, juſtoque jam exercitu conflato Benevento movit: & ſecundis caſtris in Neapolitanum agrum copias inducit, quem poſtquam excurſionibus ſuorum latè eſt depopulatus, caſtra muris admovit: urbemque arctiſſima obſidione præcinxit. Cum vero nec ſcalis ſuperare mœnia, nec machinis ob ſoliditatem quatere poſſet, fame expugnare conſtituit. Interea occupato Divi Januarii Templo, quod extra mœnia ædificatum à D. Severo fuerat, ſacrum Martyris corpus, quo nihil pretioſius, nec firmius propugnaculum Neapolitani habent, ſuſtulit, ac Beneventum aſportatum, in æde D.D. Deſiderio, & Feſto dedicata honorificentiſſimè collocavit. Sacrum caput, quod unà cum ſanguine intra urbem cuſtodiebatur, Neapoli manſit. Multos deinde poſt annos D. Januarii corpus Virgineum in Montem translatum. Quæ quarta ſacri pignoris translatio fuit. Ex quo, uti ſuo loco dicetur, Neapolim reportatum. Quo autem tempore Benevento unà cum Lipſanis D.D. Deſiderii, & Feſti in eum Montem illatum, hiſtoriæ mandatum non invenio. Vero tamen ſimilius eſſe duco, id ſub Rogerii tempora eveniſſe, quibus D. Gulielmus Vercellenſis ædem unà cum cœnobio in eo Monte inſtruxit, plurimaſque Divorum reliquias eò tranſtulit, inter quæ, Divi Januarii fuiſſe corpus, mihi facilè perſuadeo.

Cum vero Sico obſidionem urgeret: neque illius conatibus pares Neapolitani eſſent; ut eruptione facta, hoſtem è vallo ſubmoverent, inita de pace conſultatio, ſtatimque Urſus, qui non multo ante Præſulatum ſuſceperat, aliique Legati, ut pacem honeſtis conditionibus peterent, ad Siconem miſſi. Urſus Princeps legationis, tum verborum vi, tum Pontificia majeſtate ita effecit, ut æquis conditionibus datis, Sico obſidionem ſolverit. Alii ſcribunt Neapolitanos Ludovicum Pium in auxilium advocaſſe, quo Siconem territum, & Eugenii Pontificis juſſu, qui ad eum ſæpius ſcripſerat, ut ab ea urbe diſcederet, tandem permotum ab armis diſceſſiſſe. Quidam alii ita cum notiſſimis amicorum conveniſſe ſcribunt; ut Stephanum Ducem è medio tollerent: ratus hoc pacto ultum ſe Theodori injuriam, idque per Sicarios illico perfectum. Ducem prò Principis Eccleſiæ foribus, quæ Stephania à coronis ibi offerri ſolitis, eo tempore dicebatur, ex improviſo adorti, trucidarunt. Indignum oppidò facinus, & ipſi Siconi, à quo injunctum, & Nea-

poli-

politanis, à quibus patratum quam maximè probroſum. Satius Siconi fuiſſet bello urbem perdere, quam pacem parricidio vendere, & his honeſta morte pro muris occumbere, quam tanto ſcelere ſe in libertatem vindicare. Miſera earum ſors urbium, in quibus paucorum arbitrio res aguntur: nam quæ horum culpa fiunt, omnibus vitio vertuntur. Habebat quoſdam in urbe Sico ſibi mercede obligatos, quorum de induſtria factum, ut ipſi Legati cum Urſo mitterentur, pacemque ea conditione clam accepta, ferirent. At non impune eorum ſcelus ire ultor Principum Deus ſivit. Bonus, qui poſt Stephani necem tumultuario ſuffragio renunciatus Dux fuit, perditorum hominum alios in exilium ejecit, aliis oculos eruit, Græco more. Stephani necem Epigramma in æde D. Januarii repertum, quod Capacius refert, memorabilem poſteris fecit. Quidam Scriptor Bonum ejus cędis participem fuiſſe, Siconiſque favore Ducem creatum, memoriæ prodidit, cęteri verò, & ab eo ſcelere immunem, ac probum extitiſſe, tradiderunt. Verum ea quæ ſub illius conſulatu geſta, manifeſtò arguunt, vel quod probus non fuerit, vel quod à probitate deſciverit.

Inter cæteras conditiones, quas Sico dederat, certum in annum vectigal fuit. Neapolitani id indignum rati, & privata authoritate factum ducentes, pendere renuerunt. Sico copias Neapolitanum in agrum mittit, quæ cuncta deprædarentur. Bonus juventute armata, hoſtes præda onuſtos in Samnium revertentes adortus cędit, prædamque recipit: inde eorum oppida Acerras, Sarnum, Atellas, atque Argentium depopulatur: inque Furcas Caudinas victor penetrat, Caudiumque incendit. Mox hoſte ultra Apenninum ſubmoto, Neapolim redivit, ovanſque in urbem ingreſſus eſt. Et maximam ſane virtutem oſtenſurus, ac parem ſibi gloriam comparaturus, ſi ita juſtitiam coluiſſet, ut diutius vivere meruiſſet. Etenim in ſuperbiam elatus, agere inſolenter cum populo cœpit, graviſque univerſis eſſe. Tiberius Præſul, qui Urſo proximè defuncto, ſucceſſerat, ſui officii duxit, errantem admonere. Ducem adit, eumq; pluribus hortatur; ut quæ ſui muneris partes eſſent, maturè, diligenterque perpenderet: mitem ſe populo præberet, virtutem ſectaretur; vitia fugeret, ſi diu, ac pacatè imperare vellet: nec ea, quà cępiſſet, via pergeret: vereri ſe ne ita Numinis in ſe iram irritaret; ſiquidem maximè eos, qui in populum peccant, Numen odiſſe. At Bonus lęſam Principis majeſtatem ea admonitione putans, adeo excanduit, ut temperare iræ, quod arduum in iis eſt, qui potentia inſoleſcunt, neutiquam potuerit: cœcuſque furore eò temeritatis venit, ut non contentus contumeliis, quibus religioſum Præſulem oneravit, in carcerem etiam conjecerit, ſibique mox Pontificia poteſtate arrogata, in ordinem redigerit; alium, quem Joannem ad

Aqua-

Aquarolam vocabant, ſufficit. Adeo proclive ex uno in aliud ſcelus labi: & ubi ſemel iræ, temeritatique laxatum frenum eſt, nullus eſt rebus modus. Joannes vir ſanctiſſimus, quique diu à vulgi cœtu ſegregatus placidam ſolus vitam agebat, eam dignitatem, qua ſe indignum cenſebat, & quam lege recipere non poterat, conſtantiſſimè recuſavit. Tiberius Joannis operam, & ſibi, & Eccleſiæ ſalutarem arbitratus; verituſque ne Bonus indignum quendam induceret, Joanni perſuaſit, ut Præſulatum admitteret. Joannes vir miræ ſimplicitatis ea perſuaſione motus ſuſcipere eam dignitatem ſtatuit: ut ſic & amico in calamitate ſubveniret, & Eccleſiæ conſuleret, ratus ſervire tempori, prudentis eſſe: neque eos morbos principio in ipſo exaſperandos, qui patientia curari potuiſſent. At Bonus non multos poſt dies in morbum incidit, eoque confectus ſcelerum penas luit. Eo mortuo Leo filius Principatum invaſit. Quia verò iniquorum parentum etiam in filios, qui plerumque & vitiorum hæredes ſunt, pena tranſit, poſt quam ſex menſes eam dignitatem obtinuiſſet, ab Socero Andrea expulſus; ſuoque exemplo doctus haud ſtabilem eum Principatum eſſe, qui virtute partus non ſit.

Per hæc tempora ea Neapoli Eccleſia ædificata, quæ ab angue popularibus appellata. Quò vero excitaretur, operæ pretium eſt ſcribere. In Capuana urbis regione locus extra pomœrium erat, paludibus obnoxius, in quibus miræ magnitudinis ſerpens alebatur, non cæteris tantum animalibus, ſed ipſis etiam hominibus infenſus, imo & ſolo viſu, quod de Baſiliſco narrant, necaſſe homines fama apud populares erat: quocirca nemo quamvis audaciſſimus, eam adire viciniam audebat. Nobilis vir, cui Giſmundo nomen, Virginique Matri cliens addictiſſimus dum ad Petri Aram religionis ergo pergeret, per eum lucum, ubi nocentiſſimus ſerpens repere conſueverat, tum Virginis, tum Petri patrocinio confiſus, pertranſiit, ſperans illorum ope, haud ſibi ſerpentem nociturum. Nec ſpe decidit, ſine noxa præterivit. Sequenti nocte, Virgo illi in ſomnis, puerum Jeſum ſinu complexa, falcatæ Lunæ ſubnixa, plurimaque luce circumflua viſa eſt, eumque his verbis affari. Mea virtute venenatus ſerpens interiit: idque tui gratia factum. Tu beneficii in te, ac tuos populares collati memor, ædem ibi inſtruito, meoque Nomini dedicato: ſtatimque evanuit. Tum Giſmundus excitatus, inque genua accidens, quam maximas potuit Virgini gratias egit. Primo mane locum adit, mortuumque ſerpentem invenit. Re mox cum Antiſtite communicata, Eccleſiam Virgini Matri extruxit, quæ ab enecto divinitus angue nomen apud vulgus obtinuit. Virginum etiam ibi cœnobium excitavit, in quo diu Græcæ, ac Longobardæ feminæ ſub D. Baſilii regula vixerunt. Quibus deficientibus

bus Neapolitanæ incoluerunt. Quæ tandem in D. Gaudioſi cœnobium commigrarunt, ſecumque ſacra vaſa, omnemque Eccleſiæ ſupellectilem unà cum phyala, in qua D. Stephani ſanguis ſervabatur, & parte capitis D. Joannis Baptiſtæ adduxerunt.

Andreas ſimul ac, Leone in ordinem redacto, conſulatum inivit, Joannis ad Aquarolam hortatu Tiberium è carcere emiſit: alii à Leone prius emiſſum ſcripſerunt, nullaque Andreæ mentione facta, ſtatim Sergium Conſulem, ac Ducem inducunt. Nos Capacium accuratiſſimum Scriptorem libenter ſequimur. At Sico Beneventanus cognito novam Capuæ urbem, quam ad Tifatam Lando Comes ædificabat, jam pene abſolutam, eo ſe deduxit, urbeque luſtrata, egregium illud Landonis opus, ſummopere laudavit, cumque ſuis plurimum rebus conducere arbitraretur, ſi inter eam urbem Campaniæ principem, ac Beneventum, perpetua amicitia, ac fędus eſſet, Landonem, & Landulphum fratrem, qui ſacras res adminiſtrabat, peramanter complexus: comemque ſe in populum exhibuit: utque matrimonia inter utramque gentem inirentur, ſedulò curavit, ratus eo affinitatis vinculo arctiorem amicitiam, ſocietatemque futuram, idque adeo è ſententia ceſſit, ut ex duabus urbibus unam coaluiſſe videretur. Beneventum reverſus gravem in morbum incidit: ex quo tandem anno DCCCXXXIII. ſupremo fato functus eſt. Sicardum filium hæredem Ditionis reliquit. Qui vix inito Principatu, qualis eſſet, oſtendit, nullum enim vitiorum genus fuit, in quod non laberetur: præcipuæ tamen ſordes avaritia, ac libido, & quædam animi impotentia, quibus brevi cunctis ſe odioſum reddidit, & gravem.

Dum vitiis hiſce, ac civilibus odiis Chriſtiani Principes laborabant, opportuna Saracenis via ad deſolandum orbem patefacta, & vix nunc poſt tantum ſeculorum ſpatium circumactum ſine pudore, atque indignatione ea referri poſſunt, quæ tum in noſtram perniciem, ac dedecus à barbaris geſta ſunt. Claſſe plurimarum navium in Africa comparata, in Italiam navigarunt; ac Centum cellis primo impetu captis, atque everſis, Romam infeſtis ſignis excurrunt, magniſq; prædis ab actis, Apoſtolorum Baſilicam omnium gentium religione ſacroſanctam expilant, atque incendunt. Inde nemine obviam ire auſo, Caſſinum uſque excurrunt, Monaſterioq; direpto, atque incenſo, ad Liris oſtia deſcendunt; ibique conſcenſis navibus in Africam redierunt. Interea, iidem barbari ex vicina Carthagine in Siciliam trajicientes, univerſam pene inſulam, ipſamque Panormum armis expugnant, antiquiſque urbibus everſis novas arces ad continendos in officio populos ædificant. Nec niſi pauca loca ſitu valida Græcis relicta. Eugenius Pontifex, qui Eccleſiæ præerat, ut tot malis ſubveniret, Italos Principes in barbaros

armare conatus, nihil obtinuit. Nec Valentinus, cujus brevis Pontificatus fuit, quidquam effecit. Gregorius IV., qui Valentino ſucceſſor datus, Oſtiam inſtauravit, ac validis operibus communivit; ſuoque ex nomine Gregoriopolim appellavit, nova circa Vaticanum mœnia excitare, novamque urbem, quæ arctiore ambitu commodius defenderetur adorſus eſt. Quam inde urbem Leo IV. ad finem perduxit: his ita conſtitutis ad arma, quibus barbari coërcerentur, curas convertit, cumque maritimas Venetorum vires haud pares Barbaricis eſſe animadverteret: nec quidquam à Græcis, qui ſatis turbarum domi habebant, ſperari in præſentia poſſe, ad Ludovicum Cæſarem, & Lotarium Italiæ Regem Legatos miſit: qui eos ad tam glorioſum bellum impellerent. Verùm cum hi domeſticis etiam diſcordiis fatigarentur, nihil ea legatione confectum. Ad illius tamen famam Bonifacius Corſicæ Comes, & Partarius frater excitati, gloriæque adipiſcendæ ſtimulo inflammati, ad eam ſe expeditionem accinxerunt, validaque claſſe adornata, atque auxiliis ſibi Tuſcorum adjunctis, in Africam navigarunt, ibique quater cum hoſte ſecundo prælio conflixerunt, tantaque inter Uticam, & Carthaginem clade ad ultimum deleverunt; ut è Sicilia, quemadmodum ſub Scipione Africano eveniſſe memoriæ proditum, ſuos revocare cogerentur: atque in hunc modum Sicilia aliquantulum reſpiravit. Bonifacius victor, ac pluribus onuſtus ſpoliis, in Corſicam reverſus eſt.

Interea Calabria, & Apulia non minus Saracenorum incurſionibus, quàm Græcorum, quibus parebant, injuriis vexabantur. Michael Balbus, nihilo Leone melior, poſtquam IX. annos tyrannidem in Catholicos exercuit, ex diſententia omnium maledictis proſciſſus, interiit. Theophilus filius ſtatim ſuffectus: cujus ſi ſecunda primis reſpondiſſent, patris errores emendaſſet. Sed raro ex vitiato caudice integra poma proveniunt. Nam brevi à pietate deſciſcens, incredibili odio ſacras Divorum imagines perſequi cœpit, ex omnibus Templis ejecit; earumque loco avium, animaliumque ſuffecit. Cœnobitas, qui illas venerabantur, è monaſteriis expulit; atq; atrociſſimis pœnis mulctavit, nefarios homines ad cœnobia incolenda induxit. Quæ res adeo Brutios, atque Apulos perterruit, ut nihil odioſius, quàm Græcum nomen haberent. Atque hinc ſegniores contra Saracenos effecti, quibus pejores Græcos eſſe experiebantur. Itaque factum, ut illi facilius Siciliam occuparent. In Occidente etſi Religio ſanctè coleretur, non tamen felices res ibant: ſiquidem Ludovici Cæſaris filii nimia regnandi, præcoceque cupiditate, in patrem conjuraverant. Ipſe Lothario Imperii collega aſſumpto, reliquis duobus filiis Aquitaniam, & Bavariam conceſſerat. Cum verò ex ſecunda conjuge Juditha Carolum ſuſcepiſſet; & hunc ſummo

amo-

amore proſequeretur, Regem pariter creare in animo habebat. Lotharius veritus ne ex attributa ſibi ditione pars aliqua tolleretur; Ludovicum, & Pipinum fratres ſecum in parentem armavit. Gregorius pernicioſiſſimum Eccleſiæ futurum bellum illud exiſtimans, ſtatim ad componendam pacem in Galliam proceſſit, amboſque exercitus jam de ſumma dimicaturos invenit. Primus, qui Gregorio ſe obſequentem exhibuit, Ludovicus, cui mitior indoles, fuit: at mox à filiis rogatus, ut in ipſorum caſtra de pace acturus ſe conferret, fraude comprehenſus. Inde Gregorio procurante, dimiſſus: atque in has conditiones ſancita pax eſt: Aquitaniam Ludovicus, Bavariam Pipinus, ut antea habuiſſent, Regio titulo retinerent. Quidquid verò terrarum inter Moſam, & ultimos Germaniæ fines ad Orientem, & inter eundem amnem & Oceanum ad Occidentem eſſet, unà cum Italia Lothario Cæſari cederet: quod autem paterni Imperii reliquum eſſet, Carolo obveniret. Quæ partitio etſi commodo populorum conducere videretur, ea tamen factum, ut iterum Occidentalis Imperii vires laberentur. Gregorius, pace inter Parentem, & filios compoſita, Romam reverſus, majore ſui gloria, quam Italiæ utilitate, quam ex ea diviſione nec tum obtinuit, nec ſperare in poſterum poterat. At Ludovicus non multo poſt exuta mortalitate, inter Superos, ob inſignem pietatem, ac mores integerrimos, quibus adhuc vivens Pius audivit, receptus creditur.

Sicardus intereà, ut contractam tot vitiis maculam, nobili aliqua victoria ſi non eluere, obtegere ſaltem poſſet; prætextu quod Neapolitani vectigal, quod Siconi Bonus Dux ſpopõderat, penſitare omiſiſſent, eis bellum indixit, copiaſque in Neapolitanum agrum immiſit, ut omnia depopularentur. Andreas videns ſuis armis Sicardi retundi ferociam non poſſe, præcipiti conſilio, ad Africanos confugit, qui parata claſſe Neapolim navigarunt. Sicardus horum adventu perterritus pacem cum Neapolitanis fecit, & hi libenter amplexi; non enim multitudini placebat, in urbem Africanos admittere, quos Sicardo atrociores futuros timebat. Quam pacem lepidum forte commentum facilem effecit. Rophritus Sicardi Legatus urbem intraverat, feriendæ pacis tabulas ad Neapolitanos ferens: quendam forte tumulum terræ, in quo triticum caſu germinaverat, conſpexit, rem admiratus à quodam cive petiit, num triticum in ea urbe naſceretur? Ille græca calliditate; Tantum, inquit, in urbe frumentum eſt, ut plenis ubique horreis, cum locus in quo reponeretur, minime ſuppeteret, ibi pars non exigua relicta, quæ mox imbre madefacta germinavit. Rem ad Sicardum Rophritus deportavit. Qui ex eo haud ſe urbem fame capere poſſe cognoſcens, in æquas facilè conditiones deſcendit. Uſque adeo leviſſimæ interdum res, ſi bene illis uſus fueris, magna ſæpe bella conficiunt. Ea

verò pax cum Neapolitano Duce pacta, cum Amalphitanis etiam & Surrentinis conſtituta: eo enim tempore hæ tres Reſpublicæ in unam coaluerant; unuſque Neapoli Dux jura cunctis dicebat; uti Capacius author eſt.

Anno DCCCXXXVII. crinitum in Cœlo ſydus apparuit, quo plurimum mortalium animi ſollicitati. Ludovicus Imperator, fatum ſibi illo præſagiri arbitratus, multis largitionibus, piiſque operibus expiare animum curavit: ſeque ad extremam neceſſitatem erecto animo præparavit. Sapientiores eas indicari calamitates duxerunt, quæ à Saracenis Italiæ parabantur; Qui novis, ac novis victoriis aucti, Græcorum vitiis, & ignavia fortes effecti, omne Romanum nomen delere animo cogitabant. Jamque Siciliam occupaverant, Liparaque inſula vaſtata, D.Bartholomęi corpus, quod in ejus inſulæ oppido ſummo honore colebatur, per agros dejectum diſperſerant. Monachus quidam ab ipſo Divo admonitus ſedula cura collegit, & Beneventum ad Sicardum tranſtulit, qui unà cum oppidanis ſumma veneratione excepit: magnifico dein templo extructo, ibi honorificentius collocatum. Saraceni Sicilia non contenti, imo ex ea gradum ſibi in Italiam factum, ut ex eadem in Africam olim Romanis exhibitus, exiſtimantes, claſſem in ea inſula inſtruunt, inque ea juventute impoſita, in Adriaticum vela faciunt, inque Apuliæ oram delati; atque impetu è navibus facto Brunduſium antiquiſſimum Italiæ oppidum, portuque capaciſſimo celebrem, occupant. Ex eaque ſtatione finitimas oras, ac circumpoſitos agros depopulari ſe poſſe opinabantur. Sicardus ad eam famam excitatus, veritusque ne Saraceni Apulia ſubacta, in Beneventanam Ditionem irrumperent, Samnitium exercitu raptim collecto, in Barbaros movit. Saraceni omnem circa campum, in quo caſtra habebant, cæcis foveis, ac tribulis inſtruxerant. Beneventani fraudis ignari dum in hoſtem inconſulto impetu ruunt, in eas foveas prolapſi, magnam à barbaris cladem acceperunt. Sicardus cum reliquiis infelicis exercitus Beneventum reverſus, novas copias cogit, cui finitimæ gentes, ut naſcentis incendii ſcintillas, ne latius vagarentur, extinguerent, ſuas vires adjunxerunt. Saraceni cum tantis populis ſe poſſe reſiſtere deſperarent; urbe incenſa, cum præda, & captivis, in Siciliam redierunt.

Interea res Amalphitanorum, civibus inter ſe diffidentibus, labi cęperunt, quæ eorundem concordia plurimum floruerant: ea occaſione uſus Sicardus diſcordes Amalphitanos, qui quotidie, relicta patria, Salernum commigrabant, benignè excipiebat; datoque ad incolendum loco, muneribus augebat, quo factum, ut plurimi ſe Salernum conferrent. Sicardus ubi vacuam penè urbem cognovit, copias, quas contra Saracenos conflaverat, ad obſidendam Amalphim

phim convertit, urbemque nullo negotio occupavit, expertique tum Amalphitani, ambitioſi Principis benevolentiam vulpinam fraudem fuiſſe, quæque dederat munera, ad alliciendos incautorum animos eſcam: eaque multo ſenore ſuo tempore repetiturum.

Neque pacta inter Beneventanos, & Neapolitanos pax diuturna fuit. Sicardus, cujus inquieta indoles, pacis otium nullo modo ferre quibat, & ut armatus etiam ſuis, apud quos grandi odio ardebat, terrori eſſet; ubi diſceſſiſſe Africanam claſſem cognovit, iterum vaſtare Neapolitanorum fines cępit. Andreas ſaniore conſilio Legatos in Galliam ad Lotharium miſit, qui ab eo auxilia peterent. Lotharius haud omittendam occaſionem ratus, qua Occidentali Imperio adjungi Neapolis poſſet. Contradum nobilem Gallum, bellicaque virtute inſignem in Italiam ire jubet, eique mandat, ut Neapolitanos Sicardo conciliet, ſtabilemque inter illos pacem componat: quod ſi Beneventanus facere renuiſſet, armis eum perſequeretur: miſſurum ſe militem, quo bellum gereretur. Hic ubi Neapolim venit, objiſſe Sicardum, præciſamque belli materiam cognovit. Eò enim inſolentiæ Sicardus proceſſerat, ut non ultra ferendus ſuis videretur. Auxerat odium ingens facinus, quo omnium in ſe civium iram irritavit. Naningonis nobilis viri uxorem honeſtiſſimam fęminam de ſtupro interpellaverat, illaturus etiam vim, ni ſuæ libidini inſerviſſet. Non minorem invidiæ fomitem ejus conjux Adelchiſia ſubminiſtravit, quæ matronas Beneventanas maximis injuriis afficiebat, quarum intolerabilis illa univerſis eſt habita. Dum ipſa in tentorio nuda obverſaretur, forte fortuna factum, ut quidam eam inſpiceret: impudens, ac veſana mulier haud elui eam maculam poſſe exiſtimans, niſi publica omnium matronarum ignominia, cunctas acciri in aulam juſſit, convenientes crura tenus nudari mandavit, univerſorumque riſui, ac ludibrio expoſuit. Id populus iniquè tulit, ſtatimque concurſu multitudinis facto, Sicardum trucidavit, nec cuiquam è ſuis pepercifſet, ni confeſtim ſe in fugam conjeciſſent. Nunquam impotenti dominatione irritanda multitudo: nec liberum fęminis frœnum permittendum, daturis Principibus eorum pęnas, quæ illæ nimia libertate peccaverint. Contradus cum videret, ſuam operam non amplius neceſſariam, in Galliam redire ſtatuit. Andreas veritus, ne illius diſceſſu, animos Longobardi ſumerent, novique Principis ductu, iterum bellum molirentur, Contrado perſuaſit, ut Neapoli ſubſiſteret. Eique Eupraxiam filiam, quæ Leoni nupta fuerat, deſpondit, arbitratus eo vinculo ſibi eum arctius obligaturum: non ſatis perpendens, quam periculoſum eſſet, exteros homines, quorum mores non diu probaveris, domi excipere: idque ſuo malo brevi cognovit. Contradus ex eorum genere erat, qui præ regnandi cupi-

dine, nihil æquum, nihil ſanctum ducunt. Nulla hoſpitii, quod etiam barbari ſacrum putant, nulla affinitatis ratione habita, inita cum Andreæ æmulis conjuratione, illum præ foribus Baſilicæ Divi Laurentii, nihil tale opinantem occidit, acceptaque in uxorem Eupraxia, Principatum invadit, Leonis, quem Andreas expulerat, manes ultus, mox ipſe parricidii, ac tyrannidis pęnas daturus. Nullum enim ſcelus eſt, quod diù inultum permaneat. Populus rei immanitate permotus, inſtigatuſque ab iis, qui Andreæ partes ſecuti fuerant, triduo poſt ejus necem, impetu in Contradi domum facto, unà cum conjuge, ac familiaribus trucidarunt, atque hic barbari hominis finis fuit.

Contrado occiſo, Neapolitani Sergium Marini, & Eupraxiæ filium Ducem, & Conſulem crearunt. Iſta verò Eupraxia ex Amalphitanorum genere erat, quorum ea ætate Reſpublica cum Neapolitana coiverat. Legimus quippe in Amalphitanis annalibus Leonem, Marinum, & Sergium Duces, qui Neapolitanorum etiam Duces fuerunt. Sergius Cumis verſabatur, eo die, quo Andreæ nex illata. Legatus ab eo ad Sichinulphum miſſus, qui Salernitanum Principatum occupaverat, & copias Beneventum, ut mox dicetur, admoverat, dum autem revertitur, in Sveſſulano agro Contradum occiſum accepit: de quo, ut certior fieret, Cumas divertit. Quo in oppido Legati Neapolitanorum illum conveniunt. Sergius ubi delatum ſibi Principatum audivit, nullum tempus interponendum ducens, ne aliquid novaretur, illicò Neapolim perrexit. Populus obviam effuſus ingenti lætitia excepit: Ducemque, & Conſulem ſalutavit: eamque de illo ſpem concepit, qualem inde eventus demonſtravit.

Inter hos tumultus Tiberius Præſul, poſtquam diu vitam innocentiſſimè tranſduxiſſet, magnumque patientiæ, conſtantiæque exemplum poſteris reliquiſſet, ultimum diem obivit, atque inter Superos relatus. Pridie, quam naturæ jura exſolveret, populo ad concionem vocato, brevem orationem, ſed efficaciſſimam habuit, qua illum ad virtutem excolendam, Fidemque Catholicam, quam ab Apoſtolo Petro acceperant, integram, illibatamque ſervandam, vehementer adhortatus; pluribus deinde perhonorificè de Joanne ſucceſſore enarratis, eum ſummoperè commendavit. Egregius ſanè vir, qui paſtorali muneri nunquam defuit; illatamque propter juſtitiam calamitatem mira conſtantia toleravit, pluris Dei gloriam, gregiſque utilitatem, quam propriam fecit. Joannes ut erga tantum Præſulem, ac de ſe benemeritum, gratum animum oſtenderet, grandi pompa parentavit; inque ſacello D. Joannis ad fontem honorificè ſepelivit. Sacellum illud Magnum Conſtantinum ædificaſſe fama inter populares eſt.

Sicardo cęde ſublato, Radelchis non illo melior Principatum invaſit. Qui, cum Adelchiſius Rophriti filius accuſatus affectatæ dominationis apud ſe eſſet, è meniano in publicam viam præcipitavit Landulphum Capuæ Comitem, qui favere Adelchiſio ferebatur, à ſimili ſupplicio celeris fuga ſubtraxit. Atque hinc, puto, Sigonium occaſionem habuiſſe, ut Adelchiſii, ac Sichinulphi nomina confuderit, atque hunc filium Sicardi, non fratrem fuiſſe, horumque motuum cauſſam Landulpho, & Capuanis aſcripſerit. Salernitani Radelchis impotentem dominatum ferre indignati, captique ſpe fore, ut ipſorum urbs dominationis Princeps ſtatueretur, Sichinulphum à Radelchi expulſum, è Tarentina arce ope Amalphitanorum eductum, Salernumq; deportatum Salerni Principem anno DCCCXL. ſalutarunt. Atque hinc initia Salernitani Principatus cępere. Ubi verò Sichinulphum Principem creatum fama evulgavit: illicò ad illius partes Urſus Campſæ Comes, Radelmundus Acheruntiæ, & Capuanus acceſſerunt, quorum viribus Sichinulphus jam potens ad aſſerendum ſibi armis Principatum ſe parabat. Etenim Radelchis timens, ne ſi in longum bellum illud protraheretur, reliquæ gentes ad Sichinulphum deficerent, exercitum, quem ex Samnitibus, ac Longobardis conflaverat, Salernum deduxit, Sichinulphus, ne mora ſuis animos adimeret, ſtatim urbe copias educit, ac pugnam hoſti offert. Radelchis, ut in aciem progreſſum Sichinulphum vidit, ſuos explicuit, ac ſignum pugnæ dedit. Atrox dimicatio fuit; plurimiq; utrinque principio ceciderunt, ac urgentibus Salernitanis, terga Beneventani dederunt: magna tum cędes fugientium fuit, pauci cum Principe evaſerunt: capta caſtra, ac direpta. Sichinulphus victor Salernum ingreſſus, exordia Principatus, inſigni ea victoria cohoneſtavit. Quo ſucceſſu elatus in ſpem totius ditionis potiundæ venit. Ne igitur tempus ſe colligendi hoſtis haberet, cum jis copiis, quas habebat, magnis itineribus in Samnium movit, utq; una urbe expugnata, cuncta in poteſtatem redigeret, Beneventum obſedit. At non eadem hic quæ Salerni fortuna fuit. Ibi pro Principe, quem non ex animo diligebant; hic pro patria, pro conjugibus, ac liberis dimicabant. Beneventani hoſtis adventu cognito, tum pudore præteritæ cladis, tum timore, ne oppreſſi cuncta amitterent, inflammati, ex urbe ſine ordine erumpunt, nec continere ſe potuerunt ut hoſtem expectarent: ſed primi in eum vadunt; loco movent; ac dare terga compellunt. Atque iſto modo, qui victores fuerant, præ nimia confidentia victi, multis ſuorum deſideratis, omnibuſq; impedimentis amiſſis, Salernum redierunt. Atque hinc civile inter Longobardos bellum exortum, quo cuncta rapinis, atque incendio devaſtata ſunt.

In Occidente Ludovico extincto, Lotharius ſolus Imperium auſpi-

auſpicatus, haud felicior in filiis patre futurus: nempe quales ergà parentes nos gerimus, tales erga noſmet ipſos filios experturi ſumus, ut obſervantiæ præmium, atque inobedientiæ pęna æqua ſint. In Oriente poſtquam Theophilus XII. annos Imperium occupaſſet, ac miris modis Eccleſiam afflixiſſet, ne ulterius ſæviret, è terris raptus, tantorum tandem ſcelerum pęnas luiturus. Etſi non deſint, qui illum piatis ſceleribus objiſſe ſcripſerint. Certum morientis os ita enormiter diductum, ut viſcera inſpicerentur. Opera Theodoræ matris Michael filius ſtatim ſuffectus; quæ proba mulier, & filii tutelam, & Imperii curam ſuſcepit. Eorum auſpicio Catholicorum res illicò ſublevatæ, damnatique errores, ac profligati. Neapoli Joannes Antiſtes poſtquam ſeptem annos gregi præſuiſſet, omniumque virtutum exempla præbuiſſet, mortalitatem exuit: Divorumque aucturus numerum, in Cœlum evolavit. Corpus ſub ara Maxima ædis D. Reſtitutæ poſitum piè populares venerantur. Athanaſius Sergii Ducis filius ſucceſſor datus, qui cum patre Sergio, tùm Joanne educatore dignum ſe præbuit. Non degenerante ex nobili trunco pubeſcente ramo. Duodeviginti annos natus Præſul electus, & à Leone Pont: Max: Id: Martii anni DCCCXLIX. ad S. Gregorium ſacro oleo inunctus eſt. Cæterum Dux Sergius tantam ea ætate, qua Longobardi in Italicas urbes, quæ illorum partes non ſequebantur, vehementer ſæviebant, ſibi gloriam bello comparavit, ut unus omnibus terrori eſſet: eum in pugnis hoſtes quærebant; in eum tela cuncta intorquebant, ut eo ſublato, univerſos vincerent. At ipſe tanta fortitudine, prudentiaque, quæ præcipuæ Imperatoris laudes ſunt, prælia gerebat, ut victor ſemper redierit, cæſorumque hoſtium ſpoliis onuſtus. Quæ virtutes ſummam ei tum Gregorii IV., tum Ludovici, ac Lotharii Imperatorum benevolentiam conciliarunt, civibus vero ſuis adeo acceptus, ut nemo eſſet, cui non chariſſimus haberetur. Augebant populi favorem liberales artes, quibus mirè eruditus, & juſtitia, qua Rempublicam adminiſtrabat. Ex conjuge Droſu, fęmina illuſtri loco nata, tantoque viro digniſſima, quatuor liberos ſuſcepit, Gregorium, qui patri ſucceſſit, Athanaſium Antiſtitem, Stephanum Surrentinum Præſulem, & Cæſarium, qui Saracenis profligatis, Romam obſidione liberavit.

Annus DCCCXLIII. Gregorii Pontificis fato, Beneventanorum Ducum diſſidiis, ac Saracenorum incurſu Italiæ fatalis fuit. Hi, qui ex proxima Sicilia Italiæ continuò inhiabant, rati Longobardos civili bello occupatos, haud auxilia iis locis laturos, quæ adhuc Gręcis parebant; ideoque poſſe ſe univerſam Calabriam, atque Apuliam adipiſci, Claſſem eo conſilio adornant; auxiliiſque ex Africa accitis, in Calabriam trajiciunt: omnemque eam provinciam depo-

pu-

Digitized by Google

pulantur. Inde in Japigiam progreſſi, caſtra Tarento admovent, ac vi expugnant: reliqua ejus tractus oppida brevi ſubigunt, ac diripiunt, nullaque profanarum, ſacrarumque rerum ratione habita, templa, ac privatas ædes incendunt, ac diruunt, immanique crudelitate non ſexui, non ætati parcunt; ſanguine omnia, ac cædibus implent. Longobardi, qui depoſitis odiis, non exiguum tantis remedium malis afferre potuiſſent, auxere calamitatem. Etenim, quis unquam credidiſſet? illorum adventu quaſi è Cœlo ſibi auxilium immiſſum foret, ad eorum opem confugerunt. Ambitioſi Principes, ut ſibi quiſque dominationem aſſereret, non dubitarunt Deo, & Eccleſiæ bellum inferre: atque eam terram, ex qua alti, educatique eſſent, deprædandam barbaris objicere: eoſque ſocios advocare, à quibus ipſi majores injurias, ac damna accepturi erant. Primus qui facinus eſt auſus Radelchis fuit: cujus animum & vindictæ ſtimulus, & ereptæ ditionis acriter irritabat. Is Pandonis opera, qui Bario præſidebat, ac ſuas partes fovebat, multis muneribus Calſonem Saracenorum Regem ſibi devinxit; utque ſibi auxilio contra Sichinulphum eſſet, obtinuit. At ipſe Pando barbarorum crudelitatem, ac perfidiam primus expertus: patratique facinoris pœnas tempeſtivè perſolvit. Dum enim plurima Saracenorum multitudo ab eo advocata, inter litus, & urbis mœnia caſtra habet, quaſi prompta eò motura, quò ipſe juſſiſſet, noctu per cloacas ingreſſi urbem occupant, omniaque ſtrage, ac rapinis implent. Pandonem vi raptum probris onerant, multiſque vulneribus confoſſum in mare projiciunt. At non tam atroci exemplo doceri Radelchis potuit, ne tam ſceleratos, atque infidos homines in ſocietatem aſciſceret. Plus apud eum vindictæ, iræque impotens ſtimulus, quam proprium ipſiuſmet periculum, ſubditorum calamitas, ac vicinorum damna potuerunt. Sibi Saracenis adjunctis, validum exercitum conflavit. Quo univerſa loca, quæ Sichinulpho favebant, immaniter vaſtavit. In Capuam, ex qua ortam rebellionem querebatur, impotentius rabiem effudit; nam incredibili civium ſtrage edita, à fundamentis evertit. Sichinulphus ne minus adverſario ſceleratus videretur, eoſdem Saracenos, ex Hiſpania ne, an Africa? incertum, in auxilium advocavit, belloque reparato, ita Radelchim perſecutus, ut præter Beneventum, & Sipontum, omnem illius ditionem occupaverit. Quia verò ubi ſemel à pietate deſcitum, nihil ſanctum ducitur, ut pernicioſum ipſis authoribus bellum continuarent, templa ſacris vaſis, omnique pretioſo ornatu ſpoliarunt. Sichinulphus ex uno Caſſinate Monaſterio ter expilato, immenſam divitiarum copiam, quibus in plures annos alere milites potuiſſet, aſportavit; At non proſpera ea bella ſunt, quæ regnandi ambitione ſuſcepta, ſacrilegio geruntur. Saraceni ex levibus cauſſis, eo relicto ad ſuos,

qui pro Radelchi militabant, Africana perfidia tranſierunt; qua acceſſione, Radelchis vires plurimum creverunt, quibus hoſtem ad ultimam neceſſitatem compuliſſet, ni Guido Spoleti Dux ſoceri ſui miſertus cum valida Longobardorum manu, ad ſuſtinendam illius potentiam accurriſſet. Hujus adventu erigi Sichinulphi res cœperunt; quin & pares etiam hoſtilibus effectæ.

Dum hæc in ulteriore Italia tanto populorum, ac Religionis damno gerebantur, Ludovicus II. major natu ex Lotharii filiis, Italiæ regnum obtinuerat, & collega Imperii à Patre aſcitus Romæ à Sergio XV., qui Gregorio ſucceſſerat, Auguſtalia inſignia acceperat: vir & regiis virtutibus, & egregiis moribus clariſſimus. Hic tum Papiæ erat: motuſque calamitatibus, quas afflictæ gentes à propriis Principibus, ac Saracenis patiebantur; rogatuſque à Landone Capuæ Comite, qui Landulpho ſucceſſerat, ut opem miſeris rebus afferret; florentiſſimum è præcipua juventute exercitum coëgit, Padoque trajecto, in Samnium caſtra movit. Beneventum progreſſus, omnes ſibi Saracenos tradi à Beneventanis juſſit, eoſque in pervigilio Pentecoſtis unà cum Duce Maſtare ad unum omnes necari juſſit. Samnio ea peſte expurgato, omnium Longobardorum ordinum conventum Beneventi indixit. In eo, ut bellum radicitus tolleret; ſimulque potentiam Beneventanorum infringeret, univerſam ditionem, in duas Tetrarchias diviſit, quarum una Radelchi, cum veteri titulo relinqueretur; altera Sichinulpho obveniret, eumque Salerni Principem conſtituit. Pace in hunc modum compoſita, Sichinulphus Daiferium, cujus opera à Salernitanis Principatum acceperat, novandarum rerum ſuſpicione, vertere ſolum juſſit. Ipſe non multo poſt tot, tantiſque laboribus perfunctus, in gravem morbum incidit; quo tandem interiit, filium Siconem ex avi nomine appellatum, quem ex Itta conjuge ſuſceperat, hæredem reliquit, poſt quam X. annos regnaſſet. Tum etiam Radelchis XII. Principatus anno ſupremum diem obivit. Cui ſtatim anno DCCL. Radelgarius filius ſucceſſor à Beneventanis eſt datus.

Sed jam Neapolitani Sergium Ducem, cujus virtute, eo bellorum turbine, agrum à Saracenis intactum ſervaverant, magno totius Civitatis luctu amiſerant, cui poſt quam ſolemni pompa ac Chriſtiano ritu ultima officia perſolverunt, Gregorium filium Ducem, & Conſulem creant: filiique acceſſione, patris damna compenſaturi, qui & generis ſplendore ex longa Ducum ſerie deducti, & bellica laude, & humanis etiam literis, quibus Patris exemplo ſub Græco, & Latino præceptore operam ſedulus dederat, clariſſimus ea ætate inter Italiæ Principes fuit. Nec ſolum literas coluit: ſed literatos etiam viros in honore habuit. Ejus hortatu Bonitus Neapolitanæ Eccleſiæ Miniſter, D. Theodori vitam, qui ſub Li-

cinio,

tinio, & Galerio Principibus pro Chriſto paſſus fuerat, elegantiori ſtylo, quàm ea tempora ferrent, conſcripſit. At non diu Neapolis tantum Ducem habere meruit, vix enim expleto II. Principatus anno, deceſſit: præſentemque annum DCCCXLIV. ſuo fato inſignivit: duos liberos Sergium, & Athanaſium, ſub Athanaſii Præſulis tutela reliquit, quorum Sergium collegam à patre aſcitum Capacius ex annalibus ſuffectum patri ſcripſit. Summontius ex Heremperto Andream Gregorii fratrem Ducem conſtitutum fuiſſe aſſerit. Ad hunc facile delatum magiſtratum crediderim, quem propter ætatem Sergius gerere non poterat. Neque ea tempora, quibus propter civile Longobardorum bellum, & Saracenorum incurſiones, omnia armis plena erant, adoleſcentes Principes poſtulabant. Andreas ubi Principatum inivit, omnia urbis loca communivit: oppida, quæ Neapolitanis parebant, inſtauravit: amicitias cum finitimis renovavit; ut concordia ſociati barbarorum impetum retunderent. Porrò Amalphitani, qui Salerni exules habitabant, rati ea civili Longobardorum diſcordia, ſibi opportunam occaſionem offerri, qua ſe jugo eximerent, patriamque in antiquam libertatem vindicarent, conſilio inter ſe inito, ita convenerunt; ut nimirum ea urbis parte, quam incolebant, incenſa, & prædis, quas potuiſſent, collectis, illicò in patriam reverterentur. Quod felici ſucceſſu præſtiterunt. Amalphim reverſi à popularibus magna lætitia excepti, Senatuque coacto, novum Præfectum creant, urbem muniunt, naves veteri inſtituto inſtruunt, vicinorum, & maximè Neapolitanorum amicitiam comparant; ut aſſertam libertatem omni ope tuerentur, non enim ceſſaturos Salernitanos Principes opinabantur.

Æſtate anni DCCCXLVI. Saraceni prædarum cupidine illecti, qua una barbaræ gentes bella plerumque ſuſcipiunt, validam plurimarum navium claſſem inſtruunt: inde ex Africa in Italiam trajiciunt; cum verò Campaniæ loca munita à Neapolitanis intelligerent, in Tiberis oſtia proras convertunt, ſubitaque excurſione Romam aggreſſi, vix à mœnibus repulſi. Suburbanas tamen Apoſtolorum Petri, & Pauli Baſilicas omni ſacra ſupellectile, vaſiſque pretioſis ſpoliarunt; ipſaſque Vaticanæ ædis argenteas valvas abſtulerunt. Agro poſt direpto, atque incenſo, via Appia abjerunt. Fundos delati oppidum diripiunt, oppidanis partim cæſis, partim in captivitatem abductis. Tandem prope Cajetam conſederunt. Ludovicus, qui Papiæ juri dicundo ſedebat, re cognita, Guidonem Spoleti Ducem ire in barbaros jubet, ac prædas repetere. Hic hoſtem aſſecutus, aciem explicuit, & pugnam obtulit, in qua victus, vix fuga elapſus eſt. Auxit calamitatem Sergii mors, qui Prid: Id: Aprilis V. Pontificatus anno exceſſit. Romani his malis

perculſi, novamque direptionem timentes, in quatuor Coronatorum ædem conveniunt: ejuſque Eccleſiæ presbyterum, virum egregiæ virtutis, ac prudentiæ Pont: creant, atque è veſtigio, non expectato Cæſaris permiſſu, more majorum inungunt, & Leonem IV. invitum quamquam ſalutant. Saraceni victoria læti, quidquid inter Lirim, & Tiberim eſt, circumlatis armis, deprædati, Caſſinas Monaſterium expilare adoriuntur, nocte ad Lirim accedunt, primo mane trajecturi; verum ea nocte præter expectationem tantum aqua excrevit, tantus imber effuſus, ut omnia circum inundaverit, atque ea loca, quæ prius vadari poterant, vix magnis lintribus tranſmitterentur. Barbari, ad inopinam inundationem ira accenſi, quod tantam prædam amiſiſſent, quæcumque cis fluvium erant, vaſtatis, ad mare profecti, naves conſcenderunt: tanta ſubinde tempeſtas exorta, ut pene univerſi naufragio perierint. D. Petrum, ac Benedictum viſos in aëre procellam concitare, ventiſque, & fluctibus irritatis illatæ ſibi injuriæ pœnas à ſceleratis repetere, Scriptores tradunt. Et ſanè ſuis eſſe documento potuiſſent, ne deinceps in Superos, quorum tanta potentia, bellum impii gererent; ſi ſuperos eos eſſe credidiſſent, a quibus tam illuſtri miraculo, ventis, marique vindicibus, miſera morte mulctabantur. Etenim qui in Africa erant, audito ſuorum naufragio, nihil territi, ſed prædæ, ac vindictæ cupidine accenſi milites legunt, naves comparant, cædes, & incendia in Italiam meditantes: ſed novas ſibi clades, novamque ignominiam moliebantur.

HI-

Digitized by Google

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ
LIBER SEPTIMUS.

SI quis bella in Oriente à Saracenis ſuſcepta, ac relatas inde victorias, quantumque terrarum tam brevi tempore occupaverint, animo volutaverit, haud equidem is multum mirabitur: non enim cum priſcis Romanorum, ſed cum Græcorum ignavis, domeſticoque diſſidio implicatis, res erat. At mirari meritò poterit, ſi eoſdem barbaros in Hiſpania, in Sicilia, inque Italia ipſa, potentes, ac victores tot annos extitiſſe, perpenderit. Verum in has etiam regiones, corrupti Græcorum mores irrepſerant, vetus diſciplina deſiverat, gloriæ, laudiſque amor obſoleverat; tot verò Principum, in quos diſtracta barbarorum inundationibus Italia erat, æmulatio, ac mutua odia, imbellem eam; atque invalidam effecerant. Cæterum ubi in unum paucæ gentes coiverunt, illicò, quid poſſet, oſtenſum, atque afflicti, deletique barbari, non virtutem, ſed concordiam Italiæ deeſſe didicerunt. Idque proximo anno DCCCXLIX. eveniſſe, narraturi jam ſumus.

Leo Pontifex, qui calamitoſis hiſce temporibus ſingulari Dei beneficio datus Eccleſiæ Rector fuerat, ut impendentibus malis occurreret, novam urbem à Gregorio inceptam, qua Apoſtolorum Baſilica contineretur, magno ſumptu perficere, validiſque turribus

communire aggreſſus eſt, eamq; Leoninam vocari ab ſe voluit. Dum autem ad inſtruendam urbem omnibus viribus incumbit, nuncium accipit, barbaros novam claſſem adornare; & jam vela facturos in Italiam eſſe. Ipſe tanti periculi ſolicitus, ad Lotharium, & Ludovicum ſcribit, eoſque de Saracenorum expeditione certiores facit, ac vehementer rogat, ut ad ferenda auxilia maturent. Interea Saraceni, curſu per Sardiniam circumacto, Romanum ad litus claſſem applicant; ne verò tempus in expugnanda Oſtia inſumerent, in qua plus periculi, quam prædarum ſuſcepturi erant, Romam infeſtis ſignis è veſtigio iter intendunt. Romani Saracenorum adventu nunciato, tanto terrore perculſi, ut ni Leo Pontifex occurriſſet, de deſerenda urbe cogitaſſent, illicò in medium progreſſus, ſilentioq; trepidis indicto, ea, qua pollebat eloquentia, ac Pontificia Majeſtate, ſic eos allocutus eſt. Si tota in armis ponenda ſpes eſſet, ſperare vos etiam, Romani, juberem. Ii enim vos eſtis, qui veſtris armis, veſtra fortitudine Orbem penè univerſum domuiſtis, qui tot nationes, tot populos bello clariſſimos, ac barbaris iſtis longè fortiores, ſubegiſtis. Non enim cum majoribus veſtris virtutem quoque occidiſſe putandum eſt, eadem hæc tellus eſt, quæ eos genuit: idem hoc Cœlum, ex quo bellicoſiſſimos illi animos hauſerunt: uſus fortaſſe, atque exercitatio deerit. Sed ſi velitis, neque iſta deſiderabuntur, revocate in animum priſcam virtutem, gloriam, imperium, quod tanto ſanguine majores pepererunt. Cum viliſſimo, atque incondito barbarorum genere res eſt, quos illi ne dignos quidem putarunt, in quos periculum armorum facerent. At cùm in Superis, quorum vos templa, aras, ſacra, majeſtatemque defenditis, major ſpes ſit, quid eſt, quod vos dubios de victoria faciat? Ipſi Apoſtoli, quorum auſpicio inſtaurata Roma eſt, & quorum ſanguine irrigata felicius adolevit, pro muris ſtabunt, omnique barbaros ſacrilegiorum nexu implicatos proſternent. Non tenetis alteram procellam illorum favore diſcuſſam, barbaroſque præda exultantes fluctibus hauſtos tantorum ſcelerum pœnas perſolviſſe? Luent & iſti pariter temeritatis pœnas, novoque exemplo ſuis documento erunt, ne eos bello aggrediantur, quorum Superi patrocinium ſuſcepiſſent. Eſtote igitur fortes: & majorum virtute accenſi, ac Divorum patrocinio confiſi, animos ad pugnam, ſpem ad victoriam præſumite. His Romani verbis erecti, ſe ad tuenda mœnia accingunt: nec quidquam eorum omittunt, quæ ad communem ſalutem conducere poſſe arbitrabantur. Ipſe Pontifex omnia urbis loca perluſtrat, præſidia diſponit, machinas ad vim hoſtium repellendam parat.

Dum hæc Romæ agebantur, Neapolitani comperto Romanorum periculo, haud duxerunt, veteribus ſociis, ac communi parenti

renti in eo diſcrimine deeſſe. Solicitabat etiam eorum animum Romæ amittendæ timor, qua ſi barbari potirentur, reliquæ Italiæ jugum imponerent, à quo ipſi non liberi futuri erant. Conſilium inter Primores habitum, in quo decretum, ut omnibus viribus Romæ ſubſidium mitteretur. Quod ad plebem relatum, hæc ſtatim ſcivit. Delectus igitur habitus, tota juventute ad tam glorioſum bellum nomina dante: naves quotquot pro tempore adornari poterant, inſtruunt, arma, & machinas parant. Dux expeditionis Cæſarius Sergii Ducis filius, qui in ſummam militiæ ſpem educatus à patre, atque imperatoriis virtutibus inſtructus fuerat, omnium ſuffragio eligitur. Interea ne quid omitterent, quo certam è barbaris victoriam conſequerentur, Legatos ad Amalphitanos, & Cajetanos, qui tum mari plurimum pollebant, multæ authoritatis, ac facundiæ viros mittunt; ut ſuas illi vires adjungerent, quibus communem hoſtem perſequerentur; idque ut celerrimè facerent, ſpem omnem in feſtinatione eſſe, eos monerent. Siquidem non de Romanorum tantum, ſed de propria ſingulorum ſalute, totiuſque Italiæ libertate agi, cui jam graves eſſe Saraceni cœperant. Meminiſſe eos velle jam Hiſpaniam, Siciliam, aliaſque Tyrrheni maris inſulas in poteſtatem barbarorum veniſſe: idque eo præcipue factum, quod ſegnius hoſtibus occurriſſent. Continendum principio cum fluvium eſſe, qui ſi excreſcentibus aquis altius intumuiſſet, frenari nullo modo poſſet. His Neapolitanorum verbis Amalphitani, & Cajetani permoti, quas in portu naves habent, ſtatim armant, primiſque juvenum, ac bellico apparatu, impoſitis, Neapolim veniunt. Hic luſtrata claſſe, Crucem, fortunatiſſimum Chriſtianorum vexillum ab Athanaſio Antiſtite accipiunt: portu ſolvunt: ſecundoque uſi vento, Oſtiam navigant. Hinc nuncium Romam ad Pontificem mittunt, qui illum de ſuo adventu certiorem faciat. Leo miratus, quod unde minus ſperaverat novi ad ferendam opem ſocii adveniſſent, primores eorum, & ipſum in primis Ducem accedere ad ſe jubet. Cæſarius, qui jam ire ad Pontificem conſtituerat, cum præcipuis nobilium Romam progreſſus, Pontificem adit: ſacroſque pedes de more Chriſtianorum deoſculatus, ita ad Leonem locutus: Tuo, ſacratiſſime Pontifex, & Romanorum, quos antiquiſſimo fœderis jure noſtros ſocios eſſe profitemur, periculo permoti, huc armati venimus: & quas potuimus vires unà cum amicis noſtris Amalphitanis, & Cajetanis comparavimus; parati cum Saracenis confligere, ne iterum Romam depopulentur. Tum Pontifex incredibili voluptate affectus, eos miris laudibus commendavit, atque honorifice in Laterano excepit. Inde Leo ut horum populorum alacritatem foveret, novoſque ad rem benè gerendam ſtimulos adderet, obviam eis cum univerſo Clero, Populoque Romano proceſ-

ſit.

ſit. Hic quis navium, quis militum numerus eſſet: quibus armis muniti, & quam paratiſſimis ad dimicandum animis: quanta alacritate, ac præceptione victoriæ cognoſcit. Ut verò certos illos aut vincere, aut omnem pro Chriſtiana Republica, pro ſalute Romani Pontificis, pro urbe Roma ſanguinem effundere; ut ſic honeſta ſaltem morte, ſi victoria non quivisſent, fidem oſtenderent, Leo incredibili lætitia intellexit: cunctos in ædem D. Aureæ convenire jubet: ibique ſacra Chriſtiano ritu facit: veſcoque Chriſti Corpore univerſos reficit: precatus Superos, ut ſacris militibus victoriam concederent: bellumque, quod tanta pietate ſuſceperant, feliciter abſolverent: tradito deinde ſacro vexillo, ac Pontificia benedictione, ſpe plenos dimiſit. Cæſarius illicò conſcendere in naves militem jubet; inque hoſtem vela facit. Saraceni ſimul ac Neapolitanos venire in auxilium cognoverant, omiſſa Roma, ad claſſem ſe receperant, dubii in Africam ne ſe reciperent, an belli fortunam tentarent: placuit tandem confligere, ne quæſitam tot pugnis gloriam præſenti fuga obfuſcarent. Proris in Orientem converſis, obviam Chriſtianorum claſſem habuere. Cæſarius ubi hoſtes ad ſe venire animadvertit, etſi omnem in Superis ſpem poſuiſſet, ne quid tamen in arte peccaſſe videretur, claſſem univerſam illico inſtruere aggreditur; optimè enim noverat, nunquam temere in aciem prodeundum: & ſolertibus victorias, non ſupinis, vel nimia fiducia elatis, à Superis concedi. Dextra Amalphitanos, Siniſtra Cajetanos locavit: ipſe cum Neapolitanis mediam aciem occupavit, in fronte longarum navium inſtructiſſimas, in quibus egregii ſagittariorum erant, collocavit, valida in extrema acie ſubſidia, ut inclinantes ſuſtinerent ſuos impoſuit. Acie explicata, ſingulas naves circumvectus, his in pugnam ardentes militum animos acrius incendit: Hi, commilitones, barbari ſunt, quos de victoria ſecuri tanta alacritate, quæſiviſtis, hi illi hominum nequiſſimi, ſi tamen homines, & non Africæ monſtra, ex quibus jam ſuperi, nobis vindicibus, pęnas repoſcunt. In eos virtute vos patria, ſpe Pontifex, ſecuritate victoriæ Chriſti Corpus armavit; quocirca ne primum quidem impetum ferre poterunt: veſtrorum luce armorum perterriti, terga vertent. Quid igitur palmas moror? Ite alacres, & pro Superis ex impiis pęnas ſumite: ſocios metu, Eccleſiam dedecore liberate: vobis verò, & Patriæ immortalem gloriam comparate. Inde in mediam aciem reverſus, ſignum dari jubet: primuſque ipſe barbarorum prætoriam invadit. Non ſegniores Saraceni fuerant, acie lunata, magno tubarum clangore, ac barbarico ululatu in pugnam procedunt. Cæſarius magno impetu, atque animorum ardore in hoſtilem Prætoriam invectus eſt. Et quamquam barbari acerrimè dimicarent; brevi tamen fortiſſimis occiſis, in eam victor in-

ſi-

ſiluit; cæſoque Duce, occupavit. Tantus tùm reliquos ardor, tanta æmulatio inceſſit, ut quiſque primus in hoſtium naves penetrare omnibus viribus niteretur: ſociiſque gloriam, ac navale ſertum præripere: etiam tum ventus noſtris ad victoriam breviſſimam viam fecit: nam adeo barbaros perturbavit, ut ſtatim fugam cepiſſent, ni Saracenorum Duces nutantes quà precibus, quà minis tenuiſſent. Verum illud non vitare, ſed augere cladem ſuorum fuit. Noſtri ſecundo vento uſi, barbaros circumvenere; ademptaque fugiendi poteſtate, omnes fere, aut captæ, aut demerſæ Saracenorum naves fuere, plenamque Chriſtiani victoriam retulere. Quæ paucæ ex fuga dilapſæ, creſcente mox vento, aut in vicinas inſulas disiectæ, aut hauſtæ fluctibus perierunt: vix fuerunt, quæ acceptæ cladis nuncium in Africam ferrent. Neapolitani Oſtiam victores redierunt, partæque victoriæ nuncium Laureatis veteri more literis Romam miſerunt. Quæ ubi Pontifici, Populoque Romano recitatæ, tanta univerſi lætitia perfuſi, ut ſtatim per omnium Divorum Templa diſcurſum, habitæque Superis gratiæ: non aliter, acſi iterum victus Annibal, & capta Carthago fuiſſet. Cæſarius navalibus ſpoliis onuſtus, ac barbaros ſecum captivos ferens urbem triumphans ingreſſus, quem effuſa obviam multitudine ſummis laudibus Romani exceperunt: tanta vero ejus diei pompa, atque apparatus fuit, tanta univerſorum gaudia, ut antiqui triumphi memoriam renovaverint. Pontifex, cujus major lætitia, ac voluptas fuit, victores benignè complexus, multis muneribus exornavit, ac patribus coram, populoque Romano egregiè pro concione laudavit. Una tum omnium opinio fuit, ad debellandos barbaros externis auxiliis Italiam non indigere, ſi popularium animi concordia foverentur, quando tres urbes tantam belli molem feliciter ſuſcepiſſent. Cæſarius inſigni palma, gloriaque ſervatæ urbis dives, victricem claſſem Neapolim reduxit, ubi non minori ſuorum plauſu, gaudioque exceptus eſt, feriiſque indictis, ad plures dies feſtivitas, ludique celebrati; qui cum tanta victoria memorabilem hunc annum DCCCXLIX. effecerunt.

At non ſecundæ in Apulia Chriſtianorum res erant. Saraceni, qui Barium obtinebant, Græcorum ignavia, ac Longobardorum diſcordiis animoſiores facti, univerſam eam provinciam depopulabantur; locisque plurimis occupatis, in Calabriam irruperunt, cuncta ſtragibus, ac rapinis implentes. Theodoſius, qui utramque Provinciam adminiſtrabat, quot potuit naves armavit, additiſque ſibi Venetorum auxiliis, qui ſub Gradenico LX. naves miſerant, ut Adriatici litora tuerentur, barbaris pugnam obtulit, in qua victus, uti Græcorum res omnino dejecit, ita Saracenorum audaciam auxit. Longobardi, ut imminentibus malis occurrerent, Bertharium, & Ja-

& Jacobum Caſſinates Monachos Legatos in Galliam ad Ludovicum mittunt, qui auxilium ab eo contra barbaros peterent. Ludovicus exercitu comparato, Alpes trajecit, ac magnis itineribus in Samnium pervenit. Inde Capuanis, ac Beneventanis adjuvantibus, quædam cum Saracenis ſecunda prælia fecit. Barium victor progreſſus, caſtra in conſpectu hoſtium poſuit, facileque oppido potitus fuiſſet, ſi Gallicum impetum diutius continuaſſet. Bario omiſſo, Salernum venit, iratuſque Siconi, quod Græcorum partes tenuiſſet, nec ſubſidia in Saracenos tuliſſet, eo Principatu ſpoliavit, Principemque Ademarium Petri filium conſtituit, atque in Galliam non multa ſui gloria eſt reverſus.

Porrò Saraceni, qui Africam incolebant, ſuperiore clade, ac naufragio neutiquam domiti, nova iterum claſſe inſtructa, ad Italiæ litora curſum direxerunt. Cùm verò juſta pugna vincere ſe poſſe deſperarent, excurſiones piratarum more facere inſtiterunt. In Bajanum igitur ſinum vento delati, Miſenum vetuſtiſſimum oppidum, quod ab Æneę tibicine nomen obtinuerat, improviſi adoriuntur, ac diripiunt, pluribuſque captivis abactis, in Africam redierunt. Tum reliqui civium veriti, ne iterum barbari ea loca pervaſtarent, D. Soſii corpus, quod ſumma religione venerabantur, Neapolim deducunt; inque ædem D. Severini, quam Caſſinates Monachi tenent, ſolemni ſupplicatione intulerunt.

Verum Capuani cum animadvertiſſent, ipſorum urbem, quam Sicopolim etiam appellabant, vicinorum fraudibus ſæpius exarſiſſe, illam ab ea calamitate eximere cupientes, conſilium cum Landulpho Comite, & Pandulpho Præſule inierunt: viſum cunctis optimè factum, ſi eam ex Tifata ad Caſilini pontem transferrent, eſſe eum locum campeſtrem, ac feracem, ex quo in univerſam Campaniam excurrere facilè potuiſſent; nec exiguæ commoditatis Vulturnum eſſe: quo & pro vallo uti, & ad navigandum poſſent. Nec procul ab antiqua Capua locum eſſe, fierique poſſe, ut veteribus incolis novi adjungerentur: atque una ex ambobus populis gens coaleſceret. Cępta anno DCCCLVI. novæ urbis fundamenta jaci. Tanta univerſorum alacritas, ac ſolertia in ea ædificatione fuit; ut maximum opus, & quod annorum plurium videbatur, brevi perfectum, expletumque ſit. Ademarius Salerni Princeps ratus eam urbem, qua veluti jugo tota in officio contineri Campania poterat, plurimum ſuæ ditioni nocituram, eò cum armatis accurrit; ut opus turbaret. Capuani, armis acceptis, illius conatus eluſerunt. Extructa urbs fertili eo in campo, in quo ad noſtram ætatem permanſit. Diſtat à veteri Capua tria paſsuum millia, tam valido muro, ac turribus præmunita, ut præcipuum Neapolitani Regni propugnaculum habeatur. Cæterum Præfecti Longobardorum, quos

Ca-

Caſtaldeos vocabant, principio Capuam tenuerunt: Lando I. Comitis titulo dominationem invaſit, atque exordium Capuani Principatus jecit. Dum autem Capuanæ urbis mœnia ponebantur, Lotharius ſe imperio abdicavit, nuncioque honoribus, ac divitiis miſſo, Monachum apud Treviros eſt profeſſus. Tùm Ludovicus II. ſolus Imperium eſt auſpicatus. At quia Burgundia, Provincia, Delphinatus, aliæque Carolo Provinciæ: Auſtraſia Lothario, quę Lotharingia ab eo etiamnum appellata, obvenerant, Occidentalis Imperii vires plurimum imminutæ. Eccleſia Romana poſt Leonem, & Benedictum III. Nicolaum Pontificem acceperat.

Luctuoſus annus DCCCLVIII. Neapolitanis fuit, quo Andrea Duce, ſummo omnium dolore extincto, Sergius à Patre jam Conſul deſignatus, Dux factus. Qui donec ſub Athanaſii Præſulis, patruique ſui tutela manſit, nativam indolem à majorum ſuorum ſanguine degenerantem callidè occultavit. At ubi libertatem nactus, remotoque periculo, ne ſi qualis futurus eſſet, tempeſtivè proderet, è Principatu ejiceretur, illico qualis eſſet, oſtendit. Nihil enim tam efficax ad mortalium ingenium cognoſcendum, quam collata illis potentia: qua ſoluti lege, non aliter ac ruptis fluvii aggeribus, liberi pervagantur. Patri per omnia diſſimilis, in intemperantiam, ac ſtultitiam effuſus, pacem civitatis, qua tum Neapolis vel inter Saracenorum, ac Longobardorum arma fruebatur, in diſſentiones, tumultuſque convertit. Civium plurimos, ut proclives ſuopte ingenio ad vitia homines ſunt, tales ſuo exemplo, conſilioque reddidit; ut qui, nunquam ab Eccleſia defecerant; imo ob illius majeſtatem, ſanguinem fuderant, ac nobiliſſimas victorias confecuti fuerant, Pontificis admonitiones parvi duxerint, partamque à majoribus gloriam obfuſcaverint. Athanaſius cum nepotis mores ferre non ęquum cenſeret, eum ad frugem revocare ſępius eſt conatus: & quà privatis adhortationibus, quà precibus flectere pro viribus ſtuduit: pluribus oſtendens quantam ſibi, ſuo generi, patriæque ignominiam conflaret, quantam ſibi, ac civibus ſuis, quos incolumes ſervare debuiſſet, perniciem accerſeret. Sciret nunquam eos Principes, qui à pietate, ac juſtitia deſciviſſent, ſecuros dominationis futuros. Nec ferre eos Deum poſſe, qui cum Religionis hoſtibus ſocietatem injiſſent: reſpiceret ad patris exempla, qui innocentiſſimis moribus, ac regiis virtutibus, immortalem ſibi, patriæque gloriam aquiſiverat, felicitatemque pepererat: reſpiceret ad patruum Cæſarium, qui fide in Eccleſiam, reverentia in Pontificem inſolentes tot victoriis barbaros profligaverat. Sergius, cujus animum jam vitia totum præoccupaverant, id perquam acerbè tulit, & vix manus à tam fideli admonitore continuit: multis tamen oneratum probris ejecit. Sergio ex ſe jam præcipiti

iras conjux addidit (in Athanaſii vita ſocrus legitur) quæ muliebri impotentia viro ſuadet, ut illum ab ſe ablegeet, aliòque in exilium amandet. Sergius & ſuapte natura, & conjugis incitamento ferox Sanctum Præſulem, patruum, atque educatorem ſuum, unà cum cœnobitis D. Servatoris, quibus ille familiariter utebatur, in carcerem detrudit, arctaque cuſtodia ſervari jubet.

Ademarius Salerni Princeps haud ſtabilem eum Principatum, vivo Sicone, fore exiſtimans, illum veneno ſuſtulit, quo facto magnam ſibi invidiam conflavit, quam uxor Gimeldunda ſummopere auxit. Siquidem pro muliebri ingenio cuncta ſuperbè, avarèque adminiſtrabat, neque uxorius vir frenum impotenti fœminæ injicere audebat. Illud verò odioſiſſimum univerſæ civitati accidit, quod Bernardo, viro ſanctiſſimo, omnibuſque Pontificiis virtutibus ornatiſſimo, vita functo, Petrum filium Præſulem creari curaſſent: nullaque religionis habita ratione, tum civilia, tum ſacra una domus adminiſtraret. Nec Capuani, quibus invitum Ademarii nomen erat, odium in Principem fovere omittebant. Cum igitur ferre eum diutius non poſſent, in Prætorium ordo unà, & populus irrumpunt; captumque vi Principem, inque ordinem redactum, vinciendum tradunt, & Dauferium Majonis filium Principem ſalutant. Quam tamen electionem nec prudentiores civium, nec Dauferius alter conſobrinus, qui à Sichinulpho ejectus opera Landonis Capuani Comitis in urbem redierat, probavere. Hic qui eum Principatum jamdiu affectaverat, concilio ſeniorum accito, plurima de ea ſatis verboſè habuit; cumque plurimos ſibi favere animadverteret, in Prætorium progreſſus Dauferium pro tribunali ſedentem invenit, eique perſuadet, ut ſe Principatu abdicet: liberamq; electionem Patribus permittat: renuentem, quod jure ſe ſalutatum diceret, e tribunali vi rapit: atque unà cum fratribus in carcerem conjicit, concilioque mox habito ipſe ab omnibus Princeps renunciatus eſt. Tanta mortalium ambitio, & tam varium, ac leve vulgi ingenium eſt.

Dum hi mutuis odiis, atque impotenti ambitione ſe ſe dilaniant, Saraceni vires capiunt, res augent, ac nobiliſſimas provincias cedibus, ac rapinis vaſtant. Bertharius Caſſinatis Monaſterii Abbas, Leonis IV. exemplo adductus, valido muro, ac fortiſſimis turribus Cœnobium communivit: ad montis radicem, ubi D. Servatoris ædes erat, novum oppidum ædificavit, & mœnibus precinxit; ut cœnobitis propugnaculi inſtar contra barbaros eſſet: èque D. Benedicti nomine Eulogimopolim appellavit. At barbari non contenti tot provincias prædonum ritu excurriſſe, valido exercitu comparato ſub eorum Rege Seudano, Bario egreſſi, per Samnium, ac Sveſſulanum agrum in Campaniam impetum faciunt: omniaque

ferro,

ferro, atque igni perdunt, cuncta ea loca, quæ minimè munita erant, diripiunt, atque incendunt. Inde Neapolim progreſſi, caſtra in conſpectu urbis metantur, cum verò fortiter à muris repellerentur, Capuam contendunt. Interea Lambertus Spoleti Dux, & Gerardus Marſorum Comes à Majelpato Theleſiæ, & Vandelberto Theani Præfectis advocati, cum ſuis copiis adfuere, adjunctiſque eorum Præfectorum auxiliis, in Saracenos movent. Ad Capuanæ ditionis fines illos aſſecuti, aciem explicant. Seudanus haud pugnam detrectavit: ſuos ſtatim inſtruit, ſignoque facto, magnis utrinque viribus certatum: diuque anceps dimicatio fuit. At ubi Gerardus, ac Majelpatus, & tandem Vandelbertus fortiter dimicantes occubuerunt; victoria ad Saracenos inclinavit. Lambertus cum cæſi exercitus reliquiis vix ſe fuga ſervavit. Seudanus ea victoria ferox, iratuſque quod plurimos in ea obtinenda amiſiſſet, nihil intactum reliquit, ubique incendia circumferens, D. Vincentii Cœnobium expilavit, atque evertit: inque vicinum fluvium muros præcipitari juſſit, convivioque eò loci celebrato, in ſacris calycibus bibit, adolerique ſibi thus, in ejus Eccleſiæ thuribulis Chriſtiano ritu fecit; ut eo contemptu noſtræ Religioni illuderet. Capuam deinde reverſus cuncta diripuit, agroque vaſtato, Theanum caſtra deduxit. Bertharius ejus loci Abbas XXX. aureorum millibus eam urbem redemit. Seudanus, Theano omiſſo, Venafrum movit, oppidoque capto, univerſum agrum diripuit, tandem immenſas ſecum prædas ferens Barium exercitum reduxit.

Porrò Neapolitani, qui ſanioris conſilii, neo Sergio adhærebant, in cuſtodia detineri Præſulem indignè ferebant: inque Ducem, ejuſque conjugem quotidie querelas jactabant: atrocem eam mulctam eſſe, nec tanto viro, cujus injuria ad totam urbem pertinebat, irrogandam: neque expedire, ut unius, aut alterius culpa univerſa civitas damnaretur. Neutiquam tolerandum, ut Ducis exemplo, quo contineri in officio reliqui debuiſſent, univerſi peccarent. Primores his querelis permoti, Ducem adeunt, cumq; enixè rogant, ut Paſtorem gregi reſtituat, neque in virum innocentiſſimum ſævire diutius vellet, contineri amplius multitudinem non poſſe; quin Præſulis deſiderio, in carcerem impetum faciat, fores diffringat, Athanaſium liberet: faceret ſua ſponte, quod mox vel ipſe coactus neceſſitate facturus, vel factum paſſurus eſſet. Tum Sergius veritus tumultum, qui quo juſtiori prætextu cieri poterat, eo pernicioſior ſibi futurus, pietate pro tempore ſimulata, unà cum cœnobitis liberavit. Quibus ipſe Athanaſius Lucullana in inſula cœnobium ædificaverat, cui ea ætate Antonius præerat. Hic quia Sergium corripuerat, quod ingrato in Athanaſium animo ſe gereret, unà cum ſuis in carcerem incluſus ab eodem fuerat. Athana-

iras conjux addidit (in Athanaſii vita ſocrus legitur) quæ muliebri impotentia viro ſuadet , ut illum ab ſe ablegет , aliòque in exilium amandet . Sergius & ſuapte natura , & conjugis incitamento ferox Sanctum Præſulem , patruum , atque educatorem ſuum , unà cum cœnobitis D. Servatoris , quibus ille familiariter utebatur , in carcerem detrudit , arctaque cuſtodia ſervari jubet .

Ademarius Salerni Princeps haud ſtabilem eum Principatum , vivo Sicone , fore exiſtimans , illum veneno ſuſtulit , quo facto magnam ſibi invidiam conflavit, quam uxor Gimeldunda ſummopere auxit . Siquidem pro muliebri ingenio cuncta ſuperbè , avarèque adminiſtrabat , neque uxorius vir frȩnum impotenti fȩminæ injicere audebat . Illud verò odioſiſſimum univerſæ civitati accidit , quod Bernardo , viro ſanctiſſimo , omnibuſque Pontificiis virtutibus ornatiſſimo , vita functo , Petrum filium Præſulem creari curaſſent : nullaque religionis habita ratione , tum civilia , tum ſacra una domus adminiſtraret . Nec Capuani , quibus invitum Ademarii nomen erat , odium in Principem fovere omittebant . Cum igitur ferre eum diutius non poſſent , in Prætorium ordo unà , & populus irrumpunt ; captumque vi Principem , inque ordinem redactum , vinciendum tradunt , & Dauferium Majonis filium Principem ſalutant . Quam tamen electionem nec prudentiores civium , nec Dauferius alter conſobrinus , qui à Sichinulpho ejectus opera Landonis Capuani Comitis in urbem redierat , probavere . Hic qui eum Principatum jamdiu affectaverat , concilio ſeniorum accito , plurima de ea ſatis verboſè habuit ; cumque plurimos ſibi favere animadverteret , in Prætorium progreſſus Dauferium pro tribunali ſedentem invenit , eique perſuadet , ut ſe Principatu abdicet : liberamq; electionem Patribus permittat : renuentem , quod jure ſe ſalutatum diceret , e tribunali vi rapit : atque unà cum fratribus in carcerem conjicit, concilioque mox habito ipſe ab omnibus Princeps renunciatus eſt . Tanta mortalium ambitio , & tam varium , ac leve vulgi ingenium eſt .

Dum hi mutuis odiis , atque impotenti ambitione ſe ſe dilaniant , Saraceni vires capiunt , res augent , ac nobiliſſimas provincias cædibus , ac rapinis vaſtant . Bertharius Caſſinatis Monaſterii Abbas , Leonis IV. exemplo adductus , valido muro , ac fortiſſimis turribus Cœnobium communivit : ad montis radicem , ubi D. Servatoris ædes erat , novum oppidum ædificavit , & mȩnibus pręcinxit ; ut cœnobitis propugnaculi inſtar contra barbaros eſſet : èque D. Benedicti nomine Eulogimopolim appellavit . At barbari non contenti tot provincias prædonum ritu excurriſſe , valido exercitu comparato ſub eorum Rege Seudano , Bario egreſſi , per Samnium , ac Sveſſulanum agrum in Campaniam impetum faciunt ; omniaque

ferro,

ferro, atque igni perdunt, cuncta ea loca, quæ minimè munita erant, diripiunt, atque incendunt. Inde Neapolim progreſſi, caſtra in conſpectu urbis metantur, cum verò fortiter à muris repellerentur, Capuam contendunt. Interea Lambertus Spoleti Dux, & Gerardus Marſorum Comes à Majelpato Theleſiæ, & Vandelberto Theani Præfectis advocati, cum ſuis copiis adfuere, adjunctiſque eorum Præfectorum auxiliis, in Saracenos movent. Ad Capuanæ ditionis fines illos aſſecuti, aciem explicant. Seudanus haud pugnam detrectavit: ſuos ſtatim inſtruit, ſignoque facto, magnis utrinque viribus certatum: diuque anceps dimicatio fuit. At ubi Gerardus, ac Majelpatus, & tandem Vandelbertus fortiter dimicantes occubuerunt; victoria ad Saracenos inclinavit. Lambertus cum cæſi exercitus reliquiis vix ſe fuga ſervavit. Seudanus ea victoria ferox, iratuſque quod plurimos in ea obtinenda amiſiſſet, nihil intactum reliquit, ubique incendia circumferens, D. Vincentii Cœnobium expilavit, atque evertit: inque vicinum fluvium muros præcipitari juſſit, convivioque eò loci celebrato, in ſacris calycibus bibit, adolerique ſibi thus, in ejus Eccleſiæ thuribulis Chriſtiano ritu fecit; ut eo contemptu noſtræ Religioni illuderet. Capuam deinde reverſus cuncta diripuit, agroque vaſtato, Theanum caſtra deduxit. Bertharius ejus loci Abbas XXX. aureorum millibus eam urbem redemit. Seudanus, Theano omiſſo, Venafrum movit, oppidoque capto, univerſum agrum diripuit, tandem immenſas ſecum prædas ferens Barium exercitum reduxit.

Porrò Neapolitani, qui ſanioris conſilii, nec Sergio adhærebant, in cuſtodia detineri Præſulem indignè ferebant: inque Ducem, ejuſque conjugem quotidie querelas jactabant: atrocem eam mulctam eſſe, nec tanto viro, cujus injuria ad totam urbem pertinebat, irrogandam: neque expedire, ut unius, aut alterius culpa univerſa civitas damnaretur. Neutiquam tolerandum, ut Ducis exemplo, quo contineri in officio reliqui debuiſſent, univerſi peccarent. Primores his querelis permoti, Ducem adeunt, eumq; enixè rogant, ut Paſtorem gregi reſtituat, neque in virum innocentiſſimum ſævire diutius vellet, contineri amplius multitudinem non poſſe; quin Præſulis deſiderio, in carcerem impetum faciat, fores diſtringat, Athanaſium liberet: faceret ſua ſponte, quod mox vel ipſe coactus neceſſitate facturus, vel factum paſſurus eſſet. Tum Sergius veritus tumultum, qui quo juſtiori prætextu cieri poterat, eo pernicioſior ſibi futurus, pietate pro tempore ſimulata, unà cum cœnobitis liberavit. Quibus ipſe Athanaſius Lucullana in inſula cœnobium ædificaverat, cui ea ætate Antonius præerat. Hic quia Sergium corripuerat, quod ingrato in Athanaſium animo ſe gereret, unà cum ſuis in carcerem incluſus ab eodem fuerat. Athana-

ſio è cuſtodia educto, tanta Neapoli exorta lætitia, ut iterum triumphare de barbaris videretur: excurrere omnes, Sanctum Antiſtitem inviſere, gratulari, omniaque amoris, atque æſtimationis ſigna dare: ejus pietatem extollere, conſtantiam laudare, commendare ſanctimoniam. Id, ut Sergius accepit, in ſui odium, atque invidiam fieri arbitratus, pęnituit Athanaſium emiſiſſe: cum verò iterum comprehendere ſine tumultu non poſſet; ſatellites mittit, qui illius domum cuſtodiant, atque ab illius introitu cunctos ſubmoveant. Athanaſius de Sergii emendatione deſperans, optimum factu duxit, ſi in Lucullanam inſulam ad ſuum Caſſinatium cœnobium ſe reciperet: fore, ut ita Sergii ira mitigaretur; & qui hortatu flecti nequiverat, patientia vinceretur. Eccleſiæ theſauro ſuo annulo obſignato; latoque in eum anathemate, qui ſuo injuſſu aperuiſſet, Lucullanum cœnobium adivit: ibique ſumma innocentia, patientiaque cum cęnobitis vitam tranſducebat.

At Longobardi ſero animadvertentes, quantum ſuis rebus domeſtica diſcordia mali attuliſſet, fędus inter ſe iniverunt. Quia verò & ipſi graves reliquis Italiæ populis erant, ut minimè illorum ſocietatem ſperare poſſent, ad Ludovicum confugere ſtatuerunt, ad quem ipſi pariter Græci ſpectabant. Etenim Baſilius Macedo, qui Michaele Porphyrogenito occiſo, Imperiũ anno DCCCLXVI. invaſerat, Aſiæ bellis implicatus, Apuliæ, Calabriæque ſuccurrere haud quibat. Legati igitur ad Ludovicum miſſi, qui eum rogarent, ut ad expellendos ex Italia Saracenos veniret, & palmis, quas hactenus tanta ſui laude meruerat, hanc etiam, futuram omnium nobiliſſimam, adjungeret. Ludovicus ea legatione accepta, delectum habere inſtitit, magniſque peditum, equitumque copiis conſcriptis, unà cum Engilberga uxore, primo vere in Italiam ire pergit. Dum autem per Soranum agrum Beneventum contenderet, in Caſſinas Monaſterium divertit: in quod à Berthario loci Præpoſito, reliquiſque cœnobitis grandi honore exceptus eſt. Ibi vota Deo fecit, ſacris interfuit, totumque Monaſterium perluſtravit. Cui cum plurima indulſiſſet, & pretioſis muneribus donaſſet, Caudium caſtra movit, veritusque ne in eis anguſtiis ab hoſte circumveniretur, in campeſtria egreſſus, Nuceriam proceſſit, ibi Saracenos obviam habuit; cum quibus adverſo prælio conflixit. Saraceni victoria uſi, ſtatim Nuceriam occuparunt. Ludovicus, novis ſubſidiis acceptis iterum ſecundo eventu cum Saracenis pugnavit, Nuceriam recepit; ac fugientes barbaros magnis itineribus perſecutus, Barium obſedit. Cum verò liberum mare hoſtibus eſſet, & quotidie ſubſidia acciperent, ipſe ne tempus fruſtra tereret, obſidionem diſtulit, ac Beneventum copias reduxit. Saraceni hoſtis abſceſſu, audaciores facti, celeberrimam Gargani ædem D. Michaëli ſacram diri-

diripuerunt; magnaſque ex ea divitias Barium intulerunt. Dum hæc agerentur, nova à Lothario ſupplementa Ludovico miſſa: & claſſis à Baſilio adornata, in Adriaticum navigans ad Apuliæ litora applicuit. Ludovicus novis ſupplementis auctum exercitum in Saracenos duxit, & primo Mateolam brevi obſidione captam ſuccendit: inde Venuſiam, & Canuſium, quæ pariter à barbaris tenebantur, facilè recepit; validiſque præſidiis communivit: Templa à Saracenis polluta luſtrari juſſit. Mox cognito Baſilii claſſem ad Apuliam perveniſſe, ut opem ad Barium oppugnandum ferret, ipſe omnem in eam urbem curam intendit. Copiis exin muro admotis urgere machinis obſidionem cępit. Saraceni præteritis oppugnationibus feſſi, ſpeque ſubſidiorum deſtituti, ſegnius muros tuebantur: tandem multis ipſorum amiſſis quadrienno poſt quam primùm obſideri cęptum à noſtris unà cum Seudano Rege oppidum captum eſt. Saracenos cum eorum Rege ad unum trucidatos Latini Scriptores tradunt, Græci, Seudanum Capuam miſſum, ibique in cuſtodia habitum, ſcripſerunt. Urbs ne iterum barbaris pro receptaculo eſſet, everſa. Bario recepto, Tarentum expugnare Ludovicus accingebatur, ut eam peſtem ex Italia omninò expelleret, cum ad eum delatum Æſerniæ, & Fani D. Agathæ Comites in ipſius vitam conſpiraſſe, eoſque clam à Radelchio ad facinus incitatos. Ludovicus, ut Majeſtatis, ac intentati parricidii reos bello perſequeretur, Tarentina expeditione omiſſa, in Samnium iter revolvit. In itinere Æſerniam cępit. Inde Allypharum montibus ſuperatis, per Teleſinum agrum in S. Agathæ Fanum, quod præmiſſis copiis obſideri jam cęperat, pervenit. Hic Bertharius Abbas Ludovicum ſupplex adit, & Hiſembrando fratri ejus urbis Præfecto, ac reliquis oppidanis veniam impetravit. Ludovicus inde digreſſus, Beneventum movit, ut de Radelchio, apud quem Comites confugerant, ulciſceretur. In itinere Radelchium obviam habuit: qui ad genua Cæſaris provolutus, & ſibi, & Comitibus veniam petiit: & à mitiſſimo Principe impetravit. Ludovicus clementiam potius in ſupplices, quàm vim exercere, imperatorium eſſe, nec unquam magis ſimiles Deo videri Principes, quam cum confitentibus culpam ignoſcunt, merito arbitrabatur. At Sergius, ut ad noſtra redeam, Athanaſii patientia nihil mitigatus: imo illius ſeceſſionem in ſui odium factam ducens, iis ſibi adjunctis, qui uti corruptiſſimos illius mores, ità partes ſequebantur; nonnulliſque Saracenorum, eum in ea inſula obſidere adortus. Ludovicus acceptis Beneventi, quæ Neapoli agebantur, opem ſanctiſſimo Præſuli ferre ſtatuit; ne innocentes deſeruiſſe videretur, qui perduellibus pepercerat. Marinum Amalphitanum mari Præfectum cum XX. longis navibus ire in Lucullanam inſulam jubet; ex eaque Athanaſium incolumem educere. Hic

ſtatim

Digitized by Google

ſtatim profectus, ad inſulam acceſſit, ubi Sergii claſſem cum Saracenorum auxiliis obviam habuit. Marinus nihil cunctatus ſignum certaminis dedit, magnoque impetu, atque animorum ardore hoſtes invaſit: illi haud ſuſtinere impetum diu potuerunt, ſed converſis proris fugam capientes, & victoriam Marino, & poteſtatem educendi Præſulis reliquerunt. Athanaſius, cujus merito eam palmam ſe adeptos Amalphitani fuiſſe crediderant, incolumis ad Ludovicum deductus, magnoque in honore apud eum eſt habitus. Adrianus Pontifex (alii à Joanne VIII., qui huic ſucceſſit, factum ſcripſerunt) audita Athanaſii ejectione, ſtatim ad Clerum, Populumque Neapolitanum ſcripſit: coſque hortatus, ut in ſuam ſedem Antiſtitem reducerent. Cum verò hi Sergii timore ſegniores viderentur, Anaſtaſius, & Bertharius Neapolim Legati, qui urbem adhuc recuſantem, ſacris interdicerent. Dum verò Athanaſius Benevento Romam pergeret, Sergii uxor viro nequior, ſanctum Præſulem veneno tollere per nefarios homines tentavit. Id cum Athanaſio nunciaretur, Surrentum ad Stephanum germanum ſuum, ejus urbis Antiſtitem divertit, apud quem degens, non ſuam, ſed nepotis inſaniam, patriæque calamitatem deplorabat.

Ludovico Romam profecto, Seudanus, qui è cuſtodia elapſus fuerat, ut Græci memorant, vel ſi quis alius fuerit Saracenorum Dux, novo exercitu accito, ipſoque Radelchio clam adjuvante, Capuam, aliaque Beneventanæ ditionis loca à Gallis occupata, ad ſuas partes attraxit. Id ubi Ludovicus cognovit, juſta ira accenſus, exercitum iterum in Campaniam induxit: & primum Beneventum, & belli, & malorum omnium ſedem, obſidere ſtatuit. Radelchius, ut appropinquare Ludovicum cognovit, ad ſolitas artes converſus, leto vultu, confidentique animo obviam proceſſit: atq; amiciſſimis verbis venientem ſalutavit, ratus ea ſimulatione haud ſe cum rebellibus conſenſiſſe oſtenſurum. Ludovicus eo fuco captus, & multis inde muneribus delinitus, facilè ignovit, omiſſoque Benevento, reliqua loca brevi negotio expugnavit. Deinde Capuam, quæ plus laboris datura erat, copias deduxit. Capuani valido muro è quadrato lapide inſtructo, ac præterfluente fluvio confiſi ſe Imperatori dedere recuſarunt. Ille ne ſubſidia inferrentur, urbem vallo præcinxit; ac fertiliſſimum Italiæ agrum vaſtavit. Capuani diu obſidionem fortiter tolerarunt; cum verò rerum omnium inopia premerentur; nec facilè veniam ſperarent, ad Divos confugerunt, aſſumptoque in humeris D. Germani corpore, quem Divum ſumma religione colunt, ſupplici agmine unà cum Præſule, humiles, ac ſordidati in caſtra proceſſerunt, ac multis precibus veniam petierunt; eamque ſibi per Divum Germanum dari magnis clamoribus poſtulabant. Lodovicus mitiſſime indolis Princeps, Sacra Lipſana

ſana veneratus, & ſupplicum vocibus motus, urbi pepercit, præſidioque impoſito, militem in ſtativa dimiſit, ipſe Beneventum cum Prætorianis conceſſit. Radelchius, qui iniquo ſemper animo Ludovicum tulerat, Caroliquе progeniem, quod Longobardos Reges ſuſtuliſſet, vehementer oderat, inſidias in eum, quem opprimere aperta vi non poterat, ſtruere aggreditur. Quocirca amicè ſimplicem hominem conveniens, ei perſuadet, ut quando cuncta pacata jam ſua virtute eſſent, exercitum dimitteret, eoque gravamine ſuam ditionem levaret, ſatisfaceret univerſorum votis, qui patriæ viſendæ ſummo deſiderio tenebantur: deberi id emeritæ juventuti, quæ tanta rerum geſtarum laude plura ſtipendia feciſſet. Ludovicus nihil fraudis ſuſpicatus, magnam exercitus partem dimiſit. Radelchius tum occaſionem perdendi hominis nactus, cum ſatellitibus ſuis in ædes, in quibus Ludovicus meridiabatur, armatus acceſſit: jubetque aperiri fores: ſe convenire Imperatorem velle. Cuſtodes, viſis armatis, vim veriti, negant ſe portam reſeraturos, ni armatos dimittat. Interea Ludovicus excitatus accurrit; cunctique, qui cum eo erant, armati adſunt, vim vi propulſuri. Radelchius videns ſine ſuorum cæde in ædes penetrare haud poſſe; adduci faces præcepit; incendia incluſis minitans, ni ſe confeſtim dedant. Tum Ludovicus, damnata nimia ſui ſimplicitate, quod infido homini fidem adhibuiſſet: præſentique neceſſitate adductus, inducias, ut de pace ageretur expoſcit. Radelchius pacem ſe daturum, eumque liberè dimiſſurum promittit; dummodo ipſe ſe ſacramento obſtringeret, nunquam Beneventum rediturum; neque pro ea injuria vindictam ſumpturum. Quaſi verò fidem exigere jure potuiſſet, quam ipſe hoſpitalitatis lege violata, minimè præſtitiſſet. Sed ira, cupiditateque cæci præſentia mortales animo, non futura, perpendimus. Ludovicus, quando aliter imminens periculum evadere non poſſet, coram Divorum reliquiis, quas, ut ſolemnius ſacramentum eſſet, Radelchius intulerat, in eas conditiones jusjurandum concepit. Inde Benevento egreſſus Barolam ſe recepit, ibique cum eſſet, bis per ſuos Duces cum Saracenis conflixit: primùm tria millia, novem ſecundum cecidit. Barola poſt IX. menſes Capuam venit. Saraceni ejus adventu, territi, Samnium, Campaniamque reliquerunt, infeſtoque per Lucanos agmine, in Brutios contenderunt, cunctiſque in itinere vaſtatis, naves in Africam redituri conſcenderunt, verum ingenti turbine oppreſſi penè omnes fluctibus hauſti, ſcelerum pœnas luerunt.

Etiam tum Abdalla Rex, & ipſe Saracenorum ingenti claſſe, Salernum venit, urbemque terra, marique præcinxit, ſibi in ſuburbana DD. Fortunati, & Caii æde parari ſtationem: inque ipſo altari impius, atque impurus Princeps thorum inſtrui mandavit, in

eo

eo Chriſtianis ſacris illuſurus raptam vi virginem conſtuprare aggreditur. Cum verò ſacrilegum ſcelus adnititur, trabs è tecto lapſa, quamquam è lecto longè diſtaret, in illius caput delata, illicò virgine intacta, necavit, expertuſque imminere ſacrilegis à tergo ultorem Deum. Non multo poſt Ludovicus cum exercitu ad ferendam obſeſſis opem acceſſit, pugnaque cum barbaris commiſſa, magna eos internecione delevit; qua inſigni victoria ignominiam ad Beneventum acceptam fortiter, ac glorioſè deterſit. Capua deinde Romam profectus, ibi à Pontifice ſacramento, ad quod vi adactus fuerat, abſolutus; Imperii hoſtem Radelchium pronunciavit, in quem nova arma, ut funditus deleretur, parare ſuos jubet. Radelchius cum fraudem minimè è ſententia ceſſiſſe videret; nec tantas ſibi vires eſſe, ut repellere hoſtem ſperaret, anno DCCCLXXIII. in Corſicam fugit. Quo anno, Adriano Pontifice, è vivis ſublato, Joannes VIII. ad regendam Eccleſiam ſuffectus. Dum autem Ludovici copiæ in Beneventanos cogerentur, hi Gauderium Radelgarii filium Principem ſalutaverunt. Quo audito, ſtatim Radelchius è Corſica reverſus, ut Principatum reciperet. Verum quia magno apud omnes odio flagrabat, memorabili exemplo ab ipſis nepotibus, atque amicis ſublatus eſt. Eo ex puncto, quaſi omnis belli, ac vindictæ extincta meteries eſſet, Galli ab armis diſceſſere: neq; amplius moleſtiam Beneventanis intulerunt. Cæterum Ludovicus poſtquam Occidentalis Imperii majeſtatem erexiſſet, Saracenis ex Italia pulſis, eiſque, qui illis adhæſerant, pro merito mulctatis; Eccleſiamque ab utriſque vindicaſſet; dum ad majora accingitur, fato præventus ſupremum diem glorioſus obivit Mediolani anno DCCCLXXV. Quo mortuo, Gallorum diſcordiis res Imperii labi iterum cœpere, quo tandem ab ipſis ad Germanos ille honos devenit. Carolus Fratris morte audita, ſtatim Imperium invaſit, Romamque magnis itineribus contendit: ibique ſub porticu D. Petri ſibi Auguſtalia tradere Pont: coram Senatu, Populoque Romano coëgit: cui ſequenti anno conventu Papiæ habito, omnium Italorum ſuffragio ritè delatum Imperium ſancitum. Interea Gauderius Beneventanus poſtquam duos annos, & ſex menſes regnaſſet, fato perfunctus; conſobrinumque ſuum Radelchis II. filium hæredem inſtituit. Hic Radelchius III. nuncupatus XXIV. Dux fuit, X. verò, qui Principis appellatione uſus eſt.

Anno DCCCLXVI. antequam hæc agerentur, Rodoaldus Aquinatium Præfectus, Caſtaldeum Longobardi vocabant, validam arcem, ubi olim Fregellæ, vetuſtiſſima Romanorum colonia, contra Saracenorum incurſiones excitavit: eamque ad Corvi Pontem nuncupavit. Hunc Ugonis filium ex Anicia familia fuiſſe tradunt, ex qua nobiliſſima familia Auſtriacos, Francoſque Reges

ortum

ortum duxiſſe, neſcio quibus argumentis plurimi ſcripſerunt. Ex hoc inclyto genere, ex quo Petrileones, & Francipanes fluxerunt, tres Fratres anno DCCCXXXIII., ut Joannes Abbas Claravallenſis author eſt, ob civiles diſcordias, quibus tum Roma laborabat, urbe excedere coacti, quorum Angelus Michael Venetias commigravit, ibique Michicilianæ familiæ exordia fecit: ex qua Dominicus, & Vitalis Venetorum Duces prodierunt. Nicolaus ſecundus natu Segnanorum Comitum auctor fuit, ex quibus aliqui in Italiam reverſi Ceccanorum, Anagninorumque Comitum domos fundarunt, ex his Innocentius III. Gregorius IX., & Alexander IV. Summi Pont: orti. Tertius Hugo extitit, qui Venetiis, quò cum fratre proceſſerat, novum in Latium ſe tranſtulit, ibique Aquinum adeptus, Aquinatium Comitum parens eſt habitus.

Sed ut ad inſtitutum revertar, Saraceni, qui Tarentino in angulo ſe diu continuerant, Italorum Principum diſcordiis, attritiſq; amborum Cæſarum viribus, animoſiores facti, noviſque copiis ex Africa, Siciliaque accitis iterum deprædari Italiam adorti; Bariumq; quod jam Apuli inſtauraverant, iterum tentarunt, navibuſque Siculo freto tranſmiſſo, ſpeque prædarum Salernitanis, Amalphitanis, Cajetanis, & Sergio Neapolitanorum Duce corruptis, Tyrrhena litora populabantur: iterumque graves urbi evaſerunt. Joan: VIII. Pont: Max:, qui Adriano ſucceſſerat, afflictis Italiæ rebus, quæ quotidiè in pejus ruebant, conſulere ſtudens, ne ſerum remedium eſſet, Legatos in Galliam miſit, ut auxilium à Carolo poſtularent. Carolus, legatione accepta, Lambertum, & Guidonem fortiſſimos Duces, cum delecta militum manu ad Pontificem proficiſci jubet. Quibus Joannes ſtipatus Neapolim, ac Salernum venit: & à Gualferio Principe, & Sergio Duce petivit, ut ictum cum barbaris fœdus diſſolverent, bellumque in eos indicerent, quod ipſe ſociatis Chriſtianorum viribus gerere meditabatur, ut tandem omne Saracenorum nomen in Italia deleretur: à Principe quod æquiſſimum poſtulabat, facilè obtinuit. At Sergius, qui jam à pietate deſciverat, vario prætextu recuſavit, addens, haud tutum ſe cenſere, eos, quibus futuri pares viribus non erant, iterum irritandos eſſe. Pontifex cum nullis eum admonitionibus dimovere à ſententia potuiſſet, ſacro fulmine ambuſtum à piorum ſocietate diſiunxit. Athanaſius inſanientis Sergii miſeratione tactus, Romam profectus, ſumma vi Pontificem nepoti conciliare adniſus eſt. Ejus authoritas tantum apud Joannem valuit, ut ſe Duci, urbique veniam daturum ſpoponderit, ſi tam æquis juſſis paruiſſent: ſe ipſius virtutem magni facere, ut qui multa pro juſtitia fortiter ſuſtinuiſſet, & confidere, ut ejus precibus bonam Deus mentem Nepoti daret: iret interea Neapolim, animoſque civium ad obedientiam, ad tuendam

fidem, quod ſemper præſtiterant, hortaretur, atque incitaret. Dum verò Athanaſius Neapolim redit, ad Sanctum Quiricum febri correptus, & poſtquam ſumma religione ſacra feciſſet, victor in Cœlum conceſſit, Divumque in numerum relatus. Caſſinates Cœnobitæ, in quorum finibus deceſſerat, Sancti Præſulis corpus ſolemni Caſſinum pompa deduxerunt, ibique V. annos manſit. Tanti Viri ſanctimoniam innumeris Deus prodigiis comprobavit; nam & oculis orbati lumen, & claudi greſſum receperunt, plurimique vario morborum genere præpediti, ſanitati illico reſtituti, quæ in illius vita leguntur.

D. Athanaſio ad Superos translato, anno DCCCLXXII. Athanaſius II. Gregorii Neapolitanorum Ducis filius, & à D. Athanaſio patruo educatus Præſul creatus. Quo tempore tanta Locuſtarum vis univerſam Campaniam invaſit; ut non ſegetes tantum, ſed olera cuncta, cunctaſque Arbores conſumerent. Neapolitani, finitimæ gentes, veriti ne fame oppreſſi interirent, ad Antiſtitem ſacrorum ea de re conſultum ivere. Hic ut malo remedium afferret, eos hortatur, ut ſtipe pauperibus erogata, & caſtigato jejuniis corpore malum deprecarentur. Utque uno die ædem D. Juliano extruerent, inque ea ſacra fierent edicit, quod ut incredibili alacritate, ac celeritate factum fuit, illicò diſſipata, atque extincta Locuſtarum multitudo eſt.

Porrò Neapolitani, quorum major pars ſanæ mentis erat, & his malis, & Pontificis indignatione perculſi, impiique Ducis ſcelera, ac intolerandam conjugis ſuperbiam ferre diutius non valentes, uſi Athanaſii fratris opera, Sergium ejiciunt: ipſumque Athanaſium Ducem eligunt. Qui ſtatim magiſtratum arripuit, & ſibi potius, quam fratri conſulens, ne ab eo turbæ excitarentur, Græco more obcœcavit, Romamque ad Pontificem miſit: ſe vindicem à Deo conſtitutum jactitans. Verùm ſibi ſua cupido Deus erat. Hoc Athanaſii factum, etſi immane prima ſpecie videri poterit, & à patria charitate alienum; tamen ſi quis in eo judicis perſonam, non fratris ſpectet, eum vacaſſe culpa aſſerere non dubitabit. Imo Joanni Pont: dignus laude viſus, qui epiſtola ad eum data, mirificè commendavit: imo & gratias egit, quod juxta Domini præceptum, oculum, quo non ſolum privata, ſed publica etiam damna creabantur, eruiſſet, & membrum, cujus vitio totius Eccleſiæ corpori lues inferebatur, nullo habito perſonæ reſpectu fortiter abſcidiſſet. Scire omnes Moſen eos Levitas, qui à cæde impiorum fratrum, natorumque revertebantur, ſummopere laudaſſe. Ego crudam in Athanaſio indolem, cupidumque imperandi animum fuiſſe, facilè inducor, ut credam: quod inde certiſſimus rerum æſtimator eventus apertiſſimè demonſtravit. Ad Sergium ejiciendum Landulphus Ca-

pua-

puanus Præſul plurimum Athanaſium adjuvit, illi enim Pontifex mandaverat; ut omni ope, atque opera Athanaſio præſto eſſet. Ad Neapolitanos pariter Joannes Pont: ſcripſit: eoſque pluribus verbis commendavit, quod in re tam utili, ac juſta ſuam operam exhibuiſſent, plurimumque hortatus, ut quem Paſtorem ſibi, Ducemque delegerant, omni amore, ſtudioque proſequerentur.

At non diu Athanaſius pietatis fuco obtectam continere indolem quivit. Etenim facile ſe vitium prodit, ubi modum exceſſit. Quidam ex jis Saracenis, qui clade ad Capuam à Ludovico acceptam, illam deſerere coacti fuerant, ad Veſuvium inſederant, continuaque excurſione vicinos agros vaſtabant. Sergius cum eos expellere potuiſſet, conſiſtere eo loco paſſus eſt; nimirum ut illis ad bellum uteretur. Athanaſius avaritia captus, quod maximum in Sacerdotibus vitium, fœdus cum jiſdem ferit: miſſiſque ad eos nunciis, qui Siciliam tenebant, Sichamus Dux accerſitus. Qui nihil moratus, in Campaniam cum novis copiis venit, ac Saracenis præfectus eſt. Quo facto avarus homo majus eo, quo ardere interdum Veſuvius conſuevit, incendium conflavit: oſtenditque ſe non amore juſtitiæ fratri oculos eruiſſe; ſed ut, æmulo ſublato, tutius regnaret. Ex Præſule, ac Principe tyrannus patriæ factus, univerſas, quas à Pontifice laudes retulerat, in probra, ignominiamque convertit. Etenim Joannes animadvertens, in fertiliſſimo, munitoque loco poſita Saracenorum ſede, ac Ducis Neapolitani amicitia firmata, ſecuras eſſe non poſſe Campaniæ urbes: imo nec Samnium ipſum, nec Romam tutam à barbaris fore: qui fœdere cum Amalphitanis, ac Salernitanis facto, nullo obſiſtente, univerſa Italiæ litora depopulari poterant: idcirco ad Athanaſium ſcripſit, ut icto fœderi renunciet, arma capiat, idemque ad Salernitanos, Amalphitanos, Cajetanoſque ſe jam ſignificaſſe: ut nimirum ſociatis viribus eos ejicerent. Nec dubitare ſe quin conjunctis viribus barbaros eſſent profligaturi. Non longe poſita exempla eſſe: quando Cæſarii ductu illos penitus debellaverint, ingentique ipſorum gloria, Eccleſiæque utilitate triumphaverint. Noſtra diſcordia, deſidiaque Saracenos terribiles: idque optimè barbaros intelligere: nobiſque prudentiores in eo ſe oſtendere: quod cum omnium ſuſtinere arma non poſſent, ſingulorum amicitias auro compararent: nempe ut hoſtibus victis, arma in amicos convertant: aurum cum fœnore repetituri. Præterea meminiſſe eum velle, qualem perſonam gereret: & quam abſurdum eſſet Ducem, Paſtoremque populi, non hujus felicitatem, ſalutemque quærere, ſed ærumnas illi, calamitateſque accerſere: privatamque utilitatem publico bono præponere: ſerio perpenderet, eorum ſe Deo rationem redditurum, quæ in Eccleſiam, in commiſſum ſibi gregem, atque in ſemetipſum peccaſſet.

Athanaſius literis acceptis, non tam ratione perſuaſus, quam Pontificis timore perculſus, Romam Legatum mittit, qui Pontifici ſpondeat ſe imperata facturum: quæ ut commodè exequeretur, triginta dierum ſpatium poſtularet, nimirum, ut intra eos dies urbe munita, copiis conſcriptis, tuto renunciare fœderi, & bellum, quod illicò futurum erat, gerere poſſet.

Interea oſtentandæ pietatis gratia, qua vulgi favorem aucupari ſperabat; D. Athanaſii prædeceſſoris ſui corpus Caſſino Neapolim ſolemni pompa tranſportavit. In itinere tanta, & ubique miracula edita ſunt; ut oſtendere illis Deus videretur eum inter Superos præcipuum locum occupare. Populorum concurſus eam ſolemnitatem cohoneſtantium tam ingens fuit, ut non emortualis, ſed triumphalis pompa videretur. Neapoli in Principem Eccleſiam illatum: magnificoque in tumulo, juxta D. Laurentii Præſulis monumentum collocatum. Hujus autem translationis memoria, quæ in Id: Aprilis incidit, annua feſtivitate celebratur.

Joannes cùm non ſatis Athanaſio fideret: optimeque ſciret non niſi auro cupidos animos expleri, ingentem ſecum pecuniæ vim ferens, Neapolim ſe contulit: ut quem non ratione, non timore flexiſſet, ea tandem ad æquum impelleret. Urbem ingreſſus, eodem Athanaſio, qui ei occurrerat, deducente, magnificè à populo exceptus eſt. Sequenti die accerſitum ad ſe Athanaſium his verbis alloquitur. Tempus tandem eſt, o Athanaſie, ut te tibi reddas, atque ad frugem reducas, ut mundanis divitiis, quæ fluxæ ſunt, & caducæ, quas velis, nolis, brevi relicturus es, æternas, atque immortales anteponas, ut nobiliſſimam tui partem animam, quæ perpetuum victura eſt, pluris, quam mortale corpus facias: & illi, non huic fœlicitatem conquiras. Non vides quam turpe, quam indecorum ſit Præſulem, ac Ducem floren tiſſimæ hujus urbis, cui ego, cui Romana Eccleſia ſemper favit, ejuſdem ſe hoſtem profiteri: cumque iis barbaris commercia habere; qui omnium perditiſſimi, atque inſenſiſſimi nihil, niſi Romani Imperii, Chriſtianæque Religionis ruinam perpetuò meditantur, univerſumque Orbem ſpe devorant? Perpende animo quam execrabile ſit, eum ſanguine delectari, qui Servatoris munus ſuſcepit. Non tu, qui Sergii Ducis, hominis ſceleratiſſimi vindex vocari cupiebas? qui illius ſcelera deteſtatus, tanta fortitudine depoſuiſti? quanto nunc dedecori futurum putas illius exempla ſectari, ac veſtigiis inſiſtere? Quod tanto in te deterius, quod non Ducis tantum, ſed Antiſtitis etiam partes geras. Ab illis potius Neapolitanorum Ducibus exempla ſume, quos auxiliatores Romana Eccleſia ſemper habuit. Sume à Patruo Athanaſio, cujus ſanctitatem apertiſſimis ſignis Deus manifeſtavit: & quem tu nuper tanta pompa in hanc urbem deportaſti. Ne committas, ut quan-

tum ille huic urbi, tuæ familiæ, univerſæque Eccleſiæ gloriam; tantum tu dedecus adjungas.

Hæc Pontifex: quibus Athanaſius permotus, ſe Pontificis authoritati ſubjicit, culpam fatetur, veniam precatur: & quod ille juſtum poſtulaverat, ſe confeſtim facturum pollicetur, nec alios ſe amicos habiturum, niſi quos ipſe habuiſſet, inque hoſtes Eccleſiæ acerrimè decertaturum. Joannes lætus, quod obſtinatum Athanaſii animum fregiſſet, eum benignè complexus, ſubſidiaque ad bellum ſuppeditavit: ratuſque illius exemplo Amalphitanos etiam, viciroſque populos ad obſequia redituros, non ulterius progrediendum, ſed Romam ſe referendum cenſuit. Verùm Athanaſius ſimul, ac Joannes Neapoli diſceſſit, oblitus eorum, quæ promiſerat, ad priſtinum ſe ingenium convertit. Adeo difficile ad ſanam mentem redire; ubi quis in vitiis callum obduxit, quæque pœnæ timore promittimus, eo excuſſo, ſtatim negamus. Quo Pontifex comperto, Senatum coëgit: ad quem cum de Athanaſii perfidia retuliſſet, ex Patrum ſuffragio illum perduellionis damnavit: èque fidelium cętu ſejunxit. Tum tandem Athanaſius altè indormientium more, qui non niſi tonante Cœlo excitantur, hujus ſententiæ fulmine experrectus, in ſe rediit, reputanſque animo quantæ ſibi deinde calamitates, quanta apud poſteros ignominia futura eſſet: verituſque ne populares, qui erga Romanum Pontificem, atque Eccleſiam egregiam ſemper operam navarant; ingenitaque in religionem pietate ferebantur, ſe in ordinem redacto, ſi mitius agere voluiſſent, quod vix à multitudine ſperandum, alium ſubrogarent. Id verò authoritate Pontificis; imo etiam hortatu facile factu erat, ad quod vel ex eo incitari ab æmulis potuiſſent; quod minimè Reipublicæ conduceret, eos in gremio barbaros alere, à quibus toties cęſi majores fuerant, & quorum ipſi quotidiè immanitatem experiebantur. Id circo Petrum Diaconum Romam delegat; ut illius prece veniam impetraret, ſe in Pontificis poteſtate fore, imperata facturum; ſciſſoque fędere Saracenos bello appetiturum. Joannes, cujus animus ad miſericordiam proclivis, veniam exoratus dedit. Marinum Arcuarium Neapolim mittit, qui Athanaſium ad fidelium communionem admitteret, dummodo primum Saracenos, quos apud ſe habebat, Romam una cum captivis mitteret, reliquos ipſe bello perſequeretur. Quod ille ſtatim præſtitit, contractamque maculam Saracenorum ſanguine diluit.

Anno DCCCLXXVII. nova turbarum ſeges pullulavit. Capuani, qui nec ipſi domi pacatiores erant, Landulpho Præſule expulſo, Landenulphum nobilem civem, magnæque apud eos authoritatis, etſi adhuc Neophytus, & uxorem haberet, Antiſtitem eligunt; Romam mittunt, ac Pontificem vehementer orant, ut illum

facro

ſacro ritu inungat. Joannes Bertharii Caſſinatium Abbatis, & Leonis Sidicinorum Epiſcopi admonitu, primum negavit, mox victus nobilium Capuanorum precibus, poſtulato ſatisfecit. Id ubi adverſæ factionis homines compertum habuerunt, ingentem in urbe ſeditionem moverunt. Qua ſtatim data Saracenis occaſio, ut univerſam fermè Campaniam pervaſtarent. Pontifex, ut tumultum ſedaret, Landulphum veteris Capuæ Antiſtitem eſſe juſſit, Landenulphum novæ tantum juriſdictionem habere, reditusque ejus Eccleſiæ æqua ſorte in illos diviſit.

Saraceni eodem anno, uſi opportunitate, Æſerniam, & Sveſſam Auruncam vi ceperunt, inde Bojani arcem incenderunt: omnemque circum regionem rapinis, atque incendiis pervaſtarunt. At Gualferius poſtquam Salerni Principatum XVII. annos tenuiſſet, adfecta jam ætate ſibi, & ſuis gravis, ſatiuſque regnandi, ad Caſſinates Cœnobitas ſe recepit. Cum autem tuto Caſſinum ob frequentes Saracenorum incurſiones petere non poſſet, Theanum adivit, inque ejus urbis Monaſterio, Caſſinatium numero aſcriptus, ultimum diem obivit. Conſuetum jis, qui poſtquam liberè, ac voluptuosè in Principatu vixerunt, piè ſe morituros putant, ſi religioſæ familiæ veſtimento induti è terris decedant, ut ea teſſera facilè in Cœlum admittantur. Guaimarius filius hæreditatis jure ſuffectus, cujus in Caſſinates Monachos liberalis munificentia plurimum in antiquis Cavenſis Monaſterii tabulis commendatur.

Id temporis Pandenulphus, qui Capuæ Principatum obtinebat, Pontificis amicitia fretus, ab eo petiit, ut liceret ſibi Cajetam ſuæ ditioni adjungere; ac circumpoſitos populos ſubjicere. Pontifex facilè annuit. Pandenulphus facultate obtenta, illicò bellum in Cajetanos movit. Quæ verò Pontificis jura in Cajetanos eſſent, mihi incompertum. Nec eorum auctores temporum ſatis iſta memoriæ prodiderunt. Cajetanorum Rempublicam tum Docibilis adminiſtrabat: qui ut patriæ libertatem tueretur, atque adverſarii viribus par eſſet, eos Saracenos, qui Pæſtano in ſinu Acropolim tenebant, contra Capuanum accerſivit. Hi navibus per Fundanum lacum ingreſſi, fluvioque inde vecti Fundos venerunt, egreſſique navibus cuncta igni, ferroque perdiderunt: ingenti deinde præda onuſti in Forminanos colles proceſſerunt; ibiq: caſtra fixerunt. Pontifex tum tandem intelligens quantum nimia facilitate peccaſſet; quantamque illi perniciem allaturi utrique Campaniæ eſſent, omnes conatus adhibuit, ut Docibilem, & Cajetanos ab illorum amicitia revocaret. Imo & ut arma in eos compararent, vehementer perſuaſit. Docibilis & ipſe ſerò advertens quam malos ſibi vicinos aſciviſſet, armata juventute, urbe egreditur, Saracenoſque invadit: & multa ſuorum cæde victus, pacem iterum à barbaris petiit,

eiſque

eiſque ad Lirim arcem excitavit: atque ad incolendum conceſſit. Quo illi aſylo uſi diu Campaniam, ac Romanum agrum depopulati.

Interea Beneventi Radelchius anno DCCCLXXIX. exeunte, è vivis exceſſit: cumque Principatum Ajo occupavit. Quis autem hic fuerit, & hæreditatiſne titulo, an populi ſuffragio ad eum honorem pervenerit, nihil apud Scriptores invenio. Ex quo haud temerè affirmaverim Beneventanum Ducatum principio Provinciam conſtitutam, inde diviſa à Longobardis Italia liberam dominationem, ac veluti Rempublicam evaſiſſe, & modo ſub Italorum Regum, modo ſub Occidentalium Imperatorum tutela extitiſſe, interdum ab nullius arbitrio dependiſſe; nimirum cum Beneventanorum Principum ea potentia, ac vires erant, ut nullius patrocinio indigerent. Occidentalis autem Imperii in hunc ſe modum res habebant. Carolo Calvo extincto, Ludovicus Balbus ejus filius Italiæ regnum obtinuit. At Carolomannus Ludovici Germanici filius, & Ludovici Cæſaris nepos Imperium occupavit: inque conventu Trojæ habito Auguſtalia inſignia ab eodem Pontifice accepit. Qui è Gallia Ciſalpina Romam reverſus, cum accepiſſet, Saracenos cuncta à Liri amne ad Terracinam uſque loca occupaſſe, de urbe ſolicitus ad Balbum ſcripſit; ut in Italiam ad ferenda auxilia feſtinaret, ipſe obviam barbaris progreſſus XVIII. eorum naves cepit, & DC. captivos liberavit. Verum cum longe auxilia eſſent, & Italia Procerum coitionibus, Præſulumque diſſentionibus fœdè laniaretur, coactus tributum barbaris pendere, ne urbem obſiderent. Quo tandem mœrore confectus interiit: locumque Marino dedit, qui cum annum Pontificatum tenuiſſet, Adriano III. ſedem reliquit.

Porrò Athanaſius, cujus inquietum ingenium, & regnandi cupidum, prætextu belli, quod in Saracenos meditabatur, auxilia à Capuanis, & Salernitanis petiit, ipſe clam plurimis ad ſua ſtipendia Saracenorum conductis Capuam intercipere moliebatur. Cum verò Beneventi Dux Ajo forti in Saracenos manu irruens magna illos internecione delevisset, ipſe ab incœpto deſtitit: doctus virtute facilius, quam fraude victorias obtineri: nec proſperos ſuccesſus eas artes habituras, quæ perjurio, perfidiaque exercerentur. Occaſionem præbuerat Athenulphus, qui Capuanam Præfecturam ſuſcipiens Athanaſii auxilio fretus, illius urbis Principatum occupavit, quem ex eo mox geniti CLXXVIII. annos tenuerunt. Atque hinc magnæ inter Capuanos, & Neapolitanos diſcordiæ exortæ ſunt, & Athanaſius ingenti cupidine ardebat Capuæ potiundæ. Athenulphus imparem ſe viribus intelligens, Capuam ſe illi daturum jurisjurandi religione obligavit: filiumque obſidem Athanaſio miſit. Fuiſſe Capuam in Neapolitanorum poteſtate, Herempertus eſt author. At non diu firmum fœdus hoc fuit. Athanaſius ex Græcis mercenariis,

riis, quos apud ſe habebat, ac Saracenis, quibus utebatur, juſto exercitu conflato, in Capuanos movit. Atenulphus cum ſuis, jiſq; Saracenis, quos Ajo miſerat, hoſtem aggreſſus cecidit uno tantum ex ſuis Alderico deſiderato. In ea pugna Saraceni, & quos Ajo in ſuppetias Capuanis ſubmiſerat, & qui cum Neapolitanis erant, ſpectatores certaminis, non actores fuerunt, palam profeſſi ſibi ipſis injuriam, & cędem inferre minimè licere: quod tamen licitum ſibi Chriſtiani ducebant. Verum ab jis, à quibus pietas excidit, facile fides deſideratur. Hac fractus clade Athanaſius pacem petiit, eam Athenulphus, qui ſuſtinere bellum diutius non poterat, ultro conceſſit. At pace diu frui Athanaſio non licuit: nam Saraceni, qui graſſationibus victitabant, in Neapolitanum agrum ingreſſi, univerſa diripuerunt.

Anno DCCCLXXXVI. Baſilio ultimo die perfuncto, Leo filius cognomento Philoſophus, Orientis Imperium, in quod jam à Patre cooptatus fuerat, adeptus eſt. Hic cum cognoviſſet, Ajone ſollicitante, magnam Italiæ partem à Græcis defeciſſe, copiaſque, quas ſub Conſtantino in Apuliam miſerat, ab eodem Beneventano Principe fugatas, tum ira, tum dominandi cupidine accenſus, ingentem iterum exercitum ex Oriente in Italiam contra Ajonem trajicere Sibaritium juſſit, eique Patricii honore inſignito ſummopere injungit, ut Beneventum obſideat, atque omne in illo Longobardorum nomen extinguat. Sibaritius poſtquam proſpero curſu in Apuliam delatus, veteres Græcorum reliquias collegit, commeatuque comparato, Beneventum movit: quæque in itinere erant facilè expugnavit. Beneventum inde aſsecutus, urbem obſedit: atq; omnibus machinis urgere inſtitit, eaque poſt tres menſes potitus. Itaque factum ut Beneventanus Ducatus à Zutone inſtitutus, & quem ad ea uſque tempora, per CCCXVIII. circiter annos varia Longobardi fortuna obtinuerant, à Græcis tandem receptus. Sibaritius Ducis inſignia, & authoritatem ſibi vindicavit, ea omnia, quæ Beneventani Duces præteritis temporibus Caſſinatibus Cœnobitis indulſerant, ipſe iterum conceſſit, qua pietatis oſtentatione vulgi ſibi favorem aucupare viſus eſt. Eorum more Principum, qui ſatis officio factum putant, ſi pietatem affectent, cujus ſola ſpecie capi populos poſſe arbitrantur; ſua oppidò opinione falſi. Nempe ſolida pietas regnorum fundamentum eſt, quæ in umbra, inanique illius ſpecie diu niti non poſſunt. Leo veritus ne Sibaritius eam ditionem uſurparet, Gregorium Patricium Præfectum in Italiam miſit.

Athanaſio magno Neapolitanorum commodo ſublato, Gregorius Sergii II. filius ſuffectus. Præſulatum Stephanus demortui germanus obtinuit: quamquam alii neſcio qua, veterum annalium autho-

tho-

thoritate inducti Sergium Surrentinum Epiſcopum inducunt,eumq; à Neapolitanis evocatum tradiderunt. Porrò Gregorius non patris, non patrui mores, ſed avi virtutem, & gloriam æmulatus, ſimul ac Principatum injit, eò animum, curamque omnem intendit; ut inhærentem tot annos Campaniæ viſceribus Africanam peſtem expelleret; ignominiamque civibus ſuis ab Athanaſio conflatam eo illuſtri facinore elueret. Id ut facilius conſequeretur, Legatos ad Athenulphum Capuæ Comitem, & Amalphitanos miſit, ut eos in ſocietatem aſciſceret: quàm verò neceſſarium, quam utile bellum illud foret, multis oſtendit. Siquidem illud pro ſalute Italiæ, pro antiqua gloria ſuſcipi: & ni fortiter, maturèque gererent, futurum brevi, ut immani, ac fœdiſſimæ genti ſervirent: id quam turpe, ac perniciosum eſſet, animo reputarent; nimirum nobiliſſimos populos, qui terrarum olim imperium obtinuiſſent, abjectiſſimæ genti non ſolum tributa penſitare, ſed & ſervitia exhibere, præclariſſimas urbes, feraciſſimos agros ab illis prædonibus, qui ſolitudines, ac ſqualidos campos habitare conſueverant, vaſtari, ac diripi, noſtris veſtibus indui, qui nudi vitam in deſertis tolerabant, Italorum divitiis eos ſuperbire, quibus ne victum quidem natura ſubminiſtraverat: validiſſimum inde ſtimulum adjecit, quo nobiles animi vehementer accenduntur, recuperaturos apud univerſam Europam eam gloriam, quam prædeceſſores ſuorum Ducum impudentia amiſerant, Romanique Pontificis, cujus illi indignationem promeruerant, ſibi priſtinam gratiam reconciliaturos.

Hac Gregorii Ducis oratione per Legatos habita, adeo moti ſociorum animi, ut omnes communi conſenſu bellum ſuſcipiendum eſſe decreverint. Amalphitani, milite navibus impoſito, Neapolim veniunt, ubi Neapolitanæ claſſi adjuncti, unà ad Liris oſtia proficiſcuntur. Quo Atenulphus ſuas copias, finitimorumque auxilia deduxerat. Nec Cajetani validas eò cohortes mittere tardaverant. Hic luſtrato exercitu caſtra ad Minturnas ponunt. Inde ſtrato è ratibus ponte, copias tranſducunt, inque adverſa ripa caſtra metantur. Barbari, prima vigilia, caſtra improviſo impetu adorti: noſtri ad inexpectatam eam aggreſſionem perterriti terga vertiſſent, ni Gregorius equo ſtatim conſcenſo obviam proceſſiſſet, ſuoſque hortatus, ut animos ſumerent; & quando oblata occaſio eſſet, virtutem oſtenderent, ceſſuros ipſorum fortitudini barbaros, qui apertam vim pertimeſcentes, ad dolos confugerant. Atque hæc dicens magno impetu in Saracenos invehitur: ſecuti illicò qui proxima ſigna tenebant; & tam acriter exemplo Ducis pugnatum; ut Saraceni, pluribus eorum occiſis, in præcipitem ſe fugam conjicerent. Trajectum munitum vicino in colle oppidum petivere, inque illo ſe munivere. Noſtri reliquas Saracenorum copias, quæ trans Lirim

 erant,

erant, pluribus præliis deleverunt. Inde ad obſidendam arcem converſi; at cum ſitu validam, atque operibus munitam, plurimamque in ea annonam congeſtam eſſe animadverterent: novas item in dies copias ex Africa expectari, differendam oppugnationem cenſuerunt, Legatoſque in Orientem miſerunt, qui auxilia à Cæſare poſtularent; nam rebus in Occidente perturbatis, nihil ſperari ab hac parte poterat. Quæ ut facilius impetrarent, Landulphum Athenulphi Comitis filium legationis Principem conſtituerunt.

Sed jam uſque ab anno DCCCLXXX. Ludovico Balbo extincto, Carolus Craſſus, qui jam ab adverſa factione ſalutatus Imperator fuerat, Imperium adeptus Romæ ab eodem Joanne Pont. Coronam acceperat, brevique fratribus, ac conſobrinis fato perfunctis, ipſe mira felicitate Occidentali Imperio iterum Italiam, Galliam, Germaniam, & veterem Auſtraſiam adjunxerat. At non conſtans fortuna fuit: ſiquidem nova Normannorum invaſione oppreſſus, & mox mente pene dejectus, anno octingenteſimo octogeſimo octavo ab omnibus deſertus eſt. Cum vero ejus nepos Carolus Simplex minime idoneus regendo Imperio haberetur, à Gallis ad Italos Imperii Majeſtas tranſlata.

Porrò Amalphitani cùm minimè expedire publicis rebus animadverterent, ut ſingulis annis Præfecti conſtituerentur, Ducem perpetuum, annali abrogato, anno DCCCLXXXII. creverunt. Primus, qui eum magiſtratum geſſit, Mantius Fuſolus fuit: vir tantæ prudentiæ, atque integritatis, ut exemplum ſecutis inde Ducibus eſſe potuiſſet; vitæ verò innocentia mirificè præluxit, eamque ſub vitæ finem ſanctiori inſtituto cumulavit. Etenim poſtquam XVI. annos Rempublicam æquiſſimis legibus adminiſtraſſet, cœleſtium rerum deſiderio, ſe magiſtratu abdicavit, & D. Benedicti humilitatem imitatus, in eo cœnobio, quod propè Salernum ipſe ædificaverat, ſe Deo mancipavit. Patri Maſculus filius ſuffectus, quem Cæſar Patricia dignitate cohoneſtavit: eumque Amalphitani patris merito ad eam dignitatem evexerunt, quam XL. annos obtinuit. Secuti mox alii uſque ad Alphonſum Aragonium, ſub quo deſiverunt. Verum anno DCCCLXXXV. Guido Dux exercitu in Beneventanam ditionem inducto, Gregorium, & Græcos ea ditione, acie victos, ejecit, & Radelchim Principem conſtituit: ſatis ſe habere ratus, ſi aſſerti Principatus gloriam retinuiſſet: rarum moderationis exemplum, quod laudabunt quidem plurimi, imitabuntur verò quam pauci. At quis hic Guido, & qua ratione ea ſe expeditio habuerit: quis & ille Radelchis extiterit, non ſatis exploratum eſt. At non diu Radelchi retinere licuit, quod ſua virtute minime acceperat. Nam non multo poſt ab Athenulpho Capuæ Co-

mite

mite ſuperatus; aliò commigrare compulſus. Athenulphus Capuæ, & Beneventi Princeps ſalutatus. Fato perfunctum apud alios Radelchim invenio: ejuſque obitu in varias factiones Beneventanos diſtractos: atque hinc deditam Capuano Comiti occaſionem illius ditionis potiundæ, cujus acceſſione in altius faſtigium Capuanus Principatus evectus, & ad Longobardos iterum Principes pervenit.

Dum hæc in Campania ſecundo Capuanorum ſucceſſu adminiſtrabantur, adeo turbatæ Occidentalis Imperii res fuere, ut jam caſuræ viderentur: Etenim Galliæ, Germaniæque regno in plures Principatus diviſo, & Regibus inter ſe diffidentibus, invalidæ illorum vires evaſerant. Itali, quibus indignum videbatur exteris gentibus ſervire, datam ſibi occaſionem rati, qua excutere jugum commodè poſſent, ita inter eos convenerunt; ut Berengarius Forojulienſis Dux Regnum, atque Imperium acciperet: Guido Spoleti Dux ſibi armis Galliam vindicaret. Verum cum bellum non è ſententia ceſſiſſet, hic imprudenti conſilio, in Italiam reverſus illius regnum affectavit, & ab iis, qui ſuæ factionis erant, obtinuit. Regno potitus, in Berengarium movit. cumque ad Placentiam, & Brixiam gemina clade cecidit, Berengarius fuga elapſus ultra Alpes ſe recepit. Guido, æmulo ſublato, Romam venit, & anno DCCCXCII. Auguſtalia à Formoſo Pont: accepit, & Lambertum filium collegam aſſumpſit.

Quo facto, Formoſus Berengarii, & Arnulphi Germaniæ Regis, qui & ipſe Imperium prenſabat, abs ſe animos avertit. Qui ut præſentibus Eccleſiæ malis,ex tot Principum, populorumq; diſſidiis ortis, remedium aliquod afferret, conventum indixit. Lambertum ſacro oleo inunxit, ac Cæſarem una cum Patre ſalutavit. Anno verò DCCCXCVI. cùm Arnulphus prætextu opis Berengario ferendæ, ipſoque Pont: invitante, ut ſibi illatas injurias ulciſceretur; in Italiam veniſſet, ac Romam cepiſſet, eum Formoſus Cæſarem dixit, ac more majorum coronavit, atque iſto modo tres hic annus Cæſares vidit. At Pontifex tot calamitatibus penè oppreſſus XIX. Kal: Jan: fato functus eſt. Eo extincto, ſedem Bonifacius invaſit; ex qua poſt XV.non amplius dies à Stephano VII.expulſus eſt. Qui & ipſe ab Adalberto, Roma occupata, in ſedem intruſus: mox verò ne novi ſchiſmatis occaſio daretur, tamquam legitimus toleratus. Non multo poſt Arnulpho, & Guidone extinctis, Berengagarius quietum Imperium obtinuit, Ludovicum Provinciæ Regem, qui grandi exercitu in Italiam deſcenderat, vicit, atque ultra montes ſubmovit. Etiam tum Stephano VII. ſublato, Romanus IV. menſes Pontificatum occupavit: eoque extincto, Theodorus II. viginti non amplius dies regnavit, in cujus locum Joannes IX. anno DCDI. Pontifex renunciatus. Interea Ludovicus ab

Italis accerſitus iterum in Italiam cum exercitu venit: & Romæ eodem anno Auguſtalia inſignia obtinuit, quibus tum Berengarius, poſtquam XIII. annos mira fortitudine regnaſſet rurſus ſpoliatus. Verum inquieta ſeditioſorum indoles non diù Ludovicum ſuſtinuit, rurſumque Berengario recuperandæ Majeſtatis occaſio eſt oblata. Etenim Alberti Etruriæ Marchionis opera noctu Veronam introductus, Ludovicum circumvenit, oculiſque illi erutis, facili negotio Italiæ Regnum, Imperiumque recepit. At Joannes Lambertum, qui jam Cæſar ab anno DCCCXCIII. dictus fuerat, Romam evocavit: hic in conventu Patrum controverſia diſcuſſa, & Lamberto lis adjudicata: Pontifex Ravennam, ſtatim ſe contulit, ibique alterum conventum habuit: in quem LXXIV. Præſules convenere: in eo, Berengario iterum ejecto, Lambertus tamquam legitimus Imperator ſalutatus, ſequenti anno DCDV. Joanne è vivis ſublato, Benedictus IV., vir probus, ac Pauperum Pater ſuffectus: verum non diù tanto Pontifice frui Roma meruit, eo vero demortuo, Leo V. in Pontificem cooptatus: qui ea dignitate XI. non amplius dies potitus eſt: nam à Chriſtophoro per vim intruſo in carcerem conjectus: qui & ipſe ſeptem poſt menſes à Sergio III. à Petri ſede deturbatus, & in Cœnobium incluſus, ſui ſceleris pœnas tulit. Cæterum Sergius vir nequam, & omnium turbarum, quæ tum Eccleſiam agitaverant, machinator, cum Formoſo contenderat, ejuſque oſſa Presbyter effoderat, atque ob id ſacro fulmine ambuſtus, nunc ope Adelberti Thuſciæ Tetrarchæ Sedi, quam male ambiverat reſtitutus.

Per idem tempus Saraceni ſub Abramo, quem Africæ Regem ſalutaverant, ingenti claſſe in Siciliam navigarunt, ut Siculos, qui ſibi armis libertatem aſſerere meditabantur, iterum opprimerent. Inde è Sicilia in Calabriam trajecerunt, totamque eam Provinciam cædibus, ac rapinis impleverunt, caſtris deinde Conſentiæ admotis, urbem obſidere adoriuntur. Conſentini fortiter ſe barbaris oppoſuerunt, certi vitam prius, quam patriam, libertatemque amittere. Dum autem Rex Saracenorum in ædem D. Pancratii irrumpere conatur, celeſti igne ambuſtus interiit. Africani, Regis cæde perterriti, veritique ne iiſdem ipſi armis peterentur, omiſſa obſidione, in litus redeunt, naveſque conſcendunt: ingenti mox turbine oppreſſi magna parte perierunt. Neapolitani præteritis caſibus edocti: cernenteſque Saracenos, reciſis licet capitibus inſtar hydræ, ut eſt in fabulis, novis, ac novis tum ex Africa, tum ex Hiſpania copiis advectis continuo repullulare, Lucullanum caſtrum, ne illi improviſo occuparent, evertere, incolis in urbem receptis, decreverunt. Tum Caſſinates Monachi à Gregorio Duce, & Stephano Præſule, qui Athanaſio ſucceſſerat, D. Severini corpus petierunt: facileque impetrarunt. Solemni ſupplicatione in urbem introductum

in

in ædem eidem D. dedicatam Chriſtiano ritu collocatum eſt. Id vero Superis acceptum fuiſſe, pluribus ſignis oſtenſum. Præcipuum autem illud fuit, quod per eos dies ingens Barbarorum claſſis, quæ ex Africa ſolverat, in noſtra hæc litora navigatura, mortuo repente Duce, re infecta, in Africam redierit. Etiam num D. Soſii corpus Miſenate in agro repertum in eandem Eccleſiam translatum, & cum eodem D. Severino ſub ara maxima collocatum, Scriptores quidam tradiderunt.

Verum ut ad ſuſceptam à Landulpho legationem revertamur, Conſtantinus Porphyrogenitus, qui Leoni Patri ſucceſſerat, & Romanum patruum collegam aſſumpſerat, cognito à Landulpho Saracenorum ſtatu, ad Orientalis Imperii majeſtatem pertinere duxit, ſi eos barbaros ex Italia expelleret, Campaniæque urbes Græcarum partium ſtudioſæ in fide permanerent. Nicolaum Patricium, cognomento Piciglum, cum valida in Italiam claſſe mittit, ut ex ea Saracenos expelleret. Hic Apuliæ, Calabriæque litore perluſtrato, Neapolim venit: ut vero honoris ſpecie, qua plurimum trahi mortales conſueverunt, Gregorium Ducem Neapolitanum, & Joannem Cajetanum ſibi, & imperio conciliaret, eos Cæſaris nomine, Patricios appellavit, eoſque ad bellum in barbaros, quod fortiter cęperant, incitavit. Neapolitani, Cajetanique cum omnibus copiis præſto fuerunt, adjunctis deinde Atenulphi Capuani, & Guaimarii Salernitani ſubſidiis; Brutiorum, Apulorumque validis cohortibus caſtra ad Lirim fęderati moverunt. In expeditione Athenulphus diem obivit: Capuæque Principe in Eccleſia ſepultus. Cui poſtquam Landulphus filius juſta ſolemni pompa perſolviſſet, fęderatos ad Lirim eſt ſecutus. Barbari Fœderatorum adventu perterriti, ſe intra munimenta tenuerunt. Noſtri caſtris in conſpectu poſitis arcem obſederunt, præcluſoque omni commeatibus invehendis aditu, crebris aggreſſionibus fatigabant. Joannes X., qui tum poſt Anaſtaſium, & Landonem Eccleſiæ præerat, cùm barbaros obſeſſos comperiſſet, reputanſque animo quam utile Eccleſiæ, Romanæque urbi futurum, ſi barbari, qui tot annos maximo Chriſtianorum damno Italiæ inſederant, tandem expellerentur, fratrem ſuum Albericum Thuſciæ Tetrarcham cum valida ad Lirim manu ire imperat: omnique ope eniti, ut barbari eo aſylo exturbarentur. Hic Roma progreſſus in Campaniam pervenit, inque adverſa ripa caſtra communivit; ne quà barbaris effugium patuiſſet, Saraceni cùm diu obſidionem toleraſſent, noſtroſque è vallo ſæpius ſubmoviſſent, tandem re frumentaria deſtituti, erumpendi conſilium ſuſceperunt. Arcem, quæque habebant, incendunt: impetuque facto, ex arce dilapſi in vicinas ſylvas fugam arripuerunt. Fœderati, hoſtium eruptione comperta, illicò inſecuti, magna occidione de-

leve-

ſeverunt. Itaque factum ut immanes barbari, qui noſtrorum diſcordia Campaniam, ac vicinas Provincias, tot oppidis incenſis, ac dirutis, ſede vaſtaverant; ad extremum concordia, qua ſola ingentia bella conficiuntur, expulſi penitus, ac profligati fuerint. Exigua tamen eorum manus, quæ celeriori fuga dilapſa, in Gargani ſe angulo occuluit, qui locus etiam nunc Saracenus mons dicitur. Hi vectigales facti, tandem proceſſu temporis omninò extincti. Quidam antiqui Scriptores non obſeſſos barbaros, ſed acie decertatum tradiderunt: eoſque, cum à noſtris premerentur, in vicinum montem ſe recepiſſe, cujus declivia cum Græci occupaſſent, & caſtello excitato, muniviſſent, Saracenos ad unum omnes magno Italiæ commodo deletos. Tanti hanc noſtri victoriam fecerunt, ut Apoſtolos Petrum, & Paulum in acie viſos aſſeruerint: eorumque ductu egregiam eam palmam à Chriſtianis relatam fuiſſe. Cujus nuncium ubi per univerſam Italiam delatum, habitæ Superis gratiæ; feſtique dies ſummis populorum gaudiis celebrati. Atque Auguſtus menſis anni DCDXV., quo Saraceni victi, profligatique fauſtiſſimus Italiæ habitus. Cæterum Neapolim, cæteraque loca à Cajeta Rhegium uſque in Saracenorum poteſtatem veniſſe, ut Blondus memoriæ tradidit, à nullo alio Scriptore notatum invenio: imo cum perpetuam Ducum ſeriem eorum temporum habeamus, pro falſo habendum cenſeo.

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ

LIBER OCTAVUS.

SAracenis è Campania tandem expulſis, parta Neapoli quies, & tranquillitas eſt: tùm ad eas urbes reficiendas, agroſque excolendos, quos barbarorum furor vaſtaverat, omnium animi, curæque converſæ. Quædam tamen oppida fuere, quę funditus everſa, vel extinctis incolis, vel aliò abactis, reſtitui nullo modo potuerunt. Hujuſmodi Bajæ, Cumæ, Miſenum, & Linternum fuere: quorum noſtra ætate vix pauca quædam veſtigia ſuperſunt. Nec minor in reliquis muniendis ſolertia adhibita. Nam etſi barbari didiciſſent, difficile in iis locis longùm inſidere; quorum habitatores, ni civili diſcordia diſtraherentur, invicti eſſent: nihilominus, & cœca prædandi libidine, & innata rabie agitati, novis quotidie claſſibus noſtra maria infeſtabant; eas in oras deſcenſuri, in quas noſtra deſidia, vel diſcordia aditum aperuiſſet. Ea verò pace tanto labore, & ſanguine parta diu frui licuiſſet; ni Græcos ea loca, quæ Longobardi occupaverant, recuperandi cupido accendiſſet. Addebat eis ſtimulos Neapolitani Ducis favor, earumque gentium, quæ Græcorum partes ſequebantur: & graves haud dubio futuros ſibi eos Principes rebantur. At conſultius tum Neapolitani feciſſent, ſi inito cum ſociis urbibus fędere, Græcos ipſos ejeciſſent,

feli-

felicius inde reliquos expulſuri. Sed noſtro fato factum, ut cœci ſemper in noſtram felicitatem fuerimus: vireſque noſtras nos ſoli contempſerimus. Sed ut ad externa ſtylum transferamus, Joannes Pontifex, ut inſignem eam victoriam lętiorem gentibus redderet, Berengarium, à quo ſubſidia acceperat, Septembri ejuſdem anni Imperatorem ſalutavit, ac ſacro oleo, veteri inſtituto inunxit. At fatum Italiæ erat, ut nunquam pacata exiſteret: nova Italorum Principum conjuratione, Berengarius ad arma evocatus, æmuloq; alio Rodulpho expulſo ipſe à Burgundionum Rege ejectus, Veronę anno DCDXXIV. extinctus. Neque Burgundio quietum Italiæ regnum diu obtinuit. Siquidem eorumdem Italorum, & Joannis Pontificis opera, Hugo è Provincia accerſitus, regnoque in poteſtatem redacto anno DCDXXVI. Cæſar conſalutatus. Magnam tum potentiam Etruriæ Marchiones apud Italiæ populos obtinebant. At major ambitio, ac impotentia fęminarum erat: tantamque ſibi authoritatem mercede proſtratæ pudicitiæ vindicaverant; ut ad ipſarum arbitrium Imperatores, ac Pontifices modo intrudebantur, modo ejiciebantur, ac univerſa penè Italia regebatur. Quo circa, & Eccleſia, & cunctæ gentes illarum impotentia mirum in modum vexabantur. Earum fęminarum, quarum execranda nomina Bertha, Theodora, Marozia, Emergarda, & Uvilla barbarici ſanguinis ſcelerata progenies, opera uſi in priſcam ſe libertatem Romani aſſerere conati, in novam tyrannidem inciderunt. Quibus motibus ſacra, profanaque omnia perturbata ſunt. Joanne Pontifice in ordinem anno DCDXXVIII. redacto, Leo VI. reſtitutus. Qui cum Sordidatus in carcere obijſſet, Stephanus VIII. Pontifex renunciatus: eoque anno DCDXXXI. è vivis ſublato, infamis Maroziæ opera, Joannes XI. Sergii Pſeudopontificis, & ipſius Maroziæ filius in Pontificatum intruſus. Quem admodum juvenem, rerumque ignarum una cum Matre Albericus Marchio, & ipſe Maroziæ filius, in vincula conjecit, ac tyrannidem invaſit. Pontificatum Leo VII. ſuſcepit. Illarum pariter arte tanto apud Italos odio Hugo conflagravit, ut timore necis in Provinciam aufugerit. Lotharius filius, cùm vix regni imaginē obtinuiſſet in phreneſim lapſus anno DCDXLIX. miſera ſorte interiit. Tantam & Religioni, & florentiſſimæ provinciæ domeſtica popularium diſſidia, & unius, alteriuſve nobilis ſcorti potentia afferre perniciem potuerunt.

Verum ut ad noſtra revertar, ulterioris Italiæ pacem Græci ſub Romano Leucapeno, & Conſtantino VIII. turbaverunt. Cæſariani Duces, qui Calabriam, & Apuliam adminiſtrabant, cum Saracenos Tarento ejicere debuiſſent, Campanorum amicitia freti in Beneventanum, ac Salernitanum Principatum arma circumtulerunt. Longobardi cum ſe impares Græcorum viribus agnoſcerent, ad re-

li-

liquos Italiæ Principes confugerunt. Ab his Theobaldo Spoletino data cura eſt. Qui exercitu ſtatim conflato, in Samnium progreſſus; ac ſecundis aliquot præliis factis, inclinatas Longobardorum res ita erexit, ut jam ſuperiores evaderent. Eo bello feſtivum quid accidit, quod referre, uti accōmodum ad inſtituendos mores, ita ab Hiſtoriæ majeſtate alienum non puto. Inerat Theobaldo cruda, immaniſque indoles, vehementique odio in Græcos ardebat; cumq; ſciret plurimo apud illos in honore Eunuchos eſſe, quotquot in pugnis captivos capiebat, immitis homo exſecabat: orbatoſque virilitate, quod miſeris tormentum pejus morte accidebat, Græco Prætori remittebat, his verbis: Scire ſe apud Imperatorem magno in pretio ſemiviros eſſe; ideoque ſe, ut gratam illi rem faceret, ſpadones illos dono mittere: miſſurumque ſubinde ſe alios: quocirca redimendi captivos curam omitteret: imo haud ægrè ferret, ſi plures caperentur, quos ſine incommodo Eunuchos brevi recepturus eſſet. Adeo efferantur homines, ubi furor barbariem roboraverit, atque impotens ira rationem, qua una à brutis diſtamus, excuſſerit. Cum verò captivos quoſdam Græcos evirari ſuo more juſſiſſet, unius ex illis uxor & juventa, & forma præſtabilis, paſſis capillis, ac multis queſtibus ejulans ad caſtra Longobardorum acceſſit; atque alta queri voce occępit, quod immanem ea ætate morem, quem nullæ unquam barbaræ quantumvis gentes tenuiſſent, ipſi inducerent: cur non in viros, ſed fęminas bellum gererent, eaſque contra naturæ legem perſequerentur? Quid peccaſſent mulieres, quod non ſolum viris, ſed illorum etiam virilitate orbarentur? captis conjugibus, ſpem redimendorum ſupereſſe: eiſque uxoribus reſtitutis, ſpem pariter liberorum procreandorum foveri; illis verò crudeli eo more exſectis, ſpem habendæ prolis radicitus convelli. Quid aliud id eſſe, quam deſtrui genus humanum? everti naturam, inque Deum ipſum peccari? qui multiplicari homines, non tolli voluiſset. Fęminas non agros, non Principatus, non Regna poſſidere; ſed unius tantum familiæ curam habere; cur ergo tam internecino in eas odio pugnarent; tamque immani more animadverterent? cum tutelam potius ſuſcipere debuiſſent. Redderent igitur illis intactos viros ſuos, quibus nunquam nupſiſſent, ſi pro equis, cantheria fuiſsent habituræ. Quibus queſtibus finem non fecit, niſi ad Theobaldi tentorium introducta. Theobaldus vociferantem, ac dolentem fęminam videns, quid eſset, interrogavit, cujus cauſsa tam impotenter lamentaretur? cui illa demiſſiore voce, ac multis lacrymis: Inſolens mos, & nunquam ab ultima barbarie cultus is eſt, qui me tantis ad te gemitibus invitam perduxit. Quid fęminæ peccarunt; ut illis bellum inferretur? Quis furor ut in eas arma moveantur, quibus natura ſuſum, non te-

telum tractare juſſit? quæ rabies in eas ſævire, quæ nulli mortalium nocent? quæ feritas eas perdere, quas ad conſervandum hominum genus Deus procreavit! Theobaldus rei novitate perculſus, Eritne, inquit, aliquis adeò vilis, ne dicam inhumanus, qui bello fœminas petat? Tum mulier audacia pluſquam virili, maſculoque animo, Tu, inquit, is es, qui morem illum peſſimo exemplo induxiſti, quique non contentus noſtros agros vaſtaſſe, domos incendiſſe, armenta abduxiſſe, omnibus bonis ſpoliaſſe, viros ipſos cepiſſe; eorum etiam virilitate nos ſpoliare cogitaſti, nimirum ut id auferres, quod unum ſervare debuiſſes. Non vides ut peſſimè humano generi conſulas? quid enim aliud id eſt, quàm ſpem generis propagandi tollere? quam illud extinctum velle? Beſtiiſne habitari terras, non hominibus deſtinas: & quod natura tam provido conſilio ſtatuit, invertere? cum agros incendebas, diripiebas, dum noſtra omnia auferebas, dum viros ipſos in vincula conjiciebas, ſedebam domi cuncta patienter ferens: cum verò id eripere tentaſti, cujus cauſſa generatæ ſumus, haud doloris impetum continere potui, quin immemor ſexus, atque ætatis, non arma, non armatos timens, injuriam ad te queſtum venirem. Omitte igitur morem iſtum; & ne privare nos, quæſo, velis, quæ noſtra, non virorum ſunt. Et ſi humanitatis in te ſenſus ullus eſt, redde mihi virum, & ita integrum, ut nupta accepi. Tantus ad hæc verba circumſtantium riſus obortus, ut ne ipſe quidem Theobaldus ab eo ſe cōtinuerit. Cuncti mox Proceres Ducem rogant, ut fæminæ, quæ juſta petiiſſet, ſatisfaceret: dignamque eam, ut, quando virilem animum oſtendiſſet, integer vir reſtitueretur. Theobaldus, fœminæ ingenium, audaciamque admiratus, reddi virum, pecora, & quidquid eo bello amiſiſſet, imperavit. Dum verò læta mulier cum viro, armentiſq; revertitur, ſatellitem Theobaldus miſit, qui ab ea peteret, quid viro præcidi vellet, ſi rurſus arma contra Longobardos ſumpſiſſet? Cui mulier hilaritate plena; ipſe nares, aures, pedes, manus habet, & ſua ſunt: illa præcidat: teſtes verò, qui & naturæ jure, & emptionis titulo mea bona ſunt, relinquat. Quæ riſu, ac feſtivitate accepta, ut barbarum eum morem Theobaldus exueret, mitioremque ſe in victos ageret, effecerunt. Nempe feſtiva, ni intempeſtivè adhibeantur, efferatos mollire animos valent, & lepidum ſæpè dictum iram extinxit.

Sed ante quam bellum hoc, cujus geſta perobſcura ſunt, abſolveretur, Guaimarius Salernitanus è vivis exceſſerat, Giſulpho filio hærede relicto, & Ytaraël Sclavorum Rex ex Illyrico in Apuliam trajecerat, Sipontumque ex improviſo aggreſſus, circumpoſitam regionem vaſtavit: cladem que, quam ibi CCLXXXII. ante annos ſui acceperant, ultus eſt: veritus inde, ne Itali ad vindican-

dam

dam injuriam accurrerent, captivis, & præda navibus impoſitis, in patriam remeavit. Quo etiam tempore Saraceni magnis cladibus attriti decedere ex Italia cœperant. Tarentum, antiquiſſimam urbem, & Magnæ olim Græciæ Principem, diruerunt, barbarorum more, ut quæ ipſi tenere non potuiſſent, nec habere alios vellent.

Annus DCDXXXVII. nova in Campaniam barbarorum irruptione triſtis primùm, mox inſigni eorum ſtrage lætus fuit. De illorum verò origine pauca tradere ad inſtitutum pertinere duco; crebra enim eorum mentio inferius facienda. Hi Hungari extiterunt, qui anno DCCCLXXXVI. Carolo Craſſo regnante, ex ultima Scythia in Europam ingreſſi, ea loca occupavere, quæ Pannoniam, Daciamque Romani appellaverunt. Hunniſque antiquis incolis expulſis, Hungariæ Regnum, quod inde inter ampliſſima numeratum, fundaverunt. Nam à Germaniæ finibus inter Carpathum montem, amnemque Iſtrum excurrens ad Euxinum illinc, hinc verò trans Savum fluvium, & Illyricos montes ad Adriaticum uſque terminos, & dominationem extendit. Cæterum agreſtibus ea gens moribus, & ad unam belli duritiem formata. Editos in lucem pueros cædunt prius matres, quam lac præbeant; ut ſic ferre ictus, ac belli incommoda conſueſcant. Vix adulti ſe ſagittis exercent, totoſque dies jaculando terunt, qua arte adeo excellunt, ut ſemper colliment, nec eorum ictus ulla induſtria vitari queunt: hinc & venatu inſignes, & plus ſagittis in bello, quam gladio utuntur, Scythicoque more fugientes pugnant; ut tum maximè metuendi ſint, cum timere videantur. Venatibus cibum quærunt, & crudis ferarum carnibus veſcuntur, corda eorum, quos in bello occiderunt, in partes conciſa, quaſi pharmaca devorant: ingenium genti crudum, ſuperba indoles, ac ſeditioſa, veri, ac ſynceri nihil apud eos invenies, etſi Scythas mendacium vehementer odiſſe fama ſit. Servare fidem neſciunt; virtutis nullum nomen, fraus, & perfidia propriæ dotes. In fœminis eadem natura, ac ferocitas: continuis bellis aut domeſticis, aut externis occupantur. Quietem & ipſi neſciunt, & habere alios non patiuntur. Cùm plurimos annos proximas Germaniæ provincias cęde, & incendio vaſtaſſent; anno DCDI. in Italiam irrumpere cogitarunt; aſſumpta igitur parva militum manu per Pannonicas Alpes in Venetos ingreſſi ad Medoacum amnem Patavino in agro conſederunt. Illinc ſpeculatores prę-miſerunt, qui regionis ſtatum contemplarentur. Hi vicinis locis perluſtratis, ad ſuos redierunt, latiſſimam Italiam eſſe, atque uno latere Adriatico ſinu perlui, altiſſimis ex altero montibus præcingi; pleroſque eorum fertiliſſimos videri: campos feraces, atque uberes, nec locum ullum inveniri, qui cultus non ſit: magnis urbibus, ac munitis habitari, populorum refertiſſimam regionem eſſe,

ac ſummis divitiis affluentem: exiſtimare ſe bellicoſam, & armis potentem gentem exiſtere, quæ olim totius penè Orbis imperium obtinuiſſet; quocirca multitudine opus eſſe, & magnis animis, ſi ſuperare Italos, eorumque divitiis potiri vellent. His dictis accenſi, totam eam hyemem ad exercendam juventutem, & apparatum conficiendum impendunt. Sequenti anno, Auguſto menſe, iterum magnis copiis irrumpunt, perque Aquilejam, & Veronam munitiſſimas urbes progreſſi, Bergamum, inde Comum, Papiamq; Regni ſedem omnia populando pervenerunt. Berengarius Rex, qui ad irruptionis nuncium juventutem ad arma convocaverat, cum ingenti exercitu obviam barbaris vadit. Qui cum triplo majori numero ſe peti viderentur, pugnam detrectantes, fugam capeſſunt. Dumque effuſi Abduam tranſmittunt, plurimos ſuorum amiſerunt. Ea calamitate preſſi, Legatos mittunt; prædamque omnem ſe reddituros ſpondent, dummodo liberos ſe abire permittant, id cum non impetrarent, iterum fugam corripiunt. Ad Veronam Itali ultimum illorum agmen aſſecuti certamen inivere, quo ſuperiores Hungari fuerunt. Verum mox cunctis Italorum copiis ſupervenientibus, iterum deſperatione victoriæ ſe fugæ dederunt, magniſque itineribus ad Medoacum amnem devenerunt. Hic cum nec equi, nec homines curſui ſufficerent, in adverſa ripa conſederunt. Mox iterum Legatos ad Berengarium mittunt, ut accepta præda, captivis, atque equis, ſe incolumes abire ſinat: juraturos ſe nunquam in Italiam prædandi cupidine redituros, filioſque obſides daturos. Berengarius nimia fiducia elatus, negavit velle ſe cum mortuis paciſci. Hungari, eo reſponſo accepto, tantam in iram exarſerunt, tantoſque ex deſperatione animos acceperunt; ut improviſo impetu Italorum caſtra adorti magna clade deleverint: nimiæ tum fiduciæ pœnas Itali dederunt; ſuoque malo edocti nunquam fugienti intercludendam viam eſſe, eoſque invictos eſſe, quos ultima deſperatio in extremos caſus armavit. Hungari ea victoria feroces iterum Italiam depopulari cœperunt, nec niſi magna pecunia à Berengario accepta, in Pannoniam redierunt. Poſtquam undeviginti annos quieviſſent, à Berengario contra rebelles evocati egregiam operam navarunt: ingentique præda onuſti, in ſuas ſedes reverſi. Inde Berengario ſublato, quaſi fide ſoluti, ejuſque Manes ulturi, è Pannonia rurſus moverunt: magnaque Campeſtris Italiæ parte vaſtata, Papiam incenderunt: plurimaque ſecum ſpolia, & captivos trahentes exceſſerunt. Tantis igitur proſperis elati eventibus, prædarumque cupidine allecti anno DCDXXVII. per univerſam Italiam effuſi, in Campaniam pervenerunt, Capuanoque agro direpto, Nolam uſque, & Sarnum progreſſi cuncta cædibus, & rapinis impleverunt. Inde per Caudinas Furcas in Beneventanas

valles

valles delati, fertiliſſimam eam regionem diripuerunt. Hinc magnis prædis, & captivis ſuperbi, cætera incendere moliebantur: captivorum plurimi pretio redempti, ad quorum redemptionem ſacra vaſa, quæ Caſſinate in Cœnobio erant optimo exemplo impenſa, nec ſanctiorem unquam uſum ea vaſa habitura erant, quando Chriſtianorum animis nihil pretioſius Deus æſtimat. Interea barbari Marſorum fines ingreſſi, ut omnem eam Italiæ partem, quæ ab Apennino ad Adriaticum pertinet, pari ſorte devaſtarent. Marſi jam ad incendium illud excitati, Pelignos, Frentanos, ac Veſtinos in ſocietatem evocaverant, horum populorum concurſu facto, Hungaros inter anguſta montium nacti validiſſimo impetu adoriuntur: atque ad unum omnes magna occidione deleverunt, omnis præda, & captivi horum populorum Clade recepti. Ejus cladis nuncium univerſam Italiam incredibili gaudio replevit.

Gregorio Duce, ac Conſule Neapolitano extincto, Joannes ſucceſſit, cujus ætate pacatiſſima à bellis Campania perpetuam pacem obtinuit: quę eò magis tum grata populo erat, quod reliqua Italia, & ſuorum Principum diſcordiis, & barbarorum cupiditate miserè dilacerabatur, nunquam quietura, niſi cuncti in unum coiviſſent. Joannes ubi cognovit Caſſinates Monachos, quæcumque pretioſa haberent, ad redimendos eos captivos, quos Hungari ceperant, largè impendiſſe, ipſe majorum pietatem æmulatus, tam pium, atque humanum miſericordiæ exemplum non verbis tantum, ſed re, quod pauci faciunt, commendavit. Nam ut refici ea vaſa potuiſſent, D. Cæciliæ ædem, cujus uſum obtinebant, illis novo diplomate donavit: eorum perpetuam unà cum prædiis eſse juſſit, omnia ſimul jura, ac bona, quæ ad illam pertinebant, ad ipſos tranſtulit. Ea verò ædes in Palmarum vico, ubi tum hi homines habitabant, qui tingendo oloſerico, ac variis coloribus imbuendo, operam dabant, poſita erat. Cellam præterea D. Severi, quæ Surrenti exiſtebat, cum ampliſſimo illius fundo dono dedit: & ut immunes à vectigalibus eſſent, indulſit. Hinc Ammiratus gravis author, in Neapolitani Ducis poteſtate etiam tum Surrentum fuiſſe, uti & vicina loca, in quæ jura extenderat, non obſcuro argumento deducit. Hunc verò eum Ducem fuiſſe Capacius autumat, qui Caſſinates eximiè coluit; eiſque molendinum quoddam multi proventus elargitus eſt: extant tabulæ per quam vetuſtæ ab eodem Authore allatæ: in quibus, & Joannis Ducis, & Petri D. Severini Abbatis nomen legitur. Quibus in tabulis illud notatu dignum eſt; Duces nimirum Neapolitanos Græcis literis majuſculis latino tamen vocabulo ſuum nomen in ima cera ſubſcripſiſſe, idque non ad mores, ſed ad barbariem eorum temporum referendum puto.

Hoc Duce, cujus egregia pietatis geſta, non bella memoriæ

man-

mandata invenio, anno DCDXLII. Athenulphus Capuæ, & Beneventi Princeps mortalitatem exuens, Landulphum fratrem hæredem inſtituit, qui poſtquam VIII. annos regnaſset, locum filio Pandulpho ceſſit, quem populares Ferreum Caput cognomento vocitarunt. Salerni Giſulphus Principatum obtinebat, celebris ſua ætate, quod D. Matthæi corpus è Lucanis, ubi diu ignotum latuerat, Salernum tranſportavit. Sacra hujus Divi Lipſana, è minori Britannia, ut ſuperius ſcripſimus, in Lucaniam anno CCCLXX. translata fuerant. Hic poſtquam multa ſecula obſcura omnino latuiſsent, Pelagiam ſanctam feminam in ſomnis D. admonuit; & ubi ſacra pignora occultarentur, indicavit. Hæc ad Joannem ejus loci Præſulem rem detulit. Qui unà cum Clero, & Populo ſolemni in eum locum ſupplicatione proceſſit, inventumque Apoſtoli corpus, in ædem Peſti principem ſacra pompa deduxit, ac magnificè collocavit. Quo evulgato, Giſulphus, qui mira in Sanctorum reliquias religione afficiebatur, haud omittendam occaſionem duxit, qua tanto theſauro potiretur, eoque Salernum donaret, unà cum Bernardo Præſule Peſtum profectus, D. corpus celebri pompa, ingentique populorum concurſu Salernum tranſportavit, inque æde Principe D. Mariæ ab Angelis nuncupatæ, magnifico monumento repoſuit. Hanc verò translationem in Caſſinatium annalibus ſcriptam reperio, in quibus poſt tres annos geminos in Cœlo ſoles biduum viſos; & quidquid maris à Neapolitano litore, ad Cumanum uſque eſt, Salſedinem exuiſſe: & tam dulces aquas, quam ſalientes ad certum tempus à nautis compertas, quod prodigii loco habitum, ſcitoque Pontificum multis hoſtiis procuratum. Athanaſius III. tum Neapolitanam Eccleſiam regebat; qui fovenda concordia, moribuſque inſtituendis, Joannem Ducem plurimum adjuvit. Rarus, ſed felix civitati Præſulum, Principumque conſenſus. Hic Stephano extincto, anno DCDXXXVII. in Præſulem cooptatus, diu Eccleſiam rexit, ac ſanctiſſimis moribus præluxit.

Dum verò Neapoli, Joanne Duce, inque univerſa Campania ſumma tranquillitate res agerentur, turbidæ admodum reliqua in Italia erant. Turbatam tamen civitatis pacem anno DCDLXI., qui Stephano Præſuli ultimus illuxit, in D. Agrippini vita incerto auctore ſcripta, non verò in aliis annalibus invenio. Saraceni ex Africa ingenti navium claſſe in Campaniam invecti, primo mane in conſpectu urbis, eam è mari oppugnaturi conſtiterunt. Neapolitani ſtatim ad arma concurrerunt, quibus cum non omnino confiderent, ad Divos precibus confugerunt: & Agrippinum, ac Januarium in primis, ut præſentes periculo adeſſent, ſummopere rogarunt. Illicò, quæ maxima navium erat, & è geminis turribus, ipſa mœnia altitudine ſuperantibus, immenſo ſagittarum imbre urbem

pe-

petebat, mari demerſa eſt: quo caſu hoſtes perterriti ab oppugnatione ceſſarunt, rediturosque ſe in Africam dixerunt, ſi certam eis pecuniam ſolviſſent. Neapolitani, ut ſe præſenti periculo eximerent, cum pecunia ad manus non eſſet, vaſa ſacra hoſtibus tradiderunt. Qui illis acceptis, ſtatim vela fecerunt, proximamque Siciliam petierunt. Quæ mox iiſdem Divis procurantibus, Legati in Siciliam miſſi nullo negotio receperunt.

Porrò, ut ad Pont: Max: ſtylum Hiſtoriæ convertam, Joannes XII., qui Agapeto ſanctiſſimo viro extincto, ex Patriciatu Pontificatum invaſerat, cum Berengarium ferre non amplius poſſet, Adriani exemplum ſecutus, qui Carolum Magnum in Italiam acciverat, Othonem ipſe Germaniæ Regem evocavit. Otho Imperii cupidus exercitu ſtatim conflato per Tridentinas valles anno DCDLXI. in Italiam deſcendit. Romæ à Joanne magnificè ſuſceptus, & poſt multorum annorum interregnum Cæſar ſalutatus, inque Vaticanam Baſilicam deductus, ſacro oleo perfuſus, ingentique deinde lætitia à Romano populo acclamatus eſt: qui in eo Carolum Magnum, eorumque temporum felicitatem ſibi futuram promittebat. Sed ut nunquam ſtabiles humanæ res ſunt, turbata ſequenti anno ea pax fuit; Joannes ſive quod Otho Leonem Epiſcopum, & Joannem Cardinalem, qui à Pontifice defecerant, ſuſcepiſſet, Umbriæque populos ſibi, non Eccleſiæ Sacramentum dicere coegiſſet, ſive animi ſui inconſtantia, ab Othone alienatus, Adelbertum Berengarii filium Fraxineto, quò ad implorandam Saracenorum opem, confugerat, Centum cellas, inde Romam contra Othonem revocavit: populumque Romanum in ſalutatum nuper Imperatorem ſolicitavit. Otho, qui montem Feretrum, & Berengarium oppugnabat, re cognita, parte copiarum in obſidione relicta, ipſe cum reliquo exercitu Romam venit. Ejus improviſo adventu, Joannes, & Adelbertus perterriti, accepto D. Petri theſauro, urbe exceſſerunt. Otho plurimorum Præſulum concilio coacto, Joannem tanquam atrociſſimis criminibus accuſatum, indignumque qui Eccleſiæ præeſſet, deponi; & Leonem quendam in eo conventu creari Pontificem curavit, qui Leo VIII. appellatus. Inde Othone ad obſidionem reverſo, Romani Leone expulſo, Joannem reduxerunt. Qui ſtatim concilio plurimorum Patrum coadunato, Leonem unà cum Othone damnavit: & acta ejus conventus, qui in ſe coactus fuerat, tanquam illegitima, atque iniqua reſcidit. At non diu recuperata frui authoritate impuriſſimo homini licuit. Siquidem Deus tetro genio tanquam ſuæ ultionis miniſtro uſus impudicitiam punivit. Ex alapa ab eo inflicta objit prid: Id: Majas. Cui Romani ſtatim Benedictum Cardinalem Diaconum ſubrogarunt, virum pium, & multa virtutum laude ornatum. Otho ira in Romanos ardens

Romam cum exercitu venit: & poſt longam obſidionem ea potitus, Leonem Pſeudopontificem reſtituit, qui conventum ſtatim habuit, in quo Benedictum exhautoravit, & multa Othoni conceſſit, quæ minimè concedenda. Conventu abſoluto, Otho per Etruriam in Ciſalpinam Galliam movit; ubi exercitu peſtilentia amiſſo, in Germaniam Benedictum ſecum trahens, reverſus eſt. Poſt ejus abſceſſum Leo XVI. Kal: Aprilis hujus anni DCDLXV. ultimum diem obivit. Cui, Clero, & Populo Romano conſentiente, Narnienſis Epiſcopus ſuffectus: & Joannes XIII. nuncupatus, qui tamen non niſi VI. No: Octobris ſedem legitimè occupavit: cum Benedictus verus Pontifex IV. Non: Julii ejuſdem anni victor in Cœlum conceſſit. Romani cùm Joannem veteris exempli Pontificem, & eorum temporum corruptelam emendare, inque priſtinum decorem Eccleſiam reſtituere ſatagentem, animadvertiſſent, omnium ordinum conſenſu urbe expulerunt. Nempe ubi inveteraſcere morbus cœpit, ſalutaria etiam remedia reſpuimus. Joannes in Campaniam ſe recepit. Landulphus obviam progreſſus, honorificè, & uti legitimum CHRISTI Vicarium ſuſcepit: Capuamque deductum omni ope adjuvit. Joannes, ut gratum erga Landulphum animum oſtenderet, Joannem Landulphi fratrem, Capuæ Præſulem conſtituit: eamque Eccleſiam Archiepiſcopatus honore inſignivit. Etiamnum Neapolim, ubi Athanaſio Tertio defuncto, jam ab anno DCDLXII. Nicetas Eccleſiam regebat, eam dignitatem obtinuiſſe facilè crediderim. Quidam à Formoſo eum honorem accepiſſe memoriæ tradiderunt. Certum tamen eſt anno MLXII. Neapolitanos Antiſtites, Archiepiſcopatus inſignia habuiſſe. Eo enim anno, apud Leonem Oſtienſem, Leo Comes Salernitanus, Neapolitanus Archiepiſcopus appellatur.

Verum Otho Joannis ejectione comperta, in Italiam redire inſtitit. Romani veriti ne gravius à Cæſare acciperentur, Joannem Capua revocarunt. Imperator in Italiam reverſus, multa ſeveritatis exempla edidit: quibus tutiores inde Pontifices eſſent, & Romani modeſtius in officio continerentur. Poſtea id, quod diu in animo coquebat, aggredi ſtatuit. Cum ad ſuam, tum Occidentalis Imperii majeſtatem pertinere ſibi videbatur, ſi univerſam Italiam regno adjungeret: ideo arma in Apuliam, Calabriamque inferre conſtituit; ut Græcis, ac Saracenis ejectis, eas provincias, quæ ſolæ à reliquo Italiæ corpore diſtrahebantur, reciperet. At à Nicephoro, qui tum in Oriente imperabat, delinitus, à re deſtitit. Imo Legatum Conſtantinopolim deſtinavit, qui Theophaniam Nicephori filiam, ſororem alii ſcribunt, Othoni filio ſponſam peteret. Libenter eam ſe tanto viro deſpondere Nicephorus reſpondit. Venirent in certum Calabriæ locum, ut puellam acciperent. Otho

Græ-

Græcæ fidei nondum gnarus, partem copiarum in eum Calabriæ locum, quem Legati deſignaverant, cum regio apparatu miſit; ut ad ſe nuptam deducerent. Hos puellam opperientes Græci ex improviſo adorti nullo negotio oppreſſerunt. Tum Otho Græcam perfidiam deteſtatus, bellum inferre decrevit; perfidamque eam gentem tota Italia exturbare. Interim Othonem filium collegam Imperii aſcivit: ne, ſi quid ſibi humanitus accidiſſet, de creando Cæſare controverſia foret. Illum in Domini Natalitio die Joannes Pontifex inunxit, ac Imperatoriis inſignibus exornavit: mox Populus Romanus magnis vocibus Cæſarem ſalutavit. Nihil interea ad apparatum belli, quod ad Occidentalis Imperii majeſtatem pertinere ducebatur in Græcos omnibus viribus gerere, prætermiſſum.

Proximo anno Guntharius, & Singifridus, clari bello Duces, cum exercitu in Apuliam miſſi, qui in Campaniam primum copias induxerunt, aſſumptoque in ſocietatem Landulpho Capuæ, & Beneventi Principe, per Samnium in Apuliam moverunt. Tarentum primùm duodecimis caſtris, inde Metapontum venerunt. Hi Saracenos magna præda onuſtos adorti magna clade deleverunt, receptaque præda Italiam relinquere coëgerunt. Saracenis victis, in Calabriam, ubi Græci aliqua ſecunda prælia fecerant, & parva quædam oppida expugnaverant, ad illorum inſolentiam infringendam progreſſi. Hic acie dimicatum: Græci victi, quorum plerique detruncatis naribus ad contumeliam Conſtantinopolim miſſi; ut ſpectaculo infido Nicephoro eſſent. Calabria, ea victoria, recepta; doctique Græci nunquam perfidiam ſecundos ſucceſſus habuiſſe. Conſtantinopolitani verò ob eas clades à Nicephoro alienati, per Joannem Zemiſcen illum occiderunt: eundemque Zemiſcen Cæſarem ſalutarunt. Ad quem ſtatim Otho Legatos deſtinavit, qui iterum Theophaniam pro Othone filio peterent. Joannes Cæſar magno eam comitatu, magniſque muneribus illicò deportari in Italiam juſſit. Quæ poſtero anno Romam venit: ubi ingenti plauſu ab obviam effuſa multitudine excepta: ſolemni ſubinde pompa nuptiæ celebratæ, eamque in gratiam Othonis Pontifex coronavit, & Auguſtam ſalutari juſſit. Otho, qui ob magnitudinem rerum Magnus appellatus, cumque Carolo Francorum Rege comparatus, poſtquam votorum ſuorum ſummam ſibi obtinuiſſe viſus, univerſam Italiam ſua virtute pacatam ita diviſit: Ducatum Beneventanum, in quo antiquum Samnium, & vicina quædam loca continebantur, Beneventano Principi, qui idem ac Capuanus tum erat, reliquit; Campaniam, ad quam Picentini, & Lucani pertinebant, Capuano, ac Salernitano Principibus, ac Neapolitano Duci dimiſit: Romam, & ejus Ducatum, Exarchatum Ravennæ, Spoletanum Ducatum cum Etruria, & Marchia Anconitana Romano Pontifici attribuit;

reliquas Provincias Italiæ Regno adjunxit: Civitates plurimas liberas reliquit, vectigales tamen Imperii eſſe voluit, multoſque liberos Dominos, Comiteſque conſtituit, quibus populi in officio continerentur. His rebus explicitis, in Saxoniam reverſus, ibi Nonis Maii anni DCDLXXIII. regalibus inſignibus indutus, plurimaque procerum corona ſtipatus, repentè extinctus eſt. Uſque adeo vel in maximis principibus fata ludunt, & inanis ſcenæ pompam eam eſſe oſtendunt, quæ tam facili caſu, inſtar fumi evaneſcit. Otho junior, qui jam ſextum annum cum patre imperabat, ſolus regnare cępit. Non multo ante Joannes XIII. ſupremum diem obiverat; eique Benedictus VI. ſucceſſor datus, qui à Bonifacio viro omnium ſceleratiſſimo laqueo enectus eſt: ſtatimque ipſe Bonifacius Ponificatum invaſit. Qui mox Roma expulſus Conſtantinopolim fugit. Cum Salernum pertranſiret, ut ejus urbis Principem ſibi conciliaret, Amatum, virum cęteroqui pium, Præſulem creavit: eamque Eccleſiam Archiepiſcopatus honore decoravit. Quam dignitatem etſi non rite acceptam, mox indulgentia Pontificum retinuit.

Hæc eadem tempora, quæ triſtia Chriſtianorum diſſidiis, ac fęda exiſtebant, fędiora cędibus, ac rapinis barbari reddiderunt, qui, Zacharia Duce, ingenti claſſe ex Africa ſolventes, in Apuliæ litora appulerunt, ac Bituntum nobile oppidum, ac populoſum ex improviſo adorti, vi ceperunt: infeſtis ſubinde ſignis Gravinam procedunt; at non eadem hic uſi fortuna ſunt; nam munitam eam urbem, præſidioque firmatam invenerunt. Non tamen perterriti cęptum impetum continuerunt, mœnia corona cingunt, machiniſque admotis expugnare moliuntur. Verum cùm magna ſuorum ſtrage non ſemel à muris repellerentur: & jam vicinarum gentium cogi auxilia intelligerent, ad naves, expugnatione omiſſa, redierunt. His abeuntibus, Græci ad continuandas clades ſucceſſere. Anno DCDLXXVII. Joannes Zemiſces, magno Orientalis Imperii damno veneno ſublatus, vir melioribus temporibus, ac diuturniore Imperio dignus, ſed corrupti illius ætatis mores vivere diu bonos Principes non merebantur, imo nec etiam patiebantur. Succeſſerunt Baſilius, & Conſtantinus, Romani filii, iuvenes rerum inexperti, qui & regnandi cupidine, & veteris Imperii gloria capti, haud æquo animo antiquam Italiæ poſſeſſionem amiſiſſe ferebant. Idcirco bellum in Othonem decernunt, militem ſcribunt, naves comparant. Ubi verò opportuna navigandi tempeſtas fuit, ingentem in Apuliam exercitum mittunt, eamque provinciam, unà cum Calabria, Othone tranſalpinis bellis occupato, facili negotio in poteſtatem redegerunt. Quam procellam non minor altera à Septentrione eſt ſubſecuta: quæ hanc Meridionalem Italiæ partem,

quæ

quæ poſterioribus inde temporibus Neapolitanum in Regnum coaluit, fedè vaſtavit, cujus tum incolæ experti externos non niſi in communem perniciem venire: neque ab illis ſperanda auxilia; qui non ad ſocios liberandos, ſed ad cogendas prædas feſtinarent. Otho II. ſimul, atque otium à Germanicis tumultibus nactus fuit, validiſſimas, quas contraxerat, copias ducens, in Italiam deſcendit, Græcos ex Apulia, Calabriaque ejecturus, Romæ à Pontifice Benedicto VII., atque jis, qui ſuarum partium erant, magnificentiſſimè exceptus. Hic memor eorum, qui in præteritis tumultibus rebellaverant, exemploque paternæ ſeveritatis permotus, durum conſilium, & rebus ſuis minimè commodum cepit. Regium convivium inſtruxit, in quod univerſos Italiæ, & præcipuò Romanos Proceres invitavit: cunctis inde accumbentibus, præconis voce pronunciari juſſit; ne quis vocem emitteret, aut ſe loco moveret, quodcumque id eſſet, quod, aut viderent, aut intelligerent. Intromiſſi deinde milites, qui convivas omnes ad ſpectaculum trepidantes circumvenere. Mox eorum nomina, qui turbas excitaverant, novaſque res moliti fuerant, recitata, deq; illis è veſtigio ſententia capitis eſt lata: convivio abrepti; inque eos ultimo ſupplicio durè animadverſum. Rarum crudelis Imperii exemplum, nec ultima quidem barbarie dignum: cujus tamen brevi pęnas inhumanus Cæſar perſolvit, & quod immanius tum eſt habitum, ſumma hilaritate, peracta cæde, convivium celebratum, dolentibus ſolis in ſinu Italis, quod ſua ſibi diſcordia tantam calamitatem accerſiviſſent.

Poſt autem novis copiis ad Romanas legiones ex univerſa Italia adjunctis, in Campaniam venit. Hic valida Beneventanorum, Capuanorum, Neapolitanorum, ac Salernitanorum manu aſſumpta, in Apuliam per Samnium progreſſus, ſecunda quædam minuta prælia cum Græcis, ac Saracenis, quos è ſubacta Creta illi conduxerant, crebrò fecit: tandem Tarentum pervenit, ibique ſtativa habuit. Inſequenti anno, Tarento digreſſus, Metapontum movit: noviſque cohortibus auctus, comitantibus Landulpho, & ejus fratre Athenulpho, in Brutios proceſſit. Hos populos Brettios alii vocant, eoſque à Brento Herculis filio progenitos putant: Calabri noſtra ætate audivere. Otho horum populorum fines ingreſſus ad oppidulum nomine Baſentellum caſtra metatus eſt, à quo cum non procul hoſtes eſſent, & ſui cupidine pugnæ arderent, dimicare ſtatuit. Explicata utrimque acie, magnis animis concurſum. Romani, & Beneventani, cum de ſumma rei agi viderent, peractæ cædis memores, hominiſque crudelitatem execrati, ſtatim ex acie, formidinem ſimulantes, exceſſere. Tum Othoniani eo præſidio nudati, illicò ceſſere: motaque acie, ingens clades ſecuta, ac univer-

ſus pene exercitus ſediſſima ſtrage conciſus eſt. In ea pugna Landulphus Capuæ Princeps, & Athenulphus frater, aliique plures Germaniæ inſulati Principes perierunt, exemploque ſuo ſacra, non arma Sacerdotibus convenire, & precibus victoriam, non telis promereri, didicerunt. Otho prælio victus ſcapha diffugit, captuſq; mox à piratis, magna pecunia à Theophania Auguſta, quæ Roſcianii pugnæ exitum expectabat, eſt redemptus. Capuam ſe poſt recepit: inde Romam, ibi poſtquam Othonem III. filium creari Cæſarem curaſſet, ejus cladis mærore confectus interiit. Landulpho extincto, Landenulphus, quem ille ex Alaora ſuſceperat, ſucceſſit: cui Cæſar Capuæ anno DCDLXXXII. eum Principatum confirmavit.

Interea Baſilius cum victum Othonem Conſtantinopoli accepiſſet, haud tempore ſibi abutendum ratus, magnis copiis, & quam citiſſimè potuit, in Italiam navigavit, ejuſque regionis incolis diſtractis, cuncta ea loca, quæ Germani occupaverant, recepit, armiſque victricibus Romam uſque progreſſus, quam ne caperet, annonæ defectus effecit: quam tamen haud dubio capere potuiſſet, ſi victo Othone, illicò Romam ſui petiviſſent. Sed pauci ſequi impetum fortunæ ſciunt, inani tantum victoriæ nomine contenti. Baſilius poſtquam benè cœpiſſet, malè ab incœpto deſtitit: relictaque Italia, nec firmis in ea præſidiis conſtitutis, in Orientem reverſus; facilè quæ acquiſiverat, amiſſurus, uti ſolemne jis eſt, qui occupandi potius cupidine, quam poſſidendi tenentur. Nec Saraceni ab inferendis armis abſtinebant: & quo majores clades accipiebant, eò animoſiores redibant; earum arborum more, quæ ſi ramos amiſerint, numeroſiore ſylva pubeſcunt, nunquam ceſſaturæ, niſi radicem omnem convellas. Pluribus igitur tum navibus vecti, in extremam Italiam appulerunt: & Locros Epizephyros, antiquiſſimam Græcorum coloniam vi ceperunt: aliaque ejus tractus loca vaſtarunt: excurſuri ulterius ni ab jis, qui mediterranea incolebant, & montium opportunitate utebantur, multa clade repulſi fuiſſent. Signis igitur converſis, in Apuliam moverunt, univerſos Barii pagos, ac ea caſtella, quæ ſine munimento erant, diripuerunt. Atque in hunc modum diſtractam in tot membra Italiam Germani, Græci, Saraceni prædonum potius, quam militum more ſede deſolabant. Nec ipſi Itali quieſcebant. Longobardi, inita conjuratione, Landenulphum, qui unà cum Alaora matre VIII. jam annos regnaverat, ea tum primum vita perfuncta, in æde Divi Marcelli dum redivivi Domini feſta recurrerent, immani parricidio, ſacrilegioque occiderunt; ne verò patrati criminis arguerentur, Landulphum fratrem Principem ſalutarunt. Eam verò cędem anno DCDXCI. peractam quaſi præſagire tellus voluiſſet, biennio

ante

ante terribiliter movit. Quo motu plures Capuæ ædes corruerunt. Beneventi XV. turres, plurimaque ædificia multa mortalium cæde dejecta: Campania Picentinorum urbs magna ex parte everſa: circompoſita caſtella ſolo æquata, Arianum fædè quaſſatum. Compſa ingenti ſuorum civium ſtrage proſtrata, Neapolis ſine damno, etſi nõ ſine timore fuit. Porrò Traſimundus Comes Theatinus, ut occiſi conſanguinei necem ulciſceretur, unà cum Marſorum Comitibus Rainaldo, & Oderiſio infeſto agmine Capuam venit; agroque circumvaſtato, urbem obſedit. At reſiſtentibus fortiter Capuanis obſidionem omiſit. Inde acceptis novis ab Othone ſubſidiis ſub Hugone Etruriæ Tetrarcha, quem ille in Campaniam miſerat, iterum urbem obſedit: nec urgere eam ceſſavit, donec interfectores traditi, de quibus ultimum ſupplicium ſumptum eſt.

Has inter Italiæ, Campaniæque turbas, Neapolis ſub Joanne Duce quietè agebat; at non ea tranquillitate frui domeſticus, ac ſæviſſimus hoſtis Veſuvius paſſus eſt. Hic longæ quietis pertæſus anno DCDXCII. immani incendio exarſit, tantus flammarum vomitus, tantus ambuſti cineris nimbus extitit, ut non Campaniam modo, ſed totam penè Italiam, Siciliamque perterrefecerit: ea verò conflagratio earum calamitatum funeſtiſſimus nuncius fuit, quæ mox per Italiam, Galliamque magno populorum damno torrentium inſtar effuſæ. Etenim plurimæ tum Italiæ, tum Galliæ urbes, ortis ex improviſo ignibus miro modo exarſerunt. Nempe ut inquietæ gentes, non bellorum tantum incendio, ſed ipſis etiam ignibus punirentur. Inter quas Roma uti malorum caput, ita maximam à flammis perniciem accepit. Et ſanè ſi quis ea, quæ tum Romæ accidebant, animo perpenderit, parva admodum nec tantis æqua ſceleribus, quæ Romani patiebantur jure æſtimabit. Benedicto VII., qui, Bonifacio ejecto, Pontificatum acceperat, bona ſui opinione relicta, anno DCDLXXXIV. è vivis ſublato, Joannes XIV. ſuffectus. At Bonifacius Conſtantinopoli reverſus, potentiorum ope adjutus Joannem in carcerem conjecit: inque illo ærumnis, rerumque omnium egeſtatè confecit. Ipſe iterum Pontificatum invaſit, quem vix ad IV. menſes occupavit: cum è vivis ad luendas ſcelerum pœnas raptus eſt; tantum verò de ſe odium reliquit, ut populus Romanus ejus cadaver per univerſas urbis vias ſumma ignominia raptaverit. Deo etiam in terris irrogatam Eccleſiæ injuriam ulciſcente. Qui, eo extincto, ſucceſſit Joannes XV., non multo melior fuit. Nam nulla Dei, atque Eccleſiæ ratione habita, ad augendos divitiis, atque honoribus conſanguineos curam omnem impendit. Quæ lues in ſecuta tempora propagata, plurimorum non ſemel ſeges malorum fuit. Eo infra annum extincto, Joannes XVI. Pontifex ſalutatus, qui optimis moribus imbutus,

Ec-

Eccleſiam multa ſui laude uſque ad annum DCDXCV. gubernavit. Cui mox è vivis excedenti Gregorius XI. ſucceſſor eſt datus. Hic Pontificatu inito in Porticu D. Petri Othonem III. coronavit.

Ne verò unus Veſuvius ſæviret, Saraceni Divinæ vindices iræ magna claſſe adfuere: munitamque Campaniam animadvertentes, in Apuliam curſum convertunt. Mateolam nobile illius regionis oppidum obſedere: Mateolani, & loci ſitu, & altiſſimis muris freti, libertatem tueri decreverunt. Interea Legatos ad finitimos mittunt; ut ſubſidia contraherent, & maturè venirent: neque paterentur oppido munito, & opportuno barbaros potiri: ex quo deindè univerſam Apuliam, Lucaniamque depopulari commodè potuiſſent: nec finerent eam peſtem iterum radices jacere: quas ſi ſemel fixiſſet, multorum pernicie quam latiſſimè vagatura erat: preterita in memoriam revocarent, & quantis hi barbari calamitatibus majores affixiſſent: ſe publicæ utilitati non defuturos, atque omnibus viribus, patientiaque obſidium toleraturos. At poſtquam tres menſes obſidionem ſuſtinuiſſent, inque eam rerum omnium neceſſitatem adducti; ut ne à filiis quidem parentes abſtinuiſſe, fama fuerit; nec auxilia, quæ fruſtra expectabantur, adeſſent, dedere ſe barbaris coacti ſunt, à quibus immaniter accepti, bona univerſi, vitam plurimi amiſerunt. Tum demum cùm Saraceni crebris excurſionibus depopulari agros, villaſque incendere occeperunt, quam male torpuiſſent ſuo damno vicini didicerunt.

Interea Otho ex Germania in Italiam venit: nec æquo animo Landulphi necem ferens, ejus ulciſcendæ cauſſa Capuam proceſſit. Landulphum, quia fraternæ necis inſimulabatur, in ordinem redegit, & trans montes relegavit. Ademarium civem Capuanum ex clerico ſtupro natum, quem ipſe ſecum à puero educatum unicè diligebat, ei Principatui præpoſuit: ſatis eo dignum ducens, quod ſua illum amicitia cohoneſtaſſet. At Capuani indignum rati ſe notho tam ignobili obaudientes eſſe, non multo poſt, ubi occaſio dedita, Principatu ejecerunt. Cum verò revocare Landulphum non valerent, Pandulphum Sanctæ Agathæ Dominum, alterius filium Pandulphi, qui Ferreum Caput audiebat, Principem ſalutarunt. Etiam tum Joanne Salerni Principe vita perfuncto, Landulphus ejus locum occupavit, hujus autem genus mandatum annalibus non invenio. Verum Otho, ut eo ſe piaculo expiaret, quod Creſcentem, qui Romæ tyrannidem tenuerat, contra datam fidem necaſſet, Capua Caſſinas Monaſterium ſupplex adivit. Ex quo Garganum petiit: plurimaque D. Michaeli donaria obtulit. At non dum iram, quam contra Beneventanos, in quos paternæ cladis cauſſam refundebat, animo conceperat, ea religione concoxerat. Gargano rediens Beneventum victoris ritu ingreſſus mirè ſæviit: utque

Be-

Beneventanos maximo damno afficeret, D.Bartholomæi oſſa ſuſtulit, ac Romam tranſportavit. Quæ ſolemni pompa in æde ejuſdem Divi Tiberina in inſula ædificata, honorifico in tumulo ſunt repoſita. Ajunt vero Beneventani Majores ſuos pro D. Bartholomæo, D. Paulini Epiſcopi Nolani reliquias, Othoni tradidiſſe, illudque Cæſarem Benevento Romam deduxiſſe. Quod multis argumentis, & docti, & illuſtres viri oſtendere ſunt conati. Nec quidam Scriptores deſunt, qui ab Othone II. eo ſacro pignore mulctatos Beneventanos fuiſſe, memoriæ tradiderunt. Verum quod pro certo eſt, D.Bartholomæi caput argentea theca incluſum Neapoli aſſervatur, gaudetque eo theſauro illuſtre Monialium cœnobium, quod Maria Regina Caroli II. uxor Virgini dedicavit, populares Reginæ monaſterium vocant. Argenteam thecam eandem Reginam feciſſe: cumque ſacro pignore eidem cęnobio donaſſe perhibent. Caput verò D. Bartholomæi à Carolo I. Benevento Neapolim translatum, cum ea urbe, Manfredo acie victo, potitus eſt, noſtri Scriptores memoriæ mandarunt. Hæc inter Caſſinates Monachi, qui ob ditionis amplitudinem ſummi jam Principes, ac metuendi vicinis evaſerant, in finibus Campanorum valido, opportunoque ſitu arcem ædificarunt, quam Siccam, quod indigus aquæ locus eſſet, nuncupavere, quæ res finitimorum animos plurimum ſollicitavit. Etenim quid aliud ea arce Monachos velle, quam ſibi jugum imponeret. Nec contentos tot agris, tot oppidis, quæ à pia Chriſtianorum liberalitate obtinuerant, majorem vi ditionem, potentiamque affectare: quam abſurdum videri, ut qui ſpe celeſtium bonorum, terrenas omnes divitias reliquiſſent, nunc inſtituti immemores eaſdem repeterent. Aquinatium Comitatum tum Athenulphus tenebat, Athenulphi quinti Capuanorum Principis, filiuſne, an frater fuerit, incertum. Pro comperto tamen eſt ex Capuanorum Principum domo originem duxiſſe, ac ab jiſdem Aquinatium Toparchiam obtinuiſſe: ex eoque univerſam Aquinatium familiam uſque ad Thomam, qui hoc temporis Caſtillonii Principatum tenet, continua ſerie profluxiſſe ejus familiæ annales tradunt. Hic tempus opportunum nactus, quo viceſimum octavum Caſſinatium Abbatem Capuani obcæcaverant, valida ſuorum manu, in Caſſinatem ditionem ingreſſus arcem obſedit; brevique expugnatam, à fundamentis evertit ſub annum nongenteſimum nonageſimum ſextum, ex quo facto Summacula, græca appellatione, à popularibus nuncupatus eſt.

Anno Nongenteſimo nonageſimo octavo Gregorius Pontifex mortalitatis jura perſolvit: eique Silveſter II. ſucceſſor datus, à quo Septemviros Auguſtales in Germania conſtitutos, à quibus Romanus Cæſar eligeretur, quidam falsò crediderunt; certum enim apud eruditos multos poſt annos, eam dignitatem Septemviros ob-

ti-

tinuiſſe. Silveſtro Ioannes XVII. ſucceſſit. Porrò Landulphus Salerni Princeps anno M. ab orbe inſtaurato Principatus majeſtatem cum cœnobitica humilitate commutavit: cumque diu, aliorum bono vixiſſet, ſibi, animæque ſuæ commodo, quod vitæ ſupererat, tranſigere conſtituit. Aula igitur, faſtuque repudiato, ad Caſſinates convolavit: à quibus benevolè admiſſus, Religioſo Ordini nomen dedit, inque eo expertus, nihil omninò eſſe, quod tranquillo animo præponi poſſit, & plus ſolidæ in ſe voluptatis Chriſtianam humilitatem, quam regnorum illecebras continere. Principatum Guaimarius, Guaimarii filius ſuſcepit: quidam ex Joanne, qui Landulpho præceſſerat, genitum tradiderunt.

Per idem fermè tempus, quo Niceta ex albo vivorum expunćto, Anonymus quidam Neapolitanam Eccleſiam adminiſtrabat, illud eveniſſe memoriæ proditum, quod hìc referre operæ pretium eſt. Conſtantinopolitanus Imperator Chriſti Servatoris appićtum in tabula ſignum Archiepiſcopo Neapolitano dono miſerat, illud dum è navi edućtum ad Præſulis ædes bajuli deducerent, nimio labore defatigati, ingens enim ſignum erat, in trunco Marmoreæ columnæ, quæ pro foribus D. Marcellini jacebat, tantiſper levaturi laborem depoſuerunt, exin cum reſumpto ſpiritu elevare omnibus viribus conarentur, nullo unquam pacto fieri potuit, ut tabulam è trunco tollerent, id in prodigium vertentes eo loci reliquerunt. Quæ mox in eadem D. Marcellini æde magno populi concurſu collocata, ac piò, religioſèque coli cępta eſt. Quod ubi ad Sylveſtrum Pontificem eſt relatum, hic omnium noxarum veniam jis impertivit, qui eam Servatoris imaginem pio cultu adoraſſent.

Altero poſt milleſimum anno Otho Cæſar Ravenna Romam ad ſedandos novos Romanorum tumultus pergere conſtituit, tum illum Romualdus vir ſanćtiſſimus, Camaldulenſium Inſtitutor, convenit: ac vehementer hortatur, ut expiandi piaculi cauſſa, quo ſe Creſcentis nece obligaverat, ſacrum habitum indueret, ac Monachum profiteretur. Otho, viri ſanćtimoniam veneratus, Faciam, inquit, Pater, cum Ravennam compoſitis rebus, redivero. At Romualdus futuri præſcius: Si Romam, inquit, petiveris, Ravennam non amplius videbis. Otho nihil territus Romam, ut ſtatuerat, armatus vadit. Hic dum jure dicundo, atque urbe ordinanda nimia ſeveritate occupatur, Romani ad arma concurrerunt; militumque aliquot occiſis, ipſum prætorio obſederunt, ex quo iniquis vix conditionibus elapſus, dum Ravennam ire pergit, à Creſcentis uxore, quam ſpe nuptiarum ſtupraverat, & pro concubina uſus fuerat, illitas veneno chirothecas, fatale munus accepit, quibus brevi confećtus XII. Kal: Februarias hujus anni apud Paternum caſtellum juxta ſanćti viri oraculum interiit; cui poſtquam Henricus

con-

conſobrinus juſta perſolvit, imperium ſuſcepit.

Neapoli, Joanne extincto, quo ſub Duce, pacata civitas tum à domeſticis, tum ab externis bellis vacavit, Oligamus Stella in ejus locum ſuffectus; ut author eſt Ælius Marcheſius vir ſingularis elegantiæ, atque eruditionis. Conſules tum fuiſſe Ginellum Capycium, Balthaſſarem Juvenem, & Sarrum Brancatium in vetuſtiſſimis tabulis reperio. Oligami Principatum primus Normannorum adventus, qui per hæc tempora in Italiam appulerunt, inſignem effecit. De his ſuo loco dicemus. Porrò Saraceni, qui vires iterum acceperant, audita Othonis morte, iterum infeſtare Italiæ litora inceperunt. Claſſe in Sicilia, quam pacificè obtinebant, adornata Meſſana ſolvunt, inque Adriaticum ſinum invecti, Barium ex improviſo obſident. Barienſes, qui experti toties erant, quam immanis, ac barbara ea gens eſſet, & quanto Chriſtianos odio perſequeretur, ne iterum in Saracenorum poteſtatem venirent, omnes adhibere conatus ad tuenda mœnia ſtatuerunt. Interea cum longe auxilia Germanorum eſſent, parumque in Græcis ſpei poni poſſet, Legatos Venetias miſerunt; ut quibus tum navibus Adriaticum tuebantur, ſibi ſubſidia inferrent, noviſque amicis opitularentur. Id ad ipſorum tum majeſtatem, tum utilitatem pertinere. Nam ſi barbari eo celeberrimo Adriatici emporio, munimentoque potirentur, & uberes circum campos, quibus commodè alerentur, obtinuiſſent, qua ipſi poſtea ſecuritate commercia exercerent? imo omni Apulia excluſi, Illyrico etiam, & Oriente excluderentur. Perpenderent etiam barbaros eo oppido in poteſtatem redacto, commodè in ipſorum fines excurſuros, Imperiique caput, Venetias invaſuros: ideòque opprimendos principio eos eſſe, qui ſi latius extenderentur, futuri omnibus formidabiles eſſent: Campaniam, & Romanum agrum Neapolitanorum virtute liberata; Venetorum fortitudine ſervari Apuliam facilè ab ea peſte poſſe. His Veneti permoti, claſſem multarum roſtratarum Barium miſerunt. Saraceni Venetorum adventum, & finitimorum vires, quæ jam contrahebantur, pertimeſcentes, obſidione ſtatim ſoluta, Siciliam, re infecta, redierunt.

At quoniam Venetorum mentio facta eſt, non abs re duco, ſi paulum ab inſtituto divertens, eorum exordia, atque incrementa compendio perſtringam, & eo lubentiùs faciam, quod ſæpe hiſtoria in hac noſtra hujus gentis recolenda memoria erit. Henetos antiquos Aſiæ populos fuiſſe, & juxta Galatas, & Paphlagones habitaſſe veteres Geographi tradiderunt. Qui poſt in Italiam commigrantes, eam ſibi partem incolendam elegerunt, quæ inter Alpes, & Atheſim jacet, & ad Hiſtrios uſque ultimos Italiæ populos porrigitur, quam Provinciam Venetiam Romani appellarunt, quique

Digitized by Google

prius Heneti dicebantur, Veneti audiverunt. Gentis præcipuæ urbes Patavium ab Antenore Trojano conditum, Verona, Vincentia, Tarviſium; quibus Aquileja Romana Colonia contra barbarorum excurſiones ædificata, ultimum decus acceſſit. Quæ quamdiu ſtetit, validiſſimum Italiæ munimentum fuit: & per multos ſæpe annos barbaros fatigavit. Cùm verò Hunni, gens immaniſſima, ex penitiſſima barbarie egreſſi, tot nobiliſſimis Europæ provinciis immani furore deſolatis, Italiam intraſſent: & Venetiam, quæ prima eorum impetum excepit, cæde, populatione, incendio vaſtarent; plurimi, qui ea loca incolebant, in proximas paludes confugere: ibique aquis pro munimento uſi, Hunnorum rabiem evaſerunt: primo vix noti, ſua mox tenuitate contempti; cumque agris excluderentur, piſcatione primum, tranſvectandis deinde mercibus, atque exercendis etiam, ubi ampliores fortunæ evaſerunt, vitam mercimoniis egerunt, quibus ditiores facti, in jis Lacunis ſedibus fixis, urbem in mediis aquis raro exemplo, ſed auſpicato poſuerunt. Quæ divitiis aucta, & multitudine habitantium, confluentibus in dies novis populis, jam valida, ac pluribus navibus potens terrori eſſe finitimis cœpit: quorum quoſdam auro, quoſdam vero armis ſuæ ditioni adjecit. Secutis ſubinde temporibus in tantam potentiam evaſerunt, ut jam regibus pares plurima terra, marique bella geſſerint; inque ultimum Orientem ſigna tranſvexerint, ſæpe de Imperio periclitati, feliciter evaſerunt, antiquam Italicæ libertatis gloriam ſoli retinuerunt.

Jam verò, ut ad noſtra revertar, Saraceni, ut acceptam ad Barium ignominiam ſarcirent, inſequenti anno, claſſe inſtructa, in Tarentinum ſinum navigarunt: inque Magnæ Græciæ litus egreſſi, plurima in eo tractu oppida diripuerunt: agroque incenſo, Tarentum ejus provinciæ Principem cæde, & igni miſerè fœdarunt. Neque his contenti, Conſentiam Brutiorum caput, obſederunt. Conſentini fortiter pro patria diu dimicarunt, ſpeque ſubſidii animati ad extremam neceſſitatem redacti, tandem torpentibus Græcis, qui habere potius, quam defendere Italiam volebant; nec ſatis ipſis Italis concordibus(ut qui barbaris Principibus oppreſſi)deditionem facere coacti ſunt. At Saraceni, quibus nulla fides, nulla religio, contra pactas conditiones, divina, humanaque omnia diripuerunt. Nec tùm Salernitani à Saracenorum armis liberi fuerunt. Siquidem in Pæſtanum ſinum delati, plurima ejus litoris loca expugnarunt; nec longè à Salerno, cujus obſidionem meditabantur, caſtra poſuerunt. Dum autem Guaimarius arma ad defendendam urbem parat, XL. Normanni ex Hieroſolymitana peregrinatione, quam ex voto ſuſceperant, in Europam redeuntes, Salernum appulerunt. Hic animadvertentes eam regionem à Saracenis vaſtari,

ſtari, ſoreque, ut brevi urbs à barbaris obſideretur, Guaimarium Principem adeunt, eumque rogant, ut arma, & equos ſubminiſtret, velle ſe in communes Fidei hoſtes decertare, idque urbi utile futurum, de Superum benignitate ſperare. Guaimarius homines benignè complexus, collaudatoque conſilio, dari eis arma, & equos juſſit. Normanni armis induti, equiſque conſcenſis, urbe egrediuntur, inque Saracenos procedunt, cum quibus certamine inito, acriter dimicarunt; multoſque illorum occiderunt, aſſumptiſque cæſorum ſpoliis, victores in urbem redierunt, in quam tùm à Principe, tùm à populo triumphantium more recepti, magniſque laudibus exornati. Guaimarius illorum virtutem admiratus ſummoperè rogavit; ut ea in urbe ſedem figerent, egregiam in hoſtes operam navaturi: ſe domos, & ſtipendia præbiturum: utque eos alliceret, magnis è veſtigio muneribus donat. Illi nihil in eo facto niſi Numinis gloriam, & ejus populi commoda ſe quæſiviſſe profeſſi, & ſedes, quas offerebat, & munera, quibus donabantur, raro moderationis exemplo reſpuerunt: conſcenſiſque navibus domum navigarunt. In Caſſinatium annalibus id in annum quintum ſupra milleſimum incidiſſe ſcriptum reperio. Alii obſeſſum tum à Saracenis Salernum; inq; ea obſidione plurimum Normannos ad expellendos hoſtes valuiſſe ſcripſerunt, quod verò ſimilius videtur. Quo enim pacto XL. viri numeroſum Saracenorum exercitum deleviſſent, nullo ex ſuis deſiderato, ut alii memoriæ tradiderunt, ni forte velitatio ea fuit, non juſtum certamen. Guaimarius cum à Normannis, ut apud ſe ſubſiſterent, impetrare non potuiſſet, Legatos in Galliam mittit, qui eam gentem in Italiam invitaret: plurimaque Italiæ munera, quibus allecti incitarentur, tranſportari ad illos jubet, neſciens futuros mox dominos, quos ipſe adjungi ſibi ſocios cupiebat: nec omnes eam modeſtiam exhibituros, quam peregrini illi prætuliſſent. Sed cùm ex eadem Septentrionali plaga ipſe oriundus eſſet, contribules ſuos in Italiæ poſſeſſionem advocabat. Sic miſeræ Provinciæ ferebat fortuna, ut poſt Romanorum interitum, perpetuis fluctibus jactaretur. Per eos dies, quibus Legati Normanniam pervenerunt, inter duos ejus gentis nobiles viros ingens exortum diſſidium eſt. Erant hi Gilbertus Batterius, & Gulielmus Ripoſtellus, qui litem barbarico more decernere cupientes, armati in campum prodierunt, initaque pugna Gulielmus occiſus. Robertus Gentium Dux, re comperta, comprehendi Gilbertum mandavit, defuncti necem legê ulturus. Gilbertus, cognita à Legatis Guaimarii voluntate, uti ea occaſione ſtatuit: ita enim ſuo commodo fieri, ut imminentem ſuo capiti calamitatem depelleret, & novas ſedes, quæ ultro offerebantur, acquireret. Quocirca quatuor ſecum fratribus Rainulpho, Oſmundo, Aſcletino, & Rodulpho, aliiſque

triginta Normannis aſſumptis, quæque pretioſiora aſportari commodè poterant ſecum ducens, in Italiam venit. Capuæ à Pandulpho ſumma benevolentia excepti, ac magnificè tractati, interque aulæ primos numerati ſunt. Atque hic primus è Gallia in Italiam Normannorum adventus fuit: de tempore variant authores, quod in rebus vetuſtate obſitis plerumque contigit.

Anno MIX., quo Joanne XVII. extincto, Sergius IV. Pontificatum inivit, ingens annonæ caritas Neapolim, & univerſam Campaniam fatigavit, cui ſubveniendæ Oligamus Dux magnopere laboravit: nullaque pecuniæ ratione habita, Beneventanas in valles, atque ea loca, in quibus major tritici, aliarumque rerum copia eſſe ferebatur, mercatores miſit; ut neceſſaria omni ope, induſtriaque compararent. Extat hujus Ducis hac de re ſacrum vetuſtate diploma, ejuſque meminit Ælius Marcheſius, de quo viro mentionem ſuperius fecimus. Qua Oligami ſollicitudine ita inopiæ ſubventum, ut nullus ob id tumultus, ut ſæpe in his evenire neceſſitatibus ſolet, à plebe excitatus ſit. Siquidem nullum majus civicæ quietis vinculum, quam rerum affluentia: nec major quam indigentia, turbarum fomes eſt. Plurimum etiam ad ſublevandam urbem Sergii Præſulis, qui tum Eccleſiæ præerat, vigilantia profuit: nam & Ducem, & Primores civitatis, quà verbis, quà exemplo ad comparandam annonam incitavit.

Intereà Græcorum res in Italia ſub Baſilio, & Conſtantino iterum aſſurgere cœperunt. Etenim novis ab Oriente legionibus acceptis, & Ruſſorum, ac Julianorum opera, qui potentes apud Brutios erant, Saracenis, ac Germanis ejectis, Calabriam, & Apuliam receperant. Novus Præfectus Catapanus vocabatur, à quo Daunia Apulia, ac Samnii pars Catapanata minoribus dicta. Trojam, aliaq; oppida, ut pro munimentis eſſent, condiderant. His ſecundis rebus elati (vitio humani generis, ut qui felicius vicerit, impotentius dominetur) ſæviore quam antea dominatione populos premebant; plurimiſque Germanorum, ac Saracenorum deſiderium injecerunt. Nam ubi æquum imperium non eſt, intolerabile efficitur: nec diuturna ea dominatio eſſe poteſt, quæ tyrannidi proxima, odia ſibi populorum, non amores conciliat: & præſentia majori animos ſenſu, quam præterita afficiunt. Hac impotenti dominandi ratione duos præcipuè in ſe Græci concitarunt: Nobiles hi Barienſes, ſummæque apud ſuos authoritatis, Melus, & Datus vocati, qui indociles Græcorum faſtum, ac ſuperbiam pati; nec ſatis animo perpendentes non meliorem in aliis moderationem futuram, ut ſunt præcipitis conſilii mortales, in illos conjurarunt, plurimoſque ad ſuas partes trahere conati ſunt. Barienſes veriti, ne ſi res ſucceſſu careret, ut plerumque cadit, in eorum urbem iram omnem Græci

evomerent, conſilio inter Primores inito, Melum, & Datum prodere ſtatuerunt. Id cum Melus ſagacioris ingenii vir reſciviſſet, Aſculum Apulum fugit, inde quoniam non ſatis tutum perfugium illud ducebat, Beneventum ſe tranſtulit. Datus nec ipſe impiger, fugam arripuit: Caſſinumque pervenit, ibique Athenulphi Abbatis, Pandulphi Capuani Principis germani, opem imploravit. Hic Datum ad Liris arcem, quam Saracenis ejectis, Pontifex præſidio firmaverat, tranſmiſit. In ea arce Benedictus VIII., qui Sergio ſucceſſerat, Datum ſuſtentavit, & à Græcorum injuria, violentiaq; protexit. Barienſes Meli conjugem Marantam, & Argirum filium Conſtantinopolim ad Cæſares miſerant. Ipſe Benevento Capuam progreſſus, in Normannos, qui unà cum Gilberto venerat, oſtendit: uti his familiariter cepit, cumque illis amicitiam inivit, qua ſtabilita, Salernum proceſſit; multoſque ibi, & in vicinis locis ſibi ſocios adjunxit. Poſtea verò quam pluribus ſe ſtipatum vidit, ut juſto prælio decernere cum inimicis poſſet, incredibili celeritate, Grecorum fines ingreſſus plurima oppida cepit, quæ odio Græcorum facilè in deditionem venerunt. Bojanus (Bubuganum Sigonius vocat) qui tum Apuliam adminiſtrabat, cohortibus aliquot ſuorum contractis obviam Melo proceſſit, qui de ſumma rerum acie decertare non dubitavit. Primum ad Tremulam, ſecundò ad Civitatem, tertiò ad Vaccaricciam proſperè cum Græcis dimicavit. Quibus ſucceſſibus audacior factus, iterum ad Cannas, Romanorum clade nobilem vicum, Græcos adortus, victus ipſe, etſi fortiter pugnaſſet, acie fuit, quæque acquiſiverat oppida unà cum exercitu amiſit, felicior ſi prima contentus fortuna, lentiùs feſtinaſſet. Accidit ea Meli clades ſub Kal:Octobris anni duodeviceſimi ſupra milleſimum, in qua Normanni fere omnes occiſi ſunt, qui pauci ſuperfuerunt partim Capuano, partim Salernitano Principi à Melo commendati: ipſe in Germaniam profectus, ut Henricum Imperatorem in Græcos incitaret.

Græci etſi plurimos in ea pugna ex ſuis deſideraſsent, uſi tamen victoriæ fama, plurima munita Apuliæ loca ſubegerunt. Pandulphus Capuanus veritus ne victores Græci impetum in ſuam ditionem facerent, ſe ultro in eorum clientelam tradidit: clavibuſq; aureis ad Ceſares in Orientem miſſis, ſe, & ſua in illorum poteſtate eſſe profeſſus. Tum Bojanus uſus occaſione, ad Pandulphum ſcripſit, ut ſi teſtari ſinceram erga Cæſares fidem vellet, Datum ſibi traderet, & ut facilius hominem impelleret, plurimam ei pecuniam tranſmiſit. Pandulphus, & Græcorum timore, & pecunia illectus, armatos miſit, qui Datum nihil tale ſuſpicantem comprehenderent. Qui licet diu reluctatus fuiſſet, captus tamen, & ad Bojanum miſſus eſt. Sigonius ipſum Græcum Prætorem cum legione Lirim,

Pan-

Pandulpho tranſitum prębente, profectum, arcemque bidui oppugnatione cepiſſe; Normannorumq; præcipuis ad Athenulphum Abbatem dimiſſis, Datum captivum Barium duxiſſe, hic miſerum hominem culeo incluſum, antiqua parricidarum pęna, in mare dejeciſse, memoriæ prodidit. Athenulphus verò ex ſuorum ſententia Pintalario in oppido, contra vim Comitum Aquinatium, qui cœnobii ditionem quotidie infeſtabant, Normannos collocavit. At Melus, qui jam è Germania rediverat, audita Dati nece, & Pandulphi defectione, iterum ad Henricum pergere inſtitit: in itinere diem obiiſſe Sigonius ſcripſit: alii in Germaniam incolumem perveniſse memorię tradiderunt. Alii etſi Barii natum Longobardum tamen genere faciunt; initamque ab eo cum Normannis ſocietatem anno MXVIII., primumque illorum Ducem in Apulia contra Gręcos fuiſse; apud Henricum Cęſarem anno MXXI. diem objiſse, regiaque pompa ab eodem Henrico elatum memoriæ mandarunt.

Porrò Henricus, qui anno MXIV. unà cum Cunegunde uxore Auguſtalia à Benedicto Pontifice acceperat, & Ardoino victo, citeriorem Italiam pacaverat, cognitis Gręcorum rebus, maturè occurrendum ei incendio duxit, ne, ſi negligeretur, ſe latius extenderet: neque enim putandum; ut Gręci victoria inſolentes, ſe intra Apulię terminos continerent; imo Pandulpho ad ſuas partes pertracto, jam Romæ imminere videbantur: non alienum ab illis Salernitanum Principem eſse: & Neapolim Græcam urbem, & alias etiam Gręci moris ſtudioſas eſſe; quibus non exiguam illis acceſſionem futuram. His igitur de cauſſis Cęſar permotus, delectum habere, apparatum adornare magno conatu pergit. Inde maturo vere anni MXXII. unà cum Piligrino Archiepiſcopo Colonienſi, & Poppone Aquilejenſi, Alpes trajecit, citeriorſque Italiæ motibus compoſitis, in Apuliam caſtra movit: ut verò iter commodè faceret, exercitum in tres partes diviſit: unam ipſe per Picenos duxit, Trojam, quæ à Græcis ſummis viribus muniebatur oppugnaturus. Popponi ſecundam, in qua XI. millia armatorum erant, ductandam tradidit, ac per Marſorum fines ire jubet. Tertiam, in qua XX. militum millia numerabantur, Piligrino dedit: eumque Romam contendere præcipit: ut inde in Campaniam contra Athenulphum Caſſinatem, & Pandulphum Capuanum inſimulatos, quod Datum contra fidem Græcis prodidiſſent, copias duceret. Athenulphus, ut eam ab ſe procellam averteret, Hydruntum petiit: ibique navi conſcenſa ad Cæſarem Conſtantinopolitanum ire perrexit. Verum ſæviſſima tempeſtate oborta, unà cum ſuis ſubmerſus eſt; pęnaſque criminis luit. Cui ſatius fuiſſet, ſi terrenarum rerum curis, quibus monaſtichum inſtitutum profeſſus, nuncium remiſerat, nunquam ſe iterum immiſcuiſſet, nec eum principatum

cœ-

cœnobita affectaſſet, quem fratri natura tribuerat. Piligrinus fuga Abbatis comperta, veritus ne Pandulphus ſimili arte effugeret, nulla militi mora ad ſe reficiendum data, Capuam duxit: eamque illico corona circumdedit. Princeps de ſuorum fide parum ſecurus, noluit in ultimos ſe caſus conjicere, ultro obviam Piligrino proceſſit: aſſerens ſe nunquam in Dati necem conſenſiſſe: quæque ei crimina objiciebantur, ſe apud Henricum manifeſtis argumentis diluturum. Piligrinus Pandulphum in fidem acceptum ad Henricum, qui Trojam obſidebat, deduxit. Henricus haberi quæſtionem juſſit, in qua cùm nihil ex jis, quibus obruebatur, ſatis elueret, capitis omnium ſuffragio damnatus. Ne verò in eum lictor lege ageret, & ſuis, & ſuorum precibus Piligrinus, cujus ille ſe fidei commendaverat, obtinuit: in vinculis tamen habitus, atq; in Germaniam relegatus. Interea Trojani omnium rerum inopia preſſi, ſe Henrico tradiderunt. Qui Troja movens Salernum proceſſit; nec longe ab ea urbe cum Græcis ſecundo prælio conflixit, ibique ædem Virgini ob relatam victoriam dedicavit. Ex acie Capuam venit, ut milites æſtus magnitudine laborantes reficeret. Ibi Pandulphum Sidicinorum Comitem Principem conſtituit: Stephanum, & Petrum Meli nepotes Comites creavit, eiſque ſocios reliquit Giſelbertum, Goſmanum, Stigandum, Torſtamum, Baldum, Gualterium Canuſinum, & Hugonem cum duodeviginti Normannis; ut eorum ope paterna bona recuperarent. Milite refecto, unà cum Benedicto Pontifice, qui Capuæ erat, Caſſinas cœnobium petivit. Ibi Monachos comitia habere juſſit, in quibus Theobaldus Abbas renunciatus, qui è veſtigio à Benedicto eſt inunctus. Tandem calculi dolore à D.Benedicto exemptus, munificè cœnobium donavit: Romamque profectus in ſequenti anno religioſiſſimus Princeps Cunegundem uxorem raro exemplo virginem virgo reliquit: mortalitatemque exutus, in Divos relatus eſt. Græci occaſionem nacti, Trojam illicò receperunt, & novis mœnibus cinxerunt, Dragonariam, Florentinum, Civitatem extruxerunt: novoſque ad inhabitandum incolas deduxerunt, ſpecie, ut tutius, è vicis in munitas arces inducti, viverent: re vera; ut in officio continerentur. Quibus rebus creſcere potentia Græcorum cœpit, dum interea hæ miſeræ Provinciæ reciproco bellorum æſtu barbarorum rapinis vexabantur.

* * * * * * *

HI-

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ

LIBER NONUS.

OBſcura hactenus Normannorum exordia, & tenues admodum res hiſtoriæ mandavimus: quibus nunc bellis illorũ nomen inclaruerit, & quibus ſucceſſibus exiguus initio Principatus in ampliſſimum regnum excreverit; tradere poſteris ordimur. Nulla profecto gens extitit, ſi Romanos excipias, quæ ab adeo parvis principiis in tantam potentiam evaſerit. Cæteræ barbarorum nationes inundante multitudine regnum conſtituerunt: Hi pauci admodum in cultiſſima Italiæ parte, tot urbibus, tot gentibus, totque armis potente, cum fortiſſimis hoſtibus dimicantes, ampliſſimam ditionem adepti ſunt. Nempe mutua diſcordium populorum odia proprias vires attriverant, barbariſque gradum ad imperium fecerunt: & ne unus ex popularibus regnaret, ignotis ſervire hominibus maluerunt. Juvit etiam diſpoſitio Numinis, cujus nutu exordium, incrementum, finemque Principatus accipiunt. Cæterum Normanni Gothica gens, quæ ex magna Septentrionalis plagæ peniſula Scandia, & Scandinavia, ut ſuperius diximus, nuncupata, turmatim egreſſa, eam Germaniæ partem occupavit, quæ proxima in Oceanum excurrens Balthicum ad Orientem, Germanicum ad Occidentem ſinum habet; Cimbrica Cherſo-

ne-

Digitized by Google

neſus antiquis Geographis appellata. Cimbri illam vetuſtiſſimis temporibus incoluerunt: qui olim tędio patrii ſoli in Italiam deſcenderunt, magnaque in ipſis Alpibus occidione deleti. Nempe alia tùm concordibus populis Italiæ fortuna, & virtus erat. Normanni, Cimbria occupata, ſedes fixerunt: tellus Dania deinde vocata: ipſi Normanni quaſi Septentrionales homines nuncupati. Cum autem paulatim pollere navibus cępiſſent, in vicinas ſæpe Provincias prędandi cupidine, quæ potiſſima barbaris bellandi cauſa, navigarunt. In Britanniam non ſemel ingreſſi, plurima cum ea gente bella geſſerunt. Anno DCCCLXXXII., ut Briettius author eſt, in Galliam terreſtri itinere irruperunt: omniaque cis Matronam depopulati, ingentes prędas abegerunt. Ad famam novæ irruptionis Carolus Craſſus Imperator excitatus, ex Italia in Galliam contra eos graſſatores illicò magnis itineribus movit, illos in eo loco, in quo vim depulſuri ſe muniverant aſſecutus, ſtatim obſedit: ne verò ad unum deleret, grandine inſuetæ magnitudinis impeditum ferunt. Secuta deinde militum lues, qua plurimi in dies efferebantur, quæ cum Normannos etiam affligeret, his conditionibus pax inita: Godefrido eorum Duci, quem Chriſtianis ſacris imbutum perhibent, Giſla Lotharii Regis filia nuberet; pro dote Friſia ad inhabitandum concederetur: addita ingens pecunia, qua empta potius, quam data ea pax fuit. Quæ tamen, varium quoniam, & inquietum mortalium ingenium eſt, nec certis ſe finibus continere ambitio unquam regnandi potuit; perpetua non manſit. Quintum poſt annum, ingenti claſſe adornata, Majorem Britanniam, & Gallias aggreſſi, fęde vaſtarunt, in Minorem inde Britanniam irrumpentes cædes, atque incendia cunctis ejus Provinciæ populis minabantur. Alanus Dux cum armatis occurrit, acieque cum barbaris dimicaturus, decimas bonorum ſuorum D. Petro vovit, ſi victor ex eo prẹlio rediiſſet. Voto concepto, ingenti ſpe plenus hoſtes invaſit, & quamquam fortiter decertaſſent, memoranda ſtrage victos ad extremum concidit; ut ex XV. millibus, vix CD. ſuperfuerint. Alanus victoria potitus ſe voto ſolvit, atque inſigne poſteris exemplum reliquit, eos victores ex barbaris futuros, quibus Superi piè nuncupati, opitulatores veniſſent. At non barbari ea clade attriti quieverunt; ſiquidem immenſa penè multitudo damna penſabat. Rollo, quem Daniæ Rex filio Bergoſtæ expeditionis Comitem dederat, magnis copiis Galliam invaſit, eamque illius partem, quæ inter Sequanam, & Matronam amnes ad Germanicum Oceanum excurrit, armis occupavit, mortuoque Bergoſta, ipſe ejus regionis Principatum ſuſcepit. Carolus cognomento Simplex, cum reſiſtere hoſti non poſſet, & amicum, & affinem ſibi aſcivit: initum inter Carolum, & Rollonem his conditionibus eſt fędus: Rollo Chriſto no-

nomen daret, Carolique filiam uxorem duceret: eam Provinciam; quam acceperat, Ducis titulo retineret: pacem cum Carolo perpetuam coleret. Icto fœdere, ſacris aquis luſtratus, ac Robertus de nomine Comitis Pictavienſis, qui eum baptiſmo ſuſceperat, vocatus eſt. Ipſe eam Provinciam è gentis cognomine Normanniam appellavit. Id anno DCDXII. accidiſſe Briettius author eſt, alii variant, ut in antiquis rebus uſu venit. Ex hoc primo Normanniæ Duce Gulielmus exortus eſt, quem pater Altævillæ, quod ejus Provinciæ oppidum, Comitem creavit. Hic Riccardum genuit: ex quo inde Robertus, & Riccardus alter procreati. Ex hoc Riccardo tertius fluxit, unà cum Roberto, & Gulielmo II. Hic ultimus, qui V. Normanniæ Dux fuit, inter cæteros liberos Tancredum Altævillæ Comitem procreavit. Tancredus duas uxores Moriſellam, & Fraſendam duxit. Ex prima Gulielmum, cui à ferreo brachio agnomen inter populares fuit, Dogronem, Unfredum, Gonfredum, & Serlonem ſuſcepit. Secunda Robertum cognomento Guiſcardum, Malgerium, Gulielmum alterum, Alveradum, Umbertum, Tancredum, & Rugerium ei peperit. XII. numero liberi extiterunt, de quorum nominibus Scriptores variant: mihi non videtur de nominibus diſceptandum. Atque hunc ortum Normanni in Gallia habuerunt, qua occaſione in Italiam venerint, modo memoratum eſt: quibus verò auſpiciis Regnum fundaverint, & quot illud annos tenuerint, hinc dicere ordiemur.

Primum verò operæ pretium duco, ſi, quis tum ulterioris Italiæ ſtatus fuerit, præ oculis legenti ponam: ut quæ dicenda deinceps ſunt, commodè intelligantur. Duo tum in ea celebres Principatus exiſtebant Capuanus, & Salernitanus. Primus plurimam Campaniæ partem, Volſcorum, & Auſonum terras, vetus Samnium, cum Principe Benevento, nec exiguam cis Apenninum Veſtinorum, ac Pelignorum portionem complectebatur: terminoſque à Neapolitanorum finibus Sipontum uſque extendebat. Salernitanus Picentinos, ac Lucanos Metapuntum uſque, & Sarnum amnem ditione obtinebat: ex qua parte Neapolitanorum, & Amalphitanorum finibus terminabatur. Reſpublicæ tres erant: Neapolitana, quæ à Sarno ad Clanium amnem terminos extendebat ſuos; omnemque Crateris oram, Surrentum, vicinas inſulas, & Cumas poſſidebat. Fuerint etiamnum liberi Puteolani, an verò Neapolitanis adjuncti, incertum eſt. Amalphitani ab Athęneo ad Salernum uſque imperitabant. Cajetani à Formijs ad Circęum montem oram tenebant, quibus tum Joannes Dux jura dicebat. Caſſinates Monachi omnem circa regiunculam cum plurimis oppidis occupabant: & quemadmodum Sangallenſes in Germania Abbates, liberi dominabantur. Ultra Lirim Fundanus Comes erat, qui Capuano parebat:

bati Cis verò ad Vulturnum uſque Theanenſis, & Aquinas Comites regnabant; qui ex Salernitanis Principibus orti liberam ditionem obtinebant, in Apennino Marſorum Comes, Valvæ, & Æſerniæ Toparcha: ultra Theatinus, aliique liberi, & ipſi jus populis dicebant: in Campanorum finibus Alliphenſis Comes, & Caſertanus, Armanteranus, & Calenus Capuano Principi ſubjecti ſuas ditiones tenebant. Univerſam Apuliam, Japygiam, Meſſapiam, & utramq; Calabriam, cum parte Lucaniæ, quæ ad Jonium mare vergit, Orientales Cæſares poſſidebant. Atque hæc infelicis terræ conditio ea ætate erat, qua ex Gallia Normanni appulerunt, ad quos, ut hiſtoriæ ſtylum transferamus, tempus eſt.

Duodecim ex Tancredo liberi, cum militari ſcientia magnopere profeciſſent, & multis jam emeritis ſtipendiis plurimam ſibi gloriam comparaſſent, ad majora animum intenderunt. Cùm eam, quam incolebant, terram nimis anguſtam tot viris eſſe animadverterent, atque ob id quotidie inter eas gentes pro agrorum diviſione lites feri, ac perpetua fermè jurgia vicinorum eſſe; conſilio inter ſe inito, aliò commigrare ſtatuerunt, eamque ſibi ſedem quærere, quam vel Deus, vel ſua cuique virtus dediſſet. Duo ex his majores natu Gulielmus, & Drogo, paterno ſolo relicto, diu vagi per varias terrarum plagas errarunt, tandem in ulteriorem Italiam forte delati, Campaniam tenuerunt. Hic audito inter Capuanum, ac Salernitanum Principes lites eſſe, occaſionem eam rei benè gerendæ arbitrati, non omittendam putaverunt. Capuam pergunt, Principem adeunt, eique operam ſuam locant. Hic ſuas tam egregiè partes expleverunt; ut eorum virtute ſæpius Capuani, victoriam retulerint, cæſorumque hoſtium ſpoliis onuſti Capuam rediverint. Pandulphus non ſatis erga hoſpites grato ſe animo exhibuit: nec ſtipendia pro merito perſolvit. Id illi ægrè ferentes, eo relicto, ad Salernitanum ſe contulerunt. Guaimarius, Pandulpho prudentior, viros honorificè excepit, munificèque donavit. Normanni alacres Principis beneficentia facti, ſæpe in Campanos, ac Beneventanos fines excurrentes, prædas plurimas abegerunt.

Interea Henrico ad Superos evocato, Conradus Franconiæ Dux, ejuſdem Henrici judicio, Imperator ſalutatus, anno MXXIV. Apud novum Cæſarem magnis precibus Guaimarius inſtitit, ut Pandulphum generum ſuum ab Henrico in Germaniam in vinculis relegatum, libertati reſtitueret: nec fineret virum adeo illuſtrem carceris ſqualore, in quo duos jam annos toleraverat, diutius ſordere. Conradus, ut grata populis initia principatus redderet, clementiaque cohoneſtaret, Pandulphum emiſit: neſciens hujus libertate, alterius, quem in altiorem Henricus fortunam evexerat, ruinam moliri. Cavendum quippe Principibus, ne nimia clementia, perni-

cies gentibus inferatur. Pandulphus ſimul atque Italiam adivit; copias contraxit, aſcitiſque Normannorum, Salernitanorumque auxiliis, ac valida Græcorum manu fultus, Capuam obſedit. Pandulphus Theanenſis deſperans ſe urbem tueri poſſe, cujus jam cives prioris domini deſiderio teneri cęperant, ſe Bojano Græco Prætori commendavit. Cujus authoritate obtinuit, ut unà cum liberis, & conjuge liber ex urbe dimiſſus Neapolim deduceretur. Neapoli Oligamo extincto, Sergius Dux Rempublicam adminiſtrabat, qui Pandulphum benevolè ſuſcepit. Id verò eximiæ humanitatis exemplum, & Sergio Duci, & Neapolitanis magnam perniciem conflavit. Pandulphus, apud quem plus ira, atque ambitio, quam humanitas valebat; ſequenti anno, ex improviſo Neapolim adortus, facilè intercepit. Pandulphus Theanenſis poſtquam tres annos Capuæ Principatum obtinuiſſet, navi elapſus, Romam petiit, ibique non multo poſt mœrore confectus interiit. Longius, ac felicius victurus, ſi parvo contentus eſſe voluiſſet.

Hæc circiter tempora Averſam urbem exordia habuiſſe apud Scriptores invenio, etſi de anno, & authore varient. Gulielmus Apulus eorum temporum Scriptor, memoriæ tradidit, Normannos poſt Cannenſem cladem, cùm auxilia ab Henrico ſe accepturos deſperarent, relicta Apulia, in Campaniam veniſſe: hic cum non ſatis indigenis fiderent, in ſylvis primum, ac montibus vitam tranſduxiſſe; tandem rerum omnium inopia preſſos, ad Capuanum Principem transfugiſſe, ſtipendia apud eum facturos, ſedemque ubi conſiſterent petiiſse, idque facilè ab eo impetraſſe. Inde quendam locum, & arboribus conſitum, & campis feracem, ac ſaliente etiam irriguum conſpicati, illum ſibi ad incolendum deſignarunt. Hunc eum extitiſſe, quidam putant, qui Pons ad Silicem popularibus appellatur. Dum verò ſedes diſponunt, domos ædificant; paludibus illum, raniſque obnoxium animadvertunt; ideoque eo relicto, alterum nòn longè ab antiqua Atella elegerunt: ibique novum oppidum Averſam inſtruxerunt, ejuſque Dominum Rainulphum ex quinque fratribus majorem natu conſtituerunt.

Interea Sergius, milite ex vicinis locis, quæ Neapolitanorum ditionis erant, contracto, auxiliiſque ſibi Normannorum adjunctis, Neapolim movit: machiniſque admotis, muros quatere exorſus eſt. Tum qui præſidio urbi erant, veriti ne ſimul ab hoſtibus, atque à civibus, quos recuperandæ libertatis ſtudioſiſſimos compererant, eodem tempore peterentur, urbem æquis conditionibus Sergio tradiderunt, ipſi liberi cum faſcibus dimiſſi, & ad fines uſque Capuanorum deducti. Sergius urbem triennio poſtquam pulſus ex ea fuerat, victor ingreſſus: reſtitutæque libertatis aſſertor magno à civibus plauſu ſalutatus eſt. Ut verò opes ſuas Normannorum, quorum

rum potentia jam creſcere incœperat, affinitate firmaret, Rainulphum ſibi generum aſcivit; atque Averſani Comitis titulo decoravit: quam poteſtatem tum Neapolitani Duces uſurpabant, & ſubjectus Neapolitanis is locus erat, in quo nova urbs eſt condita; ut Villanus in annalibus author eſt. Eum verò titulum Conradus Cæſar Rainulpho confirmavit. Neapolitani non ſolum urbem ædificari permiſerunt: ſed gratum etiam habuerunt; rati validum adverſus Capuanos munimentum futurum, ex quo factum oppido nomen perhibetur. Rainulphus poſtquam novæ urbis mœnia complevit, nuncios ad ſuos in Galliam miſit, eoſque ad novas terras incolendas invitavit: eſſe eas, & rerum omnium feraciſſimas, & Cęli clementia, & ſitus opportunitate, cunctis anteferendas. Et quoniam ita hominum ingenium eſt, ut ad novas res unuſquiſque facilè trahatur, & ſpe melioris fortunæ vehementer incitetur; Unfredus Tancredi filius, aliique plurimi, paternis laribus relictis, in hæc loca commigrarunt. Quibus Rainulphus auctus, & valida Italorum manu ſibi adjuncta, in Apuliam movit. Sipontum, quod Saraceni occupaverant, corona circumdedit: barbari principio fortiter oppugnationem ſuſtinuerunt: inde auxiliorum ſpe deſtituti, urbem Rainulpho dediderunt: ea occupata omnem Garganum in poteſtatem Rainulphus habuit: præſidio urbi impoſito, Saracenorum ſpoliis, & multa gloria onuſtus, Averſam ad Principatus ſui ſedem reverſus eſt. At Pandulphus Neapoli expulſus, cum ſe Normannorum principiis opponere totis viribus debuiſſet, in Caſſinas Monaſterium iram omnem percitus evomuit. Et quamquam Theobaldus Abbas ope Sergii Ducis Capua elapſus, in Picenos ad privatam vitam ſe contuliſſet, eumque vehementer Monachi rogarent, ut ab inferendis injuriis deſiſteret, ipſe nunquam à vi, injuriſque ceſſavit. Sacra vaſa, ac pretioſa Eccleſiarum ornamenta abripuit, loca plurima occupavit, Monachorumque vernas, ac famulos captivos abduxit. Nec Joannes XX., qui anno MXXIV. Benedicto ſucceſſerat; nec Benedictus IX., qui, illo extincto, anno MXXXIV. Pontificatum inierat, à Cœnobitis rogati, opem tulerunt. Monachi in extremam neceſſitatem redacti ad Conradum Cæſarem, qui jam anno MXXVII. Romæ Auguſtalia acceperat; atque iterum hoc anno MXXXVIII. in Italiam deſcenderat, & Mediolani juri dicundo ſedebat, confugerunt. Cæſar, auditis Monachorum querelis, Senatum habuit, in quo cum de Pandulpho retuliſſet, decretum, ut ſtatim moneretur, ut quæ ſacra vaſa, aliaque pretioſa ab Eccleſiis abſtuliſſet, reſtitueret: captivos in libertatem emitteret; loca, quæ occupaverat, Monachis redderet; ſi ſecus vi ſe adigendum ſciret. Miſſi deinde Legati, qui juſſa Pandulpho ferrent. Qui cum pervicax imperata facere recuſaſſet, iram in ſe Cæſaris conci-

tavit. Conradus, cognita Pandulphi pertinacia, è Ciſalpinis in Campaniam magnis itineribus movit. Caſſinum primò cùm Gilſa uxore adivit: ibique D. Benedictum piè veneratus, auditiſque iterum Cœnobitarum querelis, Capuam copias duxit. Pandulphus cum ſe imparem hoſti videret in munitiſſimam D. Agatæ arcem unà cum Baſilio Antiſtite, quem, Adenulpho in carcerem conjecto, ſubrogaverat, confugit. Cæſar Capuam ingreſſus prid. Pentecoſtes: poſtridie ad veterem Capuam caſtra metavit. Hic Monachis petentibus Richerium Leonenſem Abbatem conſtituit. At Pandulphus neceſſitate fractus Legatum ad Cæſarem mittit, qui illi tria millia librarum auri offerret, ſi in gratiam reciperetur. Conradus poſtulato annuit: pecuniæque pars miſſa ſtatim eſt, dum verò moras nectit, ſperans fore, ut illius abſceſſu cuncta recuperaret, Cæſar illum in ordinem redegit, ne verò Guaimarii ope Principatum recuperaret, ipſum Guaimarium Capuæ Principem conſtituit. Mox Adenulpho Præſule in libertatem reſtituto, Beneventum movit, S. Agatæ fano, ne in illius oppugnatione tempus tereret, omiſſo. Inde per Adriatici oram ducere exercitum inſtitit, quem tam atrox peſtilentia invaſit, ut penè univerſus interierit. Ipſe in Germaniam reverſus ſequenti anno apud Friſios diem obivit. Quo extincto, Henricus filius poſtquam patri juſta perſolviſſet, Imperium ſuſcepit. Pandulphus filio in ea arce relicto, in Græciam, ad implorandam Conſtantinopolitani Imperatoris opem navigavit. Verum Guaimarius nova tanti Principatus acceſſione in ſummam potentiam evaſit; & ſi concordes ſub eo populi fuiſſent, ejici tum Græci ex Apulia poterant, atque etiam nunc ulterior hæc Italiæ pars, in unum regnum coaleſcere; at fortuna Longobardorum pertæſa, id Normannis deſtinaverat.

At non concordes eorum eſſe animi poterant, quos privata commoda, ac propriæ ditionis augendæ cupido incendebat; perpetuaque æmulatione agitabantur. Aquinatium, Marſorumque Comites Pandulphi partes ſequebantur; Theanenſis, atque Abbas Caſſinatium Guaimario adhærebant, tantumque odia incrementum acceperant, ut ad arma concurrerint. Aquinas, & Marſus in Caſſinatium fines ingreſſi ad Liris ripam conſederunt: ibique decem ſtativa dies habuerunt. Ligneo deinde ponte conſtrato trajecerunt, hoſteſque ex improviſo adorti, magna clade deleverunt: Richerius Abbas in acie captus, Theanenſis Caſſinum perfugit. Aquinas victoria uſus D. Angeli fanum expugnavit. Dum verò in Campania iſto res modo vertebantur, hæc Orientis fortuna fuerat: Conſtantino extincto, Romanus III. Imperium anno MXXIX. ſuſceperat. Quo Zoës Auguſtæ nequiſſimæ feminæ fraude ſublato, anno MXXXV. Michael IV. Paphlagon Imperium occupaverat. Pandulphus

Digitized by Google

phus ubi Conſtantinopolim tenuit, Cæſarem ſupplex adivit, ejuſq; opem imploravit. At Michael à Guaimario de hominis improbitate certior factus, illum acerbè accepit: inque obſcurum locum relegavit, ex quo, ut ſuo loco dicetur, aſtutus homo viam tandem ad libertatem, atque antiquam dominationem invenit.

Porrò Michael, ut exordia Principatus, & victoriis, & Provinciarum receptione cohoneſtaret, Saracenos acerrimos id temporis tum Imperii, tum Chriſtianorum hoſtes aggredi ſtatuit. Et ſanè mirum eſt oppidò, Græcos, qui tum in Oriente tot barbaris nationibus premebantur, tantum ſibi in Italia nomen, Saracenis ab ea ejectis, comparaſſe; ut ad illius iterum Imperium reſpicere viderentur. At nunquam ea ſe Cæſar potiturum rebatur, niſi è vicina Sicilia Saracenos expuliſſet, & ut feraci inſula in poteſtatem redacta, facilè reliquis Italiæ populis jugum imponeret. Scribi legiones, adornari naves, comparari commeatus inſtitit. Georgium Maniacem expeditionis Ducem creat, eumque primo tempore navigare in Italiam jubet: ibique contractis ſociorum auxiliis, Siciliam invadere. Hic, luſtrato exercitu, cunctiſque ad bellum neceſſariis comparatis, ubi opportuna uti tempeſtate licuit, in Italiam ſolvit, eamq; proſpero curſu non multo poſt tenuit. Hic dum copias ex Apulia, in Calabriam contrahit, nuncios ad Guaimarium Salernum mittit, auxilia contra communes hoſtes rogaturos: multum, inquiens, ſe ejus militibus confidere, quos ipſe tot bellis exercuiſſet; nec illis ſtipendia, nec ampliſſima præmia defutura: feraciſſimam terram eſſe, in quam arma inferrent: & ditiſſimos Chriſtianorum ſpoliis hoſtes, quos bello peterent. Guaimarius, nunciis acceptis, opportunam ſibi occaſionem oblatam ratus, qua Normannos, qui apud ſe erant, & jam graves, ſuſpectique multitudine in dies adveniente, habebantur, honoris ſpecie à ſe amoveret, juſtoque ſe metu tempeſtivè eximeret; ſerò doctus non eos ſibi ſocios aſciſcendos eſſe, qui mox domini futuri eſſent. Normannos igitur, qui apud ſe erant, accerſitos, in hunc modum allocutus fertur: Oblatam vobis, viri fortiſſimi, occaſionem, qua novis factis veterem cumulare gloriam poſſitis, ſummopere gratulor, quæ tanto glorioſior erit, quanto juſtior bellandi cauſſa, ac ſanctior titulus eſt. In Saracenos infenſiſſimos Chriſtiani nominis hoſtes & mihi, & vobis pro religione bellum eſt, in quo neſcias an illuſtrior, qui vicerit, an qui fortiter pugnans ceciderit, futurus ſit? utrumque nobilis corona, ingens præmium manet. Qui victor ex acie rediverit magnam apud homines laudem, maximam apud Deum gratiam merebitur; qui victus occubuerit, æternæ felicitatis coronam obtinebit: eos in barbaros Orientis Imperator arma inferre pro Imperii majeſtate, pro Religionis bono conſtituit: claſſes, exercitus, Italorum auxilia

in

Digitized by Google

in Calabriam convenere, atque in dies trajectura in Siciliam ſunt: & nihil eſt, quod certamen, victorias, palmas, quam nos moretur. Me utpote Cæſaris amicum, Maniaces Prætor, ut ſubſidia mittam, rogat: nempe ut in gloriæ partem accedam. Ego vos inter primos adſcribendos duxi, quorum virtutem multis jam ſignis expertus ſum, vos meo nomine lego, vos copiarum mearum Duces conſtituo: gloriam communem volo: ſpolia, & prædas veſtra eſſe jubeo, vos virtutem, ego arma, & commeatus ſuppeditabo. Jam populares veſtri felicibus auſpiciis in eos certare barbaros cęperunt, & vincere glorioſius: veſtrum erit continuare victorias: & conceptam de vobis opinionem egregiis factis confirmare. His Guaimarii verbis Normanni facilè inducti, expeditionem ſuſceperunt. Ducibus igitur Gulielmo, Drogone, & Unfredo CCC. Normanni, unà cum reliquis, quos Guaimarius ſcripſerat, in Calabriam ire pergunt. Maniaces eorum adventu plurimum lætatus, viros humaniſſimè accepit: teſtatus ſe de ipſorum virtute ſummopere confidere.

Siciliam ea tempeſtate Beſcanes regebat: ejuſque claſſis præfectus Bettimius erat, qui præſenti fortuna minimè contentus, cognito Græcorum adventu, clam è Sicilia in Calabriam trajecit; cumque Græco Prætore ſecreta colloquia habens; univerſam ſe illi Siciliam traditurum ſpondet, ſi in fidem acciperetur, & quas peteret, conditiones ratas habuiſſet. Maniaces hominem benigne complexus, ſe eum in ſuam fidem recepturum, quæque poſtulaſſet, conceſſurum: imo daturum ſe operam, ut in Cæſaris gratiam admitteretur, debitoque honore afficeretur, multis promiſit. Re ita conſtituta, Meſſanam redit: eamque mox deſerens, aditum ad occupandam urbem Græcis præbuit. Qui, Siculo freto trajecto, Meſſanam obſederunt. Saraceni nihil perterriti, eruptione facta, caſtra hoſtium aggreſſi, magnam cladem ediderunt. Normanni, re cognita, illico accurrunt, denſoque in Saracenos cuneo invecti, è caſtris repulere; inque terga effuſos inſecuti magna clade in ſuorum conſpectu ſub ipſis mœnibus conciderunt. Saraceni eo conflictu fracti, & à claſſis præfecto deſtituti, honeſtis conditionibus urbem Maniaci tradiderunt. Qui Normannorum fortitudinem admiratus, eorumque virtute cęſos barbaros, Meſſanam receptam videns, magno illos in honore habere cępit: & pro concione pluribus laudavit; munera, atque ampliſſima prædia, quæ ejectis è Sicilia barbaris, accepiſſent, ſpopondit: eos inde vehementer hortatus, ut tam egregiis cęptis inſiſtant; ſe officio non defuturum. Caſtris ſubinde promotis, multa in mediterraneis oppida Saracenis ſæpius acie victis, ceperunt. Tandem ad arcem belli Siracuſas, munitiſſimum oppidum, & præſidio firmiſſimum perventum eſt. Siracuſas Arcadius

dius Principis titulo obtinebat; vectigalemque Saracenorum, pro quibus ſtare profitebatur, occupata tyrannide, ſe fecerat: vir moribus genti ſimilis, uno tantum Religionis nomine differens. Etenim ſi ſanam mentem habuiſſet, oblatam infamis jugi excutiendi occaſionem minimè omiſiſſet. Sed quibus vivendi licentia quæritur, nihil ſanctum, nihil æquum eſt. Maniaces ratus univerſæ Siciliæ ſe imperium habiturum, ſi eam urbem in poteſtatem redegiſſet, omni conatu oppugnationem adortus, extructoque aggere, quo, erumpentem à caſtris hoſtem arceret, quati mœnia, machiniſque premere obſeſſos cœpit. Arcadius nihil perturbatus quotidie eruptiones faciebat, ſuoſque ipſe ducens magnam Græcorum ſtragem edebat, vir tantæ fortitudinis, ut hoſtibus ipſis admirationi juxta, ac terrori eſſet. Gulielmus, quem ob incredibile brachii robur, Ferreum brachium apud populares audiebat; ut ſuæ virtutis, ac fortitudinis tum Græcis, tum Siculis inſigne documentum daret, prævalidam haſtam corripuit, inque ferociſſimum hoſtem equum incitavit: propiuſque inſecutus, Accipe, inquit, Arcadie, ſi neſcis, quæ Normannorum fortitudo ſit, quantumque huic brachio, quod ferreum vulgò audit, inſitum robur ſit: inde equum calcaribus ſtimulans, haſtamque prætendens, in eum pergit: validoque ictu transverberavit, ſpoliiſque victor acceptis, ad ſuos redivit: à quibus magnis plauſibus exceptus eſt. Nam egregii Ducis nece tantus hoſtibus incuſſus eſt terror, ut ſtatim urbem victoribus Græcis tradiderint. Tanti unius virtus momenti eſt ad victoriam.

Interea Beſcanes, coactis undique auxiliis, noviſque ſupplementis ex Africa acceptis, acie decertare ſtatuit: neſciens ſe unius aleæ jactui univerſam Siciliæ fortunam committere: quæ eo exercitu cœſo retineri amplius non potuiſſet. Nec Maniaces de ſumma rerum prælio ſtatuere recuſavit. Continuò ſuos caſtris educit; atq; aciem inſtruit, in qua præcipuum ſibi locum dari Normanni petierunt, nec Græcus Prætor abnuit: eoſque in prima acie inter anteſignanos locavit. Exinde copiis explicatis, breviter in pugnam militum animos inflammavit. Pugnarent fortiter, quando prælium illud futurum finis laborum eſſet, quos ipſi tanta alacritate ſuſceperant; eos enim hoſtes, quos in conſpectu haberent, ſi viciſſent, neminem amplius eſſe, qui celeberrimæ inſulæ, boniſque omnibus affluentis poſſeſſionem impediret: qua recepta cogitarent, quantas opes, ac divitias conſecuturi eſſent: nullam adeo feracem terram eſſe, in qua uberes campi, felices colles, ipſos vacui poſſeſſores expectabant. Ditiſſimæ urbes, in quas provinciarum ſpolia non pauca Saraceni congeſſerant: eaque ad ipſos jure belli pertinere. Cogitare eos etiam velle, bellum illud ſe religionis cauſſa ſuſcepiſſe; inque acerrimos Chriſti hoſtes, cujus iram tot ſceleribus concita-

verant: ideoque non dubitarent, quin ejuſdem auſpicio inſigni victoria potirentur: Siquidem ejuſdem intereſſe victoriam ſuis largiri, pro cujus majeſtate bellum gerebatur: & cujus honor, cæſis hoſtibus, augeretur. Dato deinde ſigno, procedere ſuos jubet, manuſque cum hoſte conſerere. Primi Normanni magno impetu in Saracenos procurrunt, audaciſſimiſque occiſis aciem loco movent. Tùm hoſtes loco moti nutare cœperunt, ſigniſque perturbatis, ſenſim inclinare. Uſus ea fortuna Græcus Prætor, ſecundam aciem moveri jubet, nutanteſque barbaros acrius urgere. At non Saraceni Chriſtianorum impetum expectarunt, ſed terga vertentes, in fugam ſe effuſi dederunt, quæ fuga initium ſtragis fuit: nam Græci parta jam victoria feroces, inſtare fugientibus, ac cædere cœperunt, ipſique in primis Normanni, qui authores ejus victoriæ extiterant, Arabes paſſim cædebant: ex LX. millibus barbarorum, quæ in aciem prodiverant, pauci ex ea clade evaſerunt. Dum verò fugientem hoſtem Normanni liberius inſequuntur, Græci caſtris potiti, inter ſe ſpolia diviſerunt, nulla Normannorum habita ratione, quorum tamen tum egregiam operam experti jam fuerant. Normanni à cęde reverſi, factum ægrè tulerunt. Ardoinum quendam Longobardum genere, Græcique ſermonis ſcientem, ad Maniacem mittunt, ipſorum nomine petiturum, caſu ne illud, an dedita opera, à ſuis factum? Græcus pro ingenio græcæ ſuperbiæ indignè tulit: quando imperatoria uſus prudentia, eam litem componere facilè potuiſſet, eorumque ſibi animos, quos tam utiles ſibi compererat, in poſterum demereri. Iratus, cædi Ardoinum, perque univerſum exercitum circumduci juſſit. Quo facto, Normanni magis irritati, ut qui in ſuam illud ignominiam, contemptumque vertebant, Ardoino perſuadent, ut diſſimulata in præſens ira, ad Maniacem vadat, & abeundi facultatem petat: habere ſe quædam negotia, quæ ſua opera indigebant, ideoque ſineret, ut liber ſibi, & ſuis aditus in Calabriam concederetur. Maniaces etſi gentis ingenio ſtruendæ fraudis gnarus, paratam ab Ardoino non intellexit. Imo ut exaſperatum animum mitigaret, poteſtatem abeundi fecit, tabulaſque confici juſſit, quas ſuo ipſe annulo obſignavit. Ardoinus, tabulis acceptis, tum ipſe, tum Normanni in Calabriam trajecerunt. Vix in litus egreſſi, loca, quæ Græcis tenebantur, depopulari cęperunt. Senſit tum primum Maniaces, quantos eo facto Cæſari hoſtes comparaſſet. Ut enim Normannorum impetum frænaret, illicò in Calabriam trajecit. Tum Saraceni nacti occaſionem, plurima Siciliæ loca receperunt. Dum autem infelix inſula tum à Græcis, tum à Saracenis fędè laniabatur, inter cæteras opes, corpus D. Luciæ, quæ Siracuſis magno honore colebatur, amiſit. Maniaces haud tutum ibi futurum divinum pignus videns, Conſtantinopolim tranſportavit.

Dum

Dum hæc in Sicilia gerebantur, Michaël Paphlagon ſe Imperio abdicavit: & Michaelem Calaphatem nepotem renunciari Cæſarem procuravit, qui brevi extinctus, anno MXLII. locum Conſtantino XI. Monomacho conceſſit. Maniaces ratus occaſionem ſibi affectandæ tyrannidis dari, ſe Imperatorem ſalutari juſſit: verum ab ipſis met Græcis ſtatim oppreſſus ſuo ſanguine pœnas luit. Miſſuſq; Conſtantinopoli Dulcianus, ut Apuliam, ac bellum Siculum adminiſtraret. Verum Ardoinus nondum ſaturata ira, quæ difficile expletur, ſpecie ſolvendi voti, Romam ſe ire in vulgus ſpargit, in itinere Averſam divertit, & Rainulphum Comitem adit; quidque in animo haberet, ſecreto communicat: pluribus illi oſtendens nihil factu facilius eſſe, quam Apuliam à Græcis alienam vel ſine ſanguine obtinere: paratos jam eos Normannos eſſe, qui injuria à Græcis affecti è Sicilia rediverant: ſe ſuam operam impenſurum, atque effecturum, ut dummodo ſecum injuriam ultum veniret, univerſæ ad eum gentes confluerent, quarum tantum in Græcos odium erat, ut nihil niſi Ducem ad novi quid moliendum expectarent: arriperet occaſionem, nec eum è manu Principatum elabi ſineret: qui ei quodam fato deſtinari jam ip ſe ſentiebat. Rainulphus, qui dominandi cupidine, ut mortales univerſi, maximè ardebat, facilem eam ſibi rem perſuaſit. Ardoinum benignè complexum domi retinuit. Inde rem maturius perpendens, optimum duxit, ſi prius miſſo cum paucis Ardoino, popularium animos tentaret. Delecto habitu XII. turmas conflavit: eaſque parere Ardoino juſſit, qui ſtatim in Apuliam profectus, reliquis ſe Normannis adjunxit, juſtoque exercitu conflato, Melphiam invadunt. Edito in colle inter Daunorum, Lucanorumque fines urbs ædificata, ut tanquam è ſpecula, utrique Provinciæ excubare videatur; populo frequens, feraciſque agri dives: altiſſimæ urbem turres, ſolidique muri præcingebant, omnique apparatu inſtructa, quocirca validum earum gentium munimentum habebatur. Eam Normanni Græcis ejectis, ſtatim occupant, ibique Gulielmo cum modico præſidio relicto, ad alia ſe loca converterunt. Aſculum, & Venuſium, inde Labellum capiunt. Mirum oppido legenti videbitur, paucos homines, ac barbaros tot loca, tum brevi in deditionem accipere potuiſſe: hoſtes potentes aggredi, ac vincere etiam valuiſſe: verùm ſi eorum temporum ſtatum perpenderit, haud equidem mirabitur. Appuli, Calabrique, & Saracenorum immanitate, & Græcorum faſtu, reciproco veluti æſtu oppreſſi, libenter Normannos excipiebant, quos indigenas futuros mox Principes ſperabant. Quocirca diſcere univerſi poterunt, captandam ſemper populorum benevolentiam eſſe, nec opprimendos eos, qui ſi Ducem nacti fortuna fuerint, in officio nullatenus continendi.

Non multo prius, quàm hæc geſta ſunt, Richerius Caſſinatium Præpoſitus, Guaimarium rogavit; ut Fanum D. Agathæ obſideret: aſylumque illud, ex quo crebris excurſionibus circumpoſitos agros populabatur, hoſti eriperet. Guaimarius exercitu coacto, arcem obſedit: tertio obſidionis menſe cum deditionem facere hoſtes vellent; ipſe eam Theanenſi Comiti tradere meditabatur; quo illi cognito, cum Richerio tranſegerunt, inimicum enim Theanenſem habebant. Deditio Richerio hac conditione facta; ut nimirum ea, quæ ante Conradum habuiſſent, in poſterum obtinerent: nec Guaimarius rem ægrè tulit, ſed arce Abbati tradita, ipſe copias Salernum reduxit.

Porrò Græci cum creſcere Normannorum vires in dies viderent, ſubditaſque ſibi gentes ad novas res inclinatas, ad illos continuò confluere, veteriſque dominationis pertæſas, novi Principatus jugum non detrectare; occurrendum illis pro viribus duxerunt, ne ſi latius fines extenderent, tota ipſi Apulia excluderentur. Accitis ab Oriente auxiliis, militeque in Italia coacto, magnum exercitum conflarunt; in quo LX. millia militum, ſi quibuſdam fides Scriptoribus danda eſt, numerabantur, eoque luſtrato, Melphiam moverunt: nec longè à muro caſtra metati ſunt. Apud antiquum Scriptorem invenio præmiſſum à Dulciano Fecialem, qui Normannis bellum indiceret, ni ab agro, urbibuſque Græci juris ſtatim diſcederent, in quo illud mirabile accidiſſe proditum. Hugo quidam Normannus, ut barbaræ fortitudinis, roboriſque exemplum hoſtibus daret, eiſque timorem incuteret, in equi caput, quo Fecialis vehebatur, tanto impetu pugnum inflixit; ut exanimatus illico caderet, ſecum una perterritum caſu in terram caduceatorem trahens. Reliqui Normanni accurrerunt, lapſumque hominem erexerunt, altero equo confeſtim allato conſcendere eum juſſerunt, ac mitioribus verbis factum excuſantes ſunt conſolati. Jubent inde, ut Græco Prætori referret, ſe ad dimicandum paratos eſſe: & quam communis Mars, & ſua dextera fortunam dediſſent, libenter accepturos. Fecialis ad ſuos reverſus, quæ ei accidiſſent, quæque Normanni reſponſa dediſſent, ad concilium retulit. Prætor, reliquique bellici Senatus proceres eo facto perculſi, juſſerunt ſilentio premendum; ne ſi in vulgus ſpargeretur, milites perterrerentur: quorum animi parvis interdum momentis mutantur, atque ex eo ſiniſtra pugnæ auguria ducerent, minuſque alacres ad prælium irent. Id ego ex populari tantum fama minimè retuliſſem, ſed cum alii referant, omittendum non duxi. Etſi novum omninò non ſit: quando plurima id generis in Fabiorum geſtis, ac Romanorum contra veteres Gallos apud Livium legantur. Sequenti die Normanni etſi Græcis multo inferiores numero eſſent, primi in aciem prodeunt.

Ju-

Juvit tamen eis locus, ubi decertatum, quem Olivetum gentes vocabant, in quo totus Græcorum exercitus explicari in ordines non poterat: ideoque pauci ex ipſis rem eodem die geſſerunt. Gulielmus ubi ſuos explicuit; & jam manus conſerere parati erant, ita illos ad pugnam inflammavit: Ea, commilitones, humanarum rerum conditio, is ordo Fortunæ eſt, ut antiquis populis ex terrarum poſſeſſione expulſis, novi introducantur. Gaudent quippe viciſſitudine mortalia, & eoſdem ſemper fovere fortuna nequit: tot, tantiſque gentibus expugnatis, Romani in orbis terrarum Imperium admiſſi: omitto Aſſyrios, Caldęos, Perſas, Macedones, ignota nobis nomina, ultimam mundi plagam, penitiſſimos terrarum receſſus incolentibus: notiores illi: & quorum arma, etſi non timuimus, audivimus tamen: & gentes aliquot nobis conterminæ perpeſſę etiam ſunt, eas poſtquam per tot ſecula benigno Fortuna vultu aſpexiſſet, demum pertęſa, alias in gentes Imperium tranſtulit, & quot inde populi ex noſtris regionibus egreſſi, in Italiæ poſſeſſionem venerunt? Scitis vos quidem iſta, utpote quæ & tempore, & cognatione propinquiora: quibus extinctis, nos ultimos Sors evocavit, poſſeſſoreſque conſtituit. Nec aliud ni ſi veſtra arma, vires veſtras, ut ejiciat Græcos, expectat. Siquidem hanc vobis terram virtutis præmium, non donum deſtinavit. Pluribus jam præliis experti eſtis, quam hilari vos illa fronte aſpiciat: vos pauci numero, plurimos ſuperaſtis; munitiſſima loca, validiſſimas arces, vix machinis admotis, expugnaſtis. Ipſæ gentes vos dominos non ſolum expectant, ſed ultro etiam invitant: quæ vobis inſit virtus, quo præditi robore ſitis, jam Græci ſuo malo didicerunt, & novo nunc experimento clarius intelligent. Ite igitur, & quam offert, Fortuna victoriam, veſtra fortitudine demeremini. Quibus poſtquam militum animos pugnæ avidos accendiſſet, ſignum dari jubet, quo audito, mota illicò Normannorum acies: inque hoſtem conferta intulit pedem. Equorum turmæ, quæ in utroque cornu locatæ ab Duce fuerant, magno impetu, in Græcos equites procurrerunt. Atrox primo dimicatio fuit: at cum Normanni multos fortiter occidiſſent, non diu Græci impetum ſuſtinuerunt, effuſiſque habenis terga dederunt, tum media acies præſidio ſuorum nudata nutare etiam cępit. At Græci Duces, & precibus, & minis revocare ſuos fruſtra conati; & ipſi inſtaurare prelium non valentes, acie excedunt. Tanta tum cædes fugientium, ac ſe mutuò impedientium fuit, ut quam pauciſſimi evaſerint. Normanni caſtris potiti, ingentem ſecum prædam avexerunt. Ut verò benevolentiam ſibi popularium conciliarent; ſine quorum ope, etſi ipſi robuſtiſſimi eſſent, nihil magnum, ac duraturum efficere ſe poſſe ſperabant, Athenulphum Ducem creant. Hunc Scriptores Beneventani Principis

ſra-

fratrem fuiſſe tradunt; cum autem nulli tum Beneventani Duces; Salernitano Principe cuncta obtinente, quis iſte Athenulphus fuerit, omnino incompertum eſt; niſi fortaſſe tum Beneventani in tanta rerum mutatione, inſcio Cæſare, ſibi ipſi Ducem creaverint: atque ob id bello deinde ab Henrico laceſſiti. Utcumque ea ſe res habuerit, plurimum Normannis novus Dux profuit. Nam Michael Calaphates, ejus cladis nuncio accepto, majores copias in Apuliam ad Dulcianum miſit, qui ſperans novo prælio acceptam ignominiam ſe poſſe eluere, in Normannos iterum movit. Hi novi Ducis authoritate plurima à vicinis populis auxilia acceperunt: quibus aucti, in hoſtem vadunt. Pugnatum ad Aufidum amnem; victique iterum Græci, qui pedem referentes, cum antea tenuem admodum fluvium trajeciſſent, ſubito tumentem invenerunt: cumque natatu evadere ſtudent, plures gurgite hauſti, quam ferro extincti ſunt. Normanni caſtris rurſus potiti, magnis ſpoliis onuſti domum redierunt. Uſque adeò difficile eſt, ubi ſemel ruere res cœperint, præcipitem earum curſum continere. Porrò Aufidus ex Hirpinis collibus ortus lento curſu per Apennini valles lapſus in Dauniam Apuliam deſcendit, eamque interſecans, in Adriaticum ſe ſinum exonerat: Daunoſque à Peucetiis diſterminat. Ad hunc amnem in vico, cui Cannis nomen, quo etiam vocabulo antiquiſſimis temporibus ipſe etiam fluvius dicebatur, Romani, Ducibus Cajo Terentio, & Paulo Æmilio, cum Annibale adverſo Marte decertarunt.

Porrò Conſtantinus cognomento Monomachus qui Michaele exauthorato, jam Imperium ſuſceperat, compertis, quæ in Italia evenerant, ægrè ferebat ſe ab illius poſſeſſione excludi: ratuſque Dulciani ignavia tot clades acceptas eſſe, eum in Græciam revocavit. Conſueto pro more Principum, qui ſiniſtros rerum eventus, non in ſuarum virium imbecillitatem, non in militum inertiam, non in Martis, Fortunæque arbitrium, ſed refundere in Duces malunt, quaſi verò ab his tantum victoriæ penderent. Miſſuſque in Apuliam Exauguſtus, qui & Anno appellatus eſt: eique vehementer injunctum; ut copias quoquo modo potuiſſet, quam maximas contraheret: Saracenos etiam, ſi neceſſarium arbitraretur, mercede conduceret: Quaſi verò multitudine militum, non delectu vinceretur: & non Saraceni hoſtes pariter eſſent, qui ſuperſtitione obligati non utiles ſocii futuri erant. Anno in Italiam cum novis ſupplementis appulſus, novas copias conſcripſit: Saracenos è Sicilia, pecunia ad eos conducendos miſſa, in Calabriam, indeque in Apuliam accivit: valido jam exercitu conflato, commeatuque plurimo conquiſito, in Normannos movit. Magnis itineribus Piloſum Montem pervenit, quod oppidum edito in colle ſitum, hinc Lucanos, illinc Apulos deſpectat, ac feracibus circum collibus coronatur: ibi caſtra Anno

po-

poſuit, ubi jam Normannos eſſe, per exploratores acceperat. Normanni etiamſi Gulielmus febri teneretur, prodire tamen in aciem voluerunt, ne mora confeſſio timoris hoſtibus eſſet. Nec Anno de ſumma rerum decernere detrectavit. Explicata utrimque acie, ſignoque dimicandi dato, initum certamen, quod acerrimum oppidò fuit: diuque anceps pugna pependit. At creſcente Græcorum numero, cedere Normanni cęperunt: id ubi ad Gulielmum perlatum, illico è lecto aſſurrexit, armiſque raptim correptis in mediam aciem pergit: ejus adventu magnum Normanni ardorem conceperunt, atque iterum in hoſtes conferti magno impetu pedem intulerunt: verſa ſtatim pugnæ fortuna: quique premebant, premi cœperunt, ſubinde pelli: tandem in fugam effuſi, plenam Normannis victoriam reliquerunt. Exauguſtus dum ſuos tenere nititur ab hoſtibus captus: alii occiſum tradiderunt; ni forte Anno, qui occiſus perhibetur, alter ab Exauguſto Dux fuerit, qui Athenulpho Duci à Normannis honoris gratia traditus, ab hoc magna pecunia liber domum dimiſſus. Græci ea clade fracti, cum Normannorum impetum non amplius ſe ſuſtinere poſſe intelligerent, mediterraneis locis relictis, in maritima oppida, quæ munitiſſima erant, ſe receperunt.

Normanni, his ſucceſſibus læti, feſtivos ludos celebrarunt: in ea ſolemnitate, Gulielmum, cujus virtute victoriam adepti fuerant, Apuliæ Comitem creant. Argyrum Meli filium, qui plurimum militari ſcientia profecerat, copiarum Ducem conſtituunt. Inde Guaimarium Salernitanum Principem, & Rainulphum Comitem Averſanum ad dividenda ea, quæ ceperant per Legatos invitarunt. Melphiæ primum gentis conventum habuerunt. In ea cum de Apuliæ diviſione relatum eſſet, in hunc ſe modum partitio habuit: Rainulpho, cui tanquam gentis Principi, primus honor delatus, Sipontum, cum Gargano, ac circumpoſitis oppidis conceſſerunt. Gulielmus Aſculum Apulum, Drogo Venuſiam accepit, Arnolino Labellum, Hugoni Monopolis obvenit. Tranium Petrus, Civitatem Gualterius ſortitus, Rodulpho Cannæ, Triſcamo Mons Piloſus eſt attributus, Henrico Trigentum, Aſcletino Acheruntia, Rodulpho alteri D. Angeli Fanum, Unfrido Minorbinum conceſſum, Ardoino tanquam primo tantarum rerum authori, ſua etiam portio abſenti reſervata, atque ita nobiliſſima tellus, & à Græcis, & civica diſcordia attrita, in tot membra à barbaris concidebatur. Eam verò partitionem anno MXLIV. eveniſſe Scriptores tradunt. Cum verò non unus ſupremum in reliquos imperium haberet, contineri ſinguli intra ſuos fines non poterant, ſed pro innata prædandi cupiditate in ſociorum agros continuas fermè procurſiones faciebant. Præcipui, qui vexabantur, Caſſinates Monachi erant, quorum

rum

rum res in ſummum diſcrimen adductæ fuiſſent, ni Guaimarius, cujus illi opem imploraverant, ſui nominis authoritate interpoſita, Caſſinates ab injuria vindicaſſet. Inter tot verò lætos Normannorum ſucceſſus, ſorte humanarum rerum, triſtia intervenerunt: mors ea Gulielmi fuit, quæ ſuorum animos vehementer afflixit. Tot in eo naturæ dotes extitiſſe perhibent, ut plures non deſiderarentur: promptum ingenium, & acre; fortis, ſibique præſens animus, periculorumque contemptor; affabilitas, ac munificentia ſingularis, & ad promerendas ſibi omnium mentes unicè facta: adeo Itali Cœli clementia barbaram indolem emolliverat. Poſteaquam regio funere elatus, Drogo frater ſuffectus, Melphiæque, quam urbem, tanquam commune gentis concilium ſervaverant, Comes Apuliæ ſalutatus. Tantam hic ſibi bello gloriam conquiſiverat, tanta in eo indoles elucebat, ut merito cæteris, & Petro vel maximè expertæ virtutis, ac meriti, qui Andriam, Beſidias, Barulumq ædificaverat, prælatus videretur.

Eodem anno MXLVI. Rainulphus Averſæ Comes è terris conceſſit: vir miræ fortitudinis, ac fortunæ, quæ rarò in eodem homine copulantur. Ejus locum Aſcletinus frater occupavit, qui vix anno expleto fato perfunctus, Ricardum filium adhuc infantem hæredem reliquit. Tum Rodulphus Cannarum dominus occaſionem nactus, ditionem invaſit, quam breviſſimè tenuit, vindice à tergo inſtante invaſoribus fato. Rodulphus alter, qui S. Angeli fanum tenebat, tutoris titulo, ut à ſe invidiam amoliretur, Principatum arripuit. Interea Normanni nova dominatione elati à priſca pietate deſciverant: quique antea Eccleſiæ defenſores vocari volebant, eam nunc invadere, vexareque cęperunt, continuoque Caſſinatium bonis inhiantes, ut facilius ea depopularentur, arcem firmiſſimum ſibi receptaculum futuram condere aggreſſi ſunt: eamque D. Andreæ fanum nuncuparunt, & quamquam eos Abbas rogaret, ne pergerent; non tamen ab inſtituto abſtinuerunt. Verum creſcente in dies Normannorum violentia, cœnobitæ aliò ſe transferre, monaſterio relicto, conſilium injerunt. Illis id animo verſantibus, Rodulphus Comes valida ſuorum manu ſtipatus, ineundæ pacis prætextu, Caſſinum proceſſit, ut Abbatem ſecum vinctum abduceret, atque in vulgus diſſipatus rumor erat, Comitem, ut Religioſum virum de medio tolleret, Caſſinum proceſſiſſe. Poſteaquam ad Eccleſiam venit, armis pro foribus depoſitis, ipſe cum reliquis Comitibus quaſi preces fundere ad Deum vellet, ædem ingreſſus eſt. Tum Vernaculi, famulique omnes, re comperta, illicò accurrerunt, arma, & equos corripuerunt, editoque è turri ſigno, oppidanos evocarunt, cum quibus Normannos adorti, facile oppreſſerunt, XV. deſiderati. Rodulphus vix à Vernaculorum furore Præ-

po-

poſiti authoritate, ſervatus, inque cœnobium eſt incluſus. Caſſinates eo ſucceſſu audaciores facti, univerſam regionem armis excurrerunt, & invalida primùm loca, quæ Normanni occupaverant, brevi receperunt. Novo deinde amicorum præſidio aucti, arcem S. Victoris vi ceperunt. qua capta, ad alteram D.Andreæ obſidendam, in quam ſe Normanni ex fuga receperant, & ubi Rodulphi uxor verſabatur, ire pergunt. Quam poſtquam XV. fruſtra dies oppugnaſſent, ſolvere obſidionem moliebantur: tum Monachi milites hortantur, ut oppugnationi inſiſterent; adfuturum ſuis D. Benedictum, eoſque ab injuria vindicaturum. Milites ſpe cęleſtis auxilii inflammati, magnis conatibus arcem expugnare adoriuntur, dum vero acriter utrinque dimicaretur, ingens repentè oborta tempeſtas, ac validiſſimus ventus efflavit: cujus impetu Normannorum tela in ipſos retorquebantur: tum Normanni id divinitus accidiſſe, atque in ſe D. Benedictum pugnare rati, dedita arce, ſe Cœnobitarum fidei permiſerunt. A quibus vix incolumes Averſam deducti; tantum enim in illos popularium odium exarſerat, ut ni ſummis precibus eos Cœnobitæ continuiſſent, ad unum omnes trucidaſſent. Monachi parentis ſui opem experti, univerſam ditionem recuperarunt, diuque ab armis quieverunt. Nam cum Averſani ulciſci injuriam vellent; ſe illis Guaimarius oppoſuit: pacemque inter utroſque compoſuit. Inde cum Drogone Apuliæ Comite Caſſinum venit, Abbatemque rogavit, ut illum in gratiam reciperet. Abbas Drogonem ſtatim complexus, ſacra benedictione impertivit. Contra Drogo ab illius ſe ditione temperaturum, neminique Monachorum nociturum jurisjurandi interpoſita religione ſpopondit, muneribus tandem ab Abbate donatus diſceſſit.

Dum hæc in Campania, Apuliaque geſta, Romæ ſummopere laboratum. Romani tumultu facto, Benedictum IX. in ordinem redegerunt, & Silveſtrum III. anno MXLIV. Pontificem ſalutarunt. At Benedictus amicorum ope fultus in urbem reverſus, Silveſtro expulſo, ipſe Lateranum occupavit: ſibique Cardinalem D. Joannis ante Portam Latinam collegam aſcivit; eique Eſquilinum ad inhabitandum conceſſit. Silveſter, ſuis & ipſe fultus, Vatinanum vi occupavit, atque in hunc modum Eccleſia fœdè dilaniabatur. Tum Gregorius Cardinalis vir antiquæ fidei, ac miræ ſimplicitatis, ut tantis malis remedium aliquod afferret, ingenti pecunia tres eos æmulos induxit, ut ſe Pontificatu abdicarent; liberumque Clero, Populoque Romano permitterent, ut quem vellent, Pontificem crearent. Ob inſigne beneficium in patriam, Eccleſiamque collatum, dignus omnium ſuffragio habitus, qui Pontificatum ſuſciperet. Pontifex igitur anno MXLVI. ſalutatus, & Gregorius VI. nuncupatus eſt. At Henricus Germaniæ rebus compo-

Digitized by Google

poſitis, ad ſedandos Romanos tumultus, Italiæque ſtatum ordinandum curam convertit. Dum verò Romam veniret, Gregorius obviam ei Sutrium proceſſit: ibi aliquot Patrum concilio coacto, Gregorius quaſi pecunia ſibi Pontificatum quæſiviſſet, in ordinem redactus: & Suidgerus Epiſcopus Bambergenſis Pontifex creatus, qui dum inaugurar etur Clemens II. vocari voluit. Hic in ipſo anni MXLVII. exordio Henricum ſacro oleo perunxit, atque Auguſtalibus inſignibus decoravit.

Interea Guaimarius nimia potentia elatus deſciſcere à pietate inccperat, durumque in populos imperium exercebat, fultuſque Normannorum auxiliis metuendus finitimis erat. Nec ea ditione, quam obtinebat contentus, & qua ſupra reliquos Italiæ Principes eminebat, Surrentum, adjuvantibus Normannis, occupavit: ibique Vidonem fratrem Ducem conſtituit; eique vicina loca ſubmiſit, Amalphitanoſque aggreſſus ſibi vectigales fecit. At dum altius aſcendere enititur, abutique fortuna, è faſtigio relabi occepit. Ita enim fato comparatum, ut cum plurima complecti velimus, & pauca etiam, quæ ſtringere facilè erat, amittamus. At contra Pandulphi Capuani res erigebantur, qui Conſtantinopoli reverſus, cunctos eos Normannos, qui Guaimarii opera à Caſſinatium terminis ejecti fuerant, ſub ſuis ſignis coëgit: eiſque rurſus eam ſe ditionem daturum promiſit. Atque hinc iterum prædæ, atque incendia; quibus Caſinatium agros quotidie Normanni vaſtabant: cumque populorum odium in ſe magnum Guaimarius concitaſſet, Pandulphi factio in dies augebatur. Cajetani, qui à Guaimario oppreſſi libertatem amiſerant, cum illius jugum ferre amplius non poſſent, aſſumptis armis, Salernitanum præſidium ejecerunt, conſilioque inter Primores inito, Adinulpho Comiti Aquinatium, cujus tum & virtus, & potentia plurimum valebat, ſe ultro ſubmiſerunt, novumque in Guaimarium bellum conflatum eſt. Guaimarius Cajetanorum defectione perculſus, occurendum ſtatim eis ratus, ne Adinulphus in eo ſe Principatu ſtabiliret. Copiis igitur coactis Cajetam movit. Adinulphus non eo ſegnior urbe egreſſus ſuos explicuit, ac pugnæ copiam hoſti fecit. Acerrima, ac diu anceps dimicatio fuit; tandem Adinulphus, dum hoſtes acrius inſequitur, loci anguſtiis circumventus capitur, eoque capto ſuorum acies diſſipata, ipſe Salernum captivus abducitur. Per idem tempus Pandulphus Capuanus Theanenſibus acie victis, illorum Comitum ſororem vivam abduxit. Et quamquam à Guaimario rogatus, ut illam dimitteret, ſeque ejus loco Adinulphum Cajetæ Ducem liberaturum ſponderet, nunquam ad puellam dimittendam induci potuit, ſive quod in illius amorem exarſiſſet, ſive quod ſingulari odio Aquinatem perſequeretur. At Caſſinates, quorum agri eo bello vexaban-

bantur, Salernum adiverunt, & modo Guaimarium, modo Adinulphum adeuntes, ita tum precibus, tum lacrymis cum illis egerunt, ut ad conſilia pacis adduxerint. Hæ conditiones fuerunt: Adinulphus perpetuam amicitiam, ac fędus ſe cum Guaimario ſervaturum promitteret; operamque omnem impenſurum, ut Caſſinates ab injuria vindicarentur. Guaimarius Cajetam Adinulpho concederet, militeſque ab illius ditione revocaret. Pace ſtabilita, Adinulphus tantæ ditionis acceſſione lętus, ſtatim Caſſinum profectus, ædemque ingreſſus in ara D. Benedicti pretioſa dona obtulit. Monachi illum nobili equo, & armis donarunt, eumque cœnobii defenſorem ſalutarunt. Adinulphus, ut aſſumptæ dignitatis munia expleret, Legatos ad Pandulphum miſit, qui eum à Caſſinatium finibus decedere juberent, ſi ſecus ſe illum bello perſecuturum. Cum verò Pandulphus minimè imperata faceret, ipſe ex Aquinatibus, Cajetanis, & Caſſinatibus juſto exercitu conflato, in hoſtem proceſſit: in eo loco, qui ad Porticellas popularibus dicebatur, caſtra metatur. Pandulphus ſubito hoſtis adventu perculſus, veritusque ne opprimeretur, illicò ex agris Caſſinatium copias reduxit.

Porrò Henricus Clementem ſecum trahens, Caſſinum venit; luſtratoque Cœnobio, & precibus pie fuſis, Capuam progreſſus, cupienſque pacatas omninò res Italiæ relinquere; ne iterum poſt ſuum in Germaniam diſceſſum turbarentur; ita apud Guaimarium inſtitit; ut hic ſua ſponte ſe Capuano, ac Beneventano Principatu abdicaret; veteriſque Pandulphi miſericordia permotus, illum in antiquam dominationem reſtituit. Apuliæ Comitatum Drogoni confirmavit: reliquoſque Normannos, quæ jam belli jure poſſederant, habere juſſit, à quibus viciſſim grandi ipſe pecunia, aliiſque muneribus eſt donatus. Quia verò Beneventani Pandulpho parere renuebant, eos à Clemente anathemate perſtringi juſſit; illorumque bona, quaſi ſua eſſent, Normannis conceſſit. Inde & Clementem, & Gregorium exhauthoratum ſecum unà circumferens in Germaniam revertitur. Non multo poſt Pandulphus diem obivit; hæredemque filium de ſuo nomine vocatum reliquit. Quo tempore illud memorabile accidit, quod referre operæ pretium duco, ut ex eo Principes diſcant augendas divitiis, non expilandas illis Eccleſias eſſe: nec unquam ſacra vaſa profanum in uſum aſſumenda. Sergius Dux Neapolitanus, qui tum Rempublicam in tanta Italiæ perturbatione pacatiſſimè adminiſtrabat, venandi gratia vicinas ſylvas ingreſſus, multamque nactus prædam, jam domum rediturus, uni ex pueris, cui Protagoræ nomen, colligere retia jubet, & ſe ſequi: hic aliquanto ſegnior munus explevit, dominumque tardè ſecutus eſt. Dum verò ſolus redit, in ſpectra quædam incurrit,

quibus perterritus tantiſper hæſit, facto deinde ſibi animo, quinam mortalium eſſent, quidve vellent, percontatur? Illa: Ne timeas puer, inquiunt: ſed bono animo, atque hilari gradu nos ſequere, non id tibi ingratum accidet. Ille audacior factus ſequi pergit, perque implexos ſylvæ colles deductus, in cœnoſum quendam, ac fetidum lacum, viſuque horrificum pervenit. Ibi ſpectra Pandulphum Capuanum ferreis nexibus revinctum, ligato è gutture à Cacodæmone extrahi aquis, viſendumque Protagoræ oſtendunt. Puer horrore ſtupefactus; Obiit, inquit, Pandulphus? Etiam tum illa. At cur, addidit Protagoras, tantis cruciatibus afficitur? cui ſpectra: Maxima licet hominis ſcelera, ob quæ æternos cruciatus promeritus, nulla tamen atrocior pœna hominem expectat, quàm quæ ob ſubreptum ab æde D. Benedicti ſacrum calicem, illi infligenda eſt: ſi tibi pietas eſt cordi, Capuam adito, ejuſque conjugem mone, ut calicem Eccleſiæ reſtituat; ne ſimiles & ipſi cruciatus Superi decernant; atque in hæc verba evanuerunt: tantum verò Protagoras ex eo oſtento timoris concepit, ut repente in morbum inciderit: quo brevi confectus ſupremum diem obivit. Antea verò quam fato concederet, Pandulphus Gualæ filius, qui calicem illum pignoris loco à Comite acceperat, re vulgata, Neapolim venit, ut rem à Protagora ediſceret; deinde quæ à Protagora audiverat, ad ejuſdem Comitis uxorem deportavit. Illa quaſi nihil ad ſe viri cruciatus pertinerent, & non ipſa criminis conſcia luitura pœnas eſſet, nec calicem, nec pretium reſtituit. Nempe rapaciores fœminæ viris ſunt; quæque ſemel erepta, rarò ad dominos redeunt; quodque vivus quiſque non fecerit, fruſtra ab hæredibus, aliiſve propinquis expectet: qui ſibimet vivis potius conſulere, quàm mortuis ſatagunt. At religioſior, ac magnificentior Sergius Dux fuit, qui cœnobium D. Gregorii, quod Noſtriano in vico ſitum erat, Mariæ religioſæ fœminæ ſacris virginibus Præpoſitæ, dono dedit; ut ſanctiorem in eo vitam tranſduceret: tabularum exemplum apud Capacium curioſus leget. Id temporis Victor, qui, Joanne extincto, ſucceſſerat, Neapolitanam Eccleſiam regebat, ad eum Gregorius VI. epiſtolam ſcripſit, quæ perperam Gregorio I. adſcribitur. Exin vero, Victore è vivis ſublato, Sergius II. in Præſulem anno MLIX. cooptatus eſt, & in Beneventano conventu ſub Nicolao II. cum reliquis Patribus ſedit.

At Clemente nono Pontificatus menſe extincto, Damaſus ſuffectus, qui paucos dies vixit, quo tempore Benedictus iterum Pontificatum invaſerat: tandem anno MXLIX. Leo IX. Summus Pontifex concordibus omnium animis ſalutatus: vir eo honore digniſſimus, & tum Eccleſiæ maximè neceſſarius. Poſt initum Pontificatum in Campaniam luſtrandorum finium cauſa perrexit: ejuſq;

Pro-

Provinciæ urbes in ſua, atque Henrici Cæſaris verba jurare adegit: eaſque à Normannorum ſocietate, quorum jam ſuſpecta potentia erat, avocare conatus eſt. Caſſinum adiit: ibique die Apoſtolis ſacra ſolemni ritu hoſtiam litavit: XII. Monachorum pedes CHRISTI exemplum imitatus, lavit: & ad communem eorum menſam diſcubuit: Beneventanos diris, quibus à Clemente devoti fuerant, laxavit.

Per idem tempus cum latè Normannorum nomen divulgaretur, & victoriarum fama inclareſceret, Robertus Drogonis frater, gloriæ ſtimulis, ac regnandi cupiditate incitatus, plurimis ſuorum ſtipatus, in Apuliam venit. Drogo ingenti gaudio germanum complexus, honorificè apud ſe retinuit. inde magnam in juvene indolem animadvertens, novi oppidi, quod ipſe in Calabriæ finibus extruxerat, & D. Marci fanum nuncupaverat, dominum conſtituit: ſic Fortuna Italorum deſidiæ pertæſa, diſcordiaſque averſata barbaris illis regium honorem, ac nobiliſſimæ Provinciæ opes deſpondebat. Per eos etiam dies cum Guaimarius ſubditas ſibi gentes tyranni more vexaret, nec amplius liberis populis tolerandus eſſet, inita Amalphitanorum, ac Salernitanorum conjuratione, in ipſo Salerni litore circumventus ſex & triginta ictibus confoſſus pęnas ſuperbiæ, ac tyrannidis luit. Tres liberos reliquit, quorum Giſulphus major natu, Vidonis patrui Ducis Surrentini opera Principatum recepit: patriſque caſu doctior factus, mitem ſe in populos exhibuit; atque affabilitate univerſorum animos promeruit: de percuſſoribus tamen ſumptum ſupplicium, quorum XL. necati: tumultus Normannorum ope illicò extinctus eſt.

Dum in Italia Normannorum res, tertia illorum ſub Roberto expeditione, plurimum creſcerent, Conſtantinus in Oriente ægre ferens ſe illorum armis ab Italiæ poſſeſſione pene excluſum: cumq; nullam in armis ſpem poneret, fraude illos adortus eſt, Græcaque uſus arte Argyrum, ut Gulielmus Apulus author eſt, ad ſe in Orientem evocavit. Argyrus magnis promiſſis oneratus Conſtantinopolim navigavit. Eum Cæſar perhonorificè excepit; magniſque ſibi muneribus obſtrinxit; conſilioque cum eo inito, conſtitutum, ut quos fortitudine vincere non quiret, auro, quo nulla unquam validior machina fuit, expugnaret: ingentem pecuniam Argyro tradit, jubens ea Normannos allicere, atque in Orientem ad Perſicum bellum traducere, ut nimirum eo bello extinctis, ipſe Apuliam defenſoribus vacuam reciperet. Argyrus in Apuliam reverſus, Normannos adit; pluribuſque eos ad Cæſaris amicitiam donis adducere conatur, ingentia illis ſubinde munera, ampliſſimam ditionem ſpondet, ſi in partem Perſici belli venire velint: eſſe in Oriente divitias immenſas, vaſtiſſimos campos, quibus regna parari poſſent.

Nec

Nec dubium, quin eorum virtuti Perſæ ceſſuri eſſent, illuſtrique ipſi victoria potituri. Normanni Græcæ fraudis non ignari, liberè reſponderunt: ſcire ſe quò ejus verba ſpectarent, & quid Cæſar Græco aſtu meditaretur, verum eo ſe animo eſſe, ut quandiu à fortioribus non cogerentur, nunquam ſe Apuliam relicturos. Greci hac arte deluſi, fraudem inſtruunt, pluribuſque ſicariis immiſſis Drogonem in Eccleſia ingredientem unà cum ſociis, qui in comitatu erant, iterimunt; parricidiumque ſacrilegio inſigniunt. Occiſus Drogo anno MXLIX., cui poſtquam Hunfridus frater juſta perſolvit, Principatum adivit: qui nimia regnandi cupiditate, non contentus Apulia, in Eccleſiæ fines irrupit, plurimaque loca armis occupavit: nec à templis, ac cœnobiis abſtinuit: omnibuſque ea ſacris vaſis, ac divitiis expilavit. Nec minor in Riccardo Comite Averſano cupido erat, qui Aſclefini filius, mortuo Rodulpho, Principatum ſuſceperat. Hic juſto exercitu conflato Capuam progreſſus urbem obſedit, eamque ad deditionem compulit. Quibus ab Leone compertis in Campaniam venit, cumque admoniti Normanni reddere occupata recuſarent, Capuam, & Beneventum diris deteſtationibus obſtrinxit, Romamque reverſus fœdus cum Henrico Cæſare contra Normannos percuſſit.

Initio anni MLIII. inſignis inter Leonem Pontificem, & Henricum Cęſarem facta prædiorum permutatio. Henricus I. Eccleſiam D. Georgio Bambergæ ædificaverat: cumque eam Principem regionis conſtitui vellet, annuum vectigal Benedicto VII., qui & VIII. etiam dictus, C. auri minas, & album equum obtulit phaleratum: plurimaſque alias Eccleſias, cum ampliſſimis prædiis, quæ præteritorum Regum pietas, ac munificentia D. Petro, Eccleſiæque donaverant. Henricus II. optimum factu ducens, ſi hæc Eccleſiarum jura cum Beneventano Principatu, quem difficile retinere ipſe potuiſſet, permutaret, ea de re per ſuos Legatos cum Leone egit. Leo æquum poſtulatum exiſtimans, facilè annuit, ac res transacta: ea prædia, & cenſus, qui ad ea tempora Eccleſiæ perſolutus fuerat, Imperatori remiſſi: Beneventanus Principatus Romanæ ditioni adjunctus. Tum Leo Rodulphum nobilem virum Ducem Beneventanum conſtituit: ſibique & Eccleſiæ vectigalem eſſe, certumque in annum cenſum imperavit.

Id Hunfrido, qui eum Principatum affectabat, grave accidit; ideoque nulla divini, humanique juris ratione habita, copiis in unum contractis, Beneventum obſedit, quæ urbs cum modico præſidio teneretur, brevi in illius poteſtatem pervenit. His rebus Leo permotus, & Apulorum querelis, quibus graviores in dies Normanni evadebant (nemo adeo potentes dominos patitur, in quos tueri ſua jura non poſſit) bellum jis inferre ſtatuit. Ubi verò Ger-

ma-

manorum copiæ ab Henrico ſub Varnerio Duce miſſæ Romam venerunt: & quas ipſe in Italia ſcripſerat, ſub Rodulpho Beneventano Duce coactæ jam eſſent: ipſe univerſum exercitum luſtravit: inde urbe egreſſus Caſſinum movit. Normanni, cognito Germanorum adventu, Romanique Pontificis reverentia permoti, Legatos miſerunt, qui pacem peterent, dummodo quæ occupaverant, ipſius indulgentia retinere licuiſſet: futuroſque ſe Eccleſiæ vectigales. Leo vir antiquæ ſeveritatis, negavit ſe de pace acturum, ni prius erepta Eccleſiæ reddidiſſent. Tum Hunfridus, ut violentum, ac rapax barbaris ingenium, Vitam, inquit, potius, & non inultus ponam, quàm quæ armatus mihi comparavi, pacificus nunc, atque imbellis reſtituam: ſimulque coactis jam copiis in hoſtem caſtra movit. Leo ſacris in Caſſinate æde peractis, in hoſtium fines exercitum induxit. XIV. Kal: Jul: acie utrinque inſtructa, magnis animis pugnatum. Germani Leonis præſentia confirmati, primam Normannorum aciem loco movent, ac ſubinde fundunt: conſecuturi facile victoriam, ſi eum impetum continuaſſent. Hunfridus cum fugere ſuos videret, remque ad Triarios redactam, brevi oratione ſuos inflammavit; eoſque vehementer precatus, ut tot armis, tot præliis quæſitam gloriam ne vellent unius pugnæ jactura amittere: hoſtes primo impetu jam languidos, & præoccupatione victoriæ ſecuros vinci poſſe, ſi integri ipſi totis eos viribus invaderent; atque hæc dicens primus ipſe in confertos hoſtes equum incitavit: ſecuti magna alacritate Triarii: horum impetum non diu Germani ſuſtinuerunt, verſa tum prælii fortuna. Germani fere ad unum cæſi: Longobardi fuga ſalutem quæſiverunt. Pontifex in vicinam arcem ſe recepit, in qua ſtatim obſeſſus, Normannis ſe dedere compulſus eſt, qui eum perhonorificè ſuſceptum Beneventum deduxerunt: ibi cum ægrotaſſet, ab Hunfrido IV. Id: Martias anni MLIV. Capuam delatus, inde Romam ſub Paſchales dies devectus XVI. Kal: Majas mortalitatem exuit, atque ob miraculorum multitudinem ab eo ſtatim editam, inter Divos relatus, cujus Deus patientiam eo ſiniſtro prælii eventu probare voluit, quo glorioſior de ſe triumphus, quam de hoſtibus eſſet.

Leone inter Superos recepto, annuum interregnum ob factiones Tuſculanorum Comitum, qui nimia tum potentia Eccleſiam opprimebant, ſecutum eſt. Tandem initio anni quinquageſimi quinti ſupra milleſimum, Henrico adnitente, Gebelardus Aiſtenſis Epiſcopus Pontifex renunciatus, & ſacro ritu inunctus Victor II. nuncupatus. Secuto deinde anno Cæſar cum quadrageſimum vix annum attigiſſet, in Saxonia coram Pontifice ultimum diem ſacris Chriſtiano ritu munitus obivit. Septemnem filium ex ſuo nomine appellatum regni hæredem reliquit, qui imperium adeptus Henricus

cus

cus III. eſt nuncupatus, etſi Germani Scriptores IV. vocent, quod alius Henricus Germaniæ Rex, non tamen Imperator, interceſſerit. In Oriente jam Conſtantinus anno MLIV. è vivis exceſſerat, ejus locum Theodora Auguſta Zoës ſoror occupavit, quæ anno deinde MLVI. fato functa Michaelem Stratonicum ſucceſſorem habuit, virum uti militiæ ſcitum, ita politicarum rerum inexpertum, qui vix Theodoſii Monomachi filii motu ſedato, ab Iſacio Comneno oppreſſus, ſe imperio abdicavit: exitu ejuſdem anni MLVII. Victor è vivis abſceſſit, ſtatimque Stephanus X. Pontifex creatus, quo ſequenti anno Florentiæ extincto, Tuſculani Comites Benedictum Pſeudopontificem actutum intruſerunt, ſub quo uſque ad annum MLIX. Eccleſia laboravit. Tum demum Clerus, Populuſque Romanus unanimi conſenſu Nicolaum II. Pontificem crearunt.

Inter hos Eccleſiæ labores, Normanni uſi opportunitate, res ſuas plurimum auxerunt. Præcipua Roberti inter Brutios virtus, ac potentia eminebat, qui per id tempus Tempſam, validiſſimam ſitu arcem, quam Græci tenebant, aſtu intercepit. Edito in colle vetuſtiſſimum iſtud Brutiorum oppidum poſitum eſt, ac præruptis circum rupibus præcinctum, ejus æs antiquitus maximè celebratum. anguſto ponte, adituque difficili in oppidum intrabatur, cumque pauci armati defendere commodè poterant. Robertus cum vi arcem expugnare, per quam arduum duceret, oppidanos fraude adortus. Non procul ab urbe D. Marci, in qua Robertus imperabat, Tempſa erat, Malvitum minores vocant, inque illa celebre Monachorum cœnobium inſtructum; magnaque apud eas gentes religione habebatur; in illius ædem honoris gratia nobilem virum efferre ſuos velle, vulgari jubet. Inde feretrum inſtruit, fortemque in eo militem diſtendit: arma circum plurima locat: lodiculaque hominem, & arma obtegit: validos viros defunctum efferre, ac circum ſtipare mandat. Ubi in Eccleſiam perventum, locatumque in medio feretrum, illicò miles, qui mortuus putabatur, diſtricto gladio aſſurgit: reliqua ſocii arma arripiunt; inque eos, qui ad ſpectaculum inermes confluxerant, irrumpunt, qui ſubito caſu perterriti aut capti, aut interfecti, ignaviæ pœnas dederunt. Ad portam armati concurrunt, ſuos admittunt, oppidumque in poteſtatem redigunt. Cœnobitis nulla vis illata: nec in eorum bona avidiſſimi quamvis Normanni impetum fecerunt. Oppido hoc aſtu intercepto, nuncius ad Robertum delatus, Hunfridum gravi morbo correptum, deque illius ſalute medicos deſperare, quo triſti nuncio perculſus, Rogerio ad cuſtodiam arcis relicto, ipſe per diſpoſitos equos quam citiſſimè potuit, ad fratrem convolavit. Venuſiam aſſecutus, Hunfridum in ultimo jam vitæ puncto conſtitutum invenit, quem mul-

tis

Digitized by Google

tis lacrymis complexus, ac deoſculatus eſt. Hunfridus viſo fratre parumper animo recreatus, eumque pari charitate eſt amplexatus. Inde Baccelardum filium, quem Principatus hæredem dixerat, Roberto ſummopere commendavit, ac ſaluberrimis monitis inſtruxit: mox ſacris Eccleſiæ munitus mortalitatis jura perſolvit. Ejus mors univerſam Apuliam mœrore affecit; nam præter ſingulares animi dotes, quibus omnibus acceptiſſimus, & corporis robore, & belli ſcientia egregius Dux habebatur, futurus omni apud poſteros laude digniſſimus, ni ob nimiam regnandi cupiditatem, aliena rapuiſſet, inque Pontificem infeſta arma intuliſſet: alterum filium Robertum nomine habuiſſe, eumque Lauritelli Comitem inſtituiſſe, quidam ſcripſerunt.

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ
LIBER DECIMUS.

Robertus poſteaquam juſta fratri perſolvit, tutoris nomine Principatum adminiſtrare cępit, mox ægrè ferens (tanta in homine dominandi libido, ut nulla naturæ jura, nullas leges, ac fidem ducat) Hunfridum non ſe ſucceſſorem, quod reliqui fratres facere inſtituerant, ſed filium reliquiſſe, illum in ordinem redigit, ſeque Principem appellat. Neque his finibus contentus, Trojam, quæ Pontifici parebat, armis occupat, præſidioque impoſito, in Calabriam revertitur. Hic, exercitu luſtrato, Cariathim movit, oppidumque corona circumdedit; at cum primo impetu capere non quiviſſet, machinis urgere inſtitit. Interea Nicolaus II. omnem ad componendas Eccleſiæ res animum converterat, & prima in Normannos cura fuit, qui diris devoti, in Eccleſiaſticam ditionem lymphati irrumpentes, cuncta populabantur. Cum his autem abſentibus quoniam tranſigi res non poterat, Melphiam ad cognoſcendam eorum cauſſam progredi conſtituit: ibique conventum à Nicolao habitum Scriptores tradunt; etſi alii in Veſtinis juxta Amiternum in eo loco celebratum, ubi deinde Aquila ædificata, memoriæ prodiderint.

Pe-

Petebat in eo conventu iterum Robertus, ut quæ vel ipſe, vel fratres ſui armis occupaſſent, Pontificis dono retineret: futurum ſe Eccleſiæ, Romanorumque Pontificum vectigalem, tributumque in ſingulos annos penſitaturum. Nicolaus cum videret Eccleſiaſticam ditionem multis tyrannis opprimi: nec ſibi tantas in præſentia vires eſſe, quibus eos unà cum Normannis debellare potuiſſet: Germanorum auxilia longè eſſe, & futuros etiam graviores, ſi veniſſent, doctuſque Leonis exemplo, quod recens adhuc animo hærebat, optimum duxit, ſervire tempori; partamque armis ditionem Roberto concedere, cujus liberi, ac nepotes Itali Principes futuri erant: & vindicari ab exteris Italiam, quam tot jam annos barbaræ gentes laceraverant: Imo fieri poſſe ut Normannorum auxiliis reliqui tyranni, qui non adeò potentes erant, opprimerentur. His igitur decretis Melphiam conceſſit. Robertus ſimul, ac eam in urbem Nicolaum ad concilium proceſſiſſe cognovit, relicta Cariathis obſidione, Melphiam incredibili celeritate contendit: ibi Pontificem inviſit, ac humilis adoravit: nec ullum obſequiorum genus fuit, quod non exhiberet: uſque adeo verum ambitioſo, ac ſuperbo abjectiorem eſſe neminem: qui ut id, cui ardenter inhiat, conſequatur, in humillima quæque deſcendere non dubitat. Nicolaus eum, ac Normannos anathemate abſolvit, piorumque ſocietati reſtituit. Inde Apuliæ, Calabriæque Ducem, ac Siciliæ Comitem, ubi eam inſulam à Saracenis vindicaſſet, ſolemni pompa creat. Robertus futurum ſe Eccleſiæ vectigalem; annuumque cenſum, duodenos in ſingula bovum juga denarios penſitaturum, futurum etiam ejuſdem defenſorem, armaque in tyrannos illaturum ſacramento obligavit. Quo dicto, Pontifex ei vexillum tradidit, Ducemque ſalutavit. Atque in hunc modum Nicolaus, uno legitimo Principe conſtituto, plurimos tyrannos extinxit, Italiæ libertatem, Eccleſiæ ſecuritatem reſtituit: de utraque optimè meritus, magnamque apud poſteros laudem eſt conſecutus.

Hoc verò tempore Robertum cognomento Viſcardum, quod Normannorum lingua aſtutum, ac ſagacem hominem ſonat, appellatum perhibent; id autem hoc modo eveniſſe comperio. Robertus ob ingentes belli ſumptus, omnem pecuniam impenderat: imo etiam ære alieno maximè opprimebatur: idcirco ad artes, aſtuſq;, quas juſtas neceſſitates Principes vocant, confugit: ut novum ad bellum, quod non neceſſitate, ſed ambitione ſuſceperat, pecuniam conquireret, ſeu verius extorqueret, cujuſdam oppidi dominum, quem ditiſſimum eſſe noverat (hunc quidam Petrum Torium Biſidiani Comitem extitiſſe tradunt) ad ſe accerſivit, eumque partim blanditiis, partim minis ita flexit; ut XX. millia nummum aureorum ab eo extorſerit, quo aſtu cum ſæpe uteretur, à Girardo quo-

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ

LIBER DECIMUS.

RObertus poſteaquam juſta fratri perſolvit, tutoris nomine Principatum adminiſtrare cępit, mox ægrè ferens (tanta in homine dominandi libido, ut nulla naturæ jura, nullas leges, ac fidem ducat) Hunfridum non ſe ſucceſſorem, quod reliqui fratres facere inſtituerant, ſed filium reliquiſſe, illum in ordinem redigit, ſeque Principem appellat. Neque his finibus contentus, Trojam, quæ Pontifici parebat, armis occupat, præſidioque impoſito, in Calabriam revertitur. Hic, exercitu luſtrato, Cariathim movit, oppidumque corona circumdedit; at cum primo impetu capere non quiviſſet, machinis urgere inſtitit. Interea Nicolaus II. omnem ad componendas Eccleſiæ res animum converterat, & prima in Normannos cura fuit, qui diris devoti, in Eccleſiaſticam ditionem lymphati irrumpentes, cuncta populabantur. Cum his autem abſentibus quoniam tranſigi res non poterat, Melphiam ad cognoſcendam eorum cauſſam progredi conſtituit: ibique conventum à Nicolao habitum Scriptores tradunt; etſi alii in Veſtinis juxta Amiternum in eo loco celebratum, ubi deinde Aquila ædificata, memoriæ prodiderint.

Pe-

Petebat in eo conventu iterum Robertus, ut quæ vel ipſe, vel fratres ſui armis occupaſſent, Pontificis dono retineret: futurum ſe Eccleſiæ, Romanorumque Pontificum vectigalem, tributumque in ſingulos annos penſitaturum. Nicolaus cum videret Eccleſiaſticam ditionem multis tyrannis opprimi: nec ſibi tantas in præſentia vires eſſe, quibus eos unà cum Normannis debellare potuiſſet: Germanorum auxilia longè eſſe, & futuros etiam graviores, ſi veniſſent, doctuſque Leonis exemplo, quod recens adhuc animo hærebat, optimum duxit, ſervire tempori; partamque armis ditionem Roberto concedere, cujus liberi, ac nepotes Itali Principes futuri erant: & vindicari ab exteris Italiam, quam tot jam annos barbaræ gentes laceraverant: Imo fieri poſſe ut Normannorum auxiliis reliqui tyranni, qui non adeò potentes erant, opprimerentur. His igitur decretis Melphiam conceſſit. Robertus ſimul, ac eam in urbem Nicolaum ad concilium proceſſiſſe cognovit, relicta Cariathis obſidione, Melphiam incredibili celeritate contendit: ibi Pontificem inviſit, ac humilis adoravit: nec ullum obſequiorum genus fuit, quod non exhiberet: uſque adeo verum ambitioſo, ac ſuperbo abjectiorem eſſe neminem: qui ut id, cui ardenter inhiat, conſequatur, in humillima quæque deſcendere non dubitat. Nicolaus eum, ac Normannos anathemate abſolvit, piorumque ſocietati reſtituit. Inde Apuliæ, Calabriæque Ducem, ac Siciliæ Comitem, ubi eam inſulam à Saracenis vindicaſſet, ſolemni pompa creat. Robertus futurum ſe Eccleſiæ vectigalem; annuumque cenſum, duodenos in ſingula bovum juga denarios penſitaturum, futurum etiam ejuſdem defenſorem, armaque in tyrannos illaturum ſacramento obligavit. Quo dicto, Pontifex ei vexillum tradidit, Ducemque ſalutavit. Atque in hunc modum Nicolaus, uno legitimo Principe conſtituto, plurimos tyrannos extinxit, Italiæ libertatem, Eccleſiæ ſecuritatem reſtituit: de utraque optimè meritus, magnamque apud poſteros laudem eſt conſecutus.

Hoc verò tempore Robertum cognomento Viſcardum, quod Normannorum lingua aſtutum, ac ſagacem hominem ſonat, appellatum perhibent; id autem hoc modo eveniſſe comperio. Robertus ob ingentes belli ſumptus, omnem pecuniam impenderat: imo etiam ære alieno maximè opprimebatur: id circo ad artes, aſtuſq;, quas juſtas neceſſitates Principes vocant, confugit: ut novum ad bellum, quod non neceſſitate, ſed ambitione ſuſceperat, pecuniam conquireret, ſeu veriusextorqueret, cujuſdam oppidi dominum, quem ditiſſimum eſſe noverat (hunc quidam Petrum Torium Biſidiani Comitem extitiſſe tradunt) ad ſe accerſivit, eumque partim blanditiis, partim minis ita flexit; ut XX. millia nummum aureorum ab eo extorſerit, quo aſtu cum ſæpe uteretur, à Girardo quodam

dam viro nobili Viſcardus joco appellatus: quod ille cognomen non reſpuit: imò hominis ſale delectatus, eum ſibi amicum aſcivit, amitamque Alberadam fęminam ditiſſimam uxorem accepit, & ſic ſales opportunè jacti regiam Girardo affinitatem pepererunt.

Per hæc tempora, Sergio Duce Neapolis extincto, Marinus vir fortis, ut ait Erechmpertus, Rempublicam adminiſtrandam ſuſcepit. Hujus Capacius non meminit: ſed poſt Sergium, Joannem inſerit. Ego utroque nomine hunc Ducem appellatum facilè crediderim: in hujus conſulatum, ea viſio incidit, quæ Deſiderio Caſſinatis Cœnobii Præpoſito, qui Pontifex inde creatus, & Urbanus II. dictus eſt, oblata perhibetur. Hic divino mentis exceſſu raptus, nigros quoſdam Æthiopes ſibi videre viſus eſt, qui jumenta lignis onuſta abigentes, jiſdem identidem fuſtibus comminabantur. Deſiderius oſtento perterritus, qui homines eſſent, & quò pergerent, interrogavit. Tum, Cacodęmones, Miniſtri, inquiunt, inferorum ſumus, & ad Pandulphum Capuanum, & Joannem Neapolitanum, Magiſtrum militum feſtinamus, igniumque fomenta illorum comburendorum cauſſa portamus. His à Joanne compertis, Capuam miſit, ut quid ibi ageretur, cognoſceret, relatumque Pandulphum diem objiſſe, quem non multo poſt, & ipſe inſecutus eſt, ut Petrus Damianus eſt author. Quo oſtento erudire Principes voluit Deus, ut ſanctè viverent, nec regnandi impotentia populos opprimerent; nam et ſi nullus in terris ſit, qui coërcere eos legibus valeat; eſſe poſt fata, qui ſcelerum vindex æternis ipſos pęnis addicat. Hunc Pandulphum eum fuiſſe crediderim, quem, patre extincto, ſimilique ſupplicio affecto, Riccardus exauthoraverat, ſiquidem hoc oſtentum idem cum Protagoræ viſis fuiſſe, nec tempora, nec perſonæ conſentiunt. Joanni Sergius V. ſurrectus: vir, ut genere illuſtrior, ita moribus commendatior.

Robertus in Calabriam reverſus Cariathim iterum obſedit: nec multo poſt æquis conditionibus in deditionem accepit: inque eo oppido primùm Calabriæ Dux ſalutatus. Cariathienſium exemplum ſtatim Roſcianum, & Conſentia ſecuta; omniſque fermè Calabria in illius verba juravit: quibus rebus proſperè geſtis, Robertus pro more humani ingenii inflatus, Alberadam, ex qua Boëmundum ſuſceperat, quaſi humilem, repudiavit: & Sichelgaidam Giſulphi Principis ſororem ſibi matrimonio copulavit; utque inſigniores hæ nuptiæ, ac lętiores eſſent, Gaitelgrimam minorem natu ſororem Jordano Riccardi Averſani filio nuptui dedit, quibus nuptiis magnam ſibi Robertus invidiam conflavit, qua incitati tres in eum Comites conjurarunt, Gocelinus, Goffridus, & Buccelardus nepos, in cujus animo erepti Principatus injuria altius inſederat. Hi cum potentiorem pati non poſſent, tollere decernunt. Verum ſegnius

dum

dum rem aggrediuntur, Roberto proditi: conjuratioque diffluta: quæ uti ſecreta conſilia, ita feſtinationem expoſcit. Robertus re per indicem comperta, impotenti in conjuratos ira exarſit: illi cum ſe aperta vi opponere neutiquam valerent, fuga ſalutem quæſiverunt: aliis alio dilapſis, Gocelinus in Græciam navigavit.

Interea Nicolaus Romam reverſus, atque auxiliis Normannorum ſtipatus plures tyrannos oppreſſit, Comitumque Tuſculanorum potentiam infregit, quibus geſtis glorioſus, ſupremo fato perfunctus eſt, anno MLXI. in illius locum Alexander II. inductus. At Riccardus Averſanus Comes Roberti æmulatione incitatus, atq; aliena rapiendi rabie agitatus, Capuam, cujus jam plurima loca occupaverat, copias duxit, tribuſque caſtellis excitatis urbem obſedit; nam cum non plurimus ei miles eſſet, univerſam urbem vallo præcingere non poterat. Capuani, etſi infirmæ Principis vires eſſent, mira ſe fortitudine, urbemque tuebantur. Riccardus cognita civium conſtantia, Pandulpho pacem petenti, facilè dedit: acceptiſque ſeptem aureorum millibus, obſidionem ſolvit. Non multos poſt dies Pandulphus vita exceſſit: Principatumque Landulphus filius ſuſcepit. Riccardus, quaſi jurisjurandi ſe religione, eo mortuo, liberaſſet, majoribus copiis contractis, iterum Capuam obſedit: Capuani ut ſe ab eo redimerent, ingentem pecuniæ vim, & quas dediſſet, conditiones ſe accepturos ſpoponderunt: ille potiundi oppidi certus, pecuniam rejecit: nec ſe alias conditiones, quam urbem velle, ſtatimque obſidionem urgere inſtitit: Capuani fortiter mœnia defenderunt; hoſtemque à vallo ſubmoverunt; at mox cum rerum omnium inopia opprimerentur, hac conditione, eum in urbem acceperunt, ac Principem ſalutarunt; ut nimirum ipſi turres, & portas urbis armati tuerentur. Riccardus urbe potitus Caſſinum, ut ſpeciem religionis oſtentaret, inviſit, Caſſino Averſam rediit: ibi novis copiis conſcriptis, intra tres menſes univerſam fermè Campaniam occupavit. Capuam victor inde progreſſus, nobiles ad ſe viros accivit; atque ita allocutus: Tempus eſt jam, Capuani, ut univerſa Campania in poteſtatem redacta, mihi turrium, urbiſque cuſtodiam permittatis; nam cum nulli ſint amplius hoſtes, quos timeatis, non eſt cur de turrium, urbiſque ſecuritate ſolliciti ſitis, qui ſi timendi adhuc eſſent, non eſt cur de mea, ac Normannorum fortitudine dubitetis: meæ curæ erit vos ab aliena injuria vindicare; neque enim æquum cenſeri debet, ut in eadem urbe una gens imperium, altera cuſtodiam habeat: quocirca meæ vos fidei permittite, de qua ſi dubii eſtis, ſciatis velim me etiam de veſtra ſollicitum eſſe, ideoque ut eo me dubio eximam pro virili curabo. Capuani improviſo Principis juſſo perculſi, tempus ad deliberandum petierunt: cum verò deliberando rem in longum

trahe-

traherent, Riccardus urbe egreſſus, iterum illam obſidione præcinxit, Capuani Præſulem ad Henricum Cæſarem legarunt, ut auxilia ab eo peteret; Ipſi interea omnibus viribus urbem tuebantur, nec Riccardus experiri vim auſus, fame eos capere inſtitit. Qua tamen Capuani ad extremam neceſſitatem redacti, liberum urbis imperium Riccardo tradiderunt, qui anno MLXII. Longobardis extinctis, Capuæ Principatum obtinuit: cæterum Capua à Longobardis condita, in medio Felicis Campaniæ ad Vulturnum amnem ſita eſt, uberes circum campos, ac declives habet; ut illis veluti è tumulo immineat; omniaque circum tormentis petere poſſit, ad Septentrionem Vulturnum amnem pro munimento habet, ex reliquis verò lateribus muro olim crebris turribus munito præcingebatur: proximis temporibus ad recentem belli uſum ſex amplis propugnaculis ex quadrato lapide, atque ampliſſima etiam foſſa, in quam induci è fluvio aqua non arduum, prætenturis, ac valida lorica communita eſt: ut Neapolitani Regni validiſſimum munimentum habeatur. Vetus Capua, cujus hæc nova veluti appendix, totius Campaniæ Princeps fuit: imo inter primas terrarum urbes numerata. Etruſci vetuſtiſſimis temporibus illam condiderunt, & Campanarum urbium caput conſtituerunt; atque hinc Capuam dictam Scriptores tradunt: alii à Falcone, qui Capys Etruſcorum lingua dicitur: à Capy Trojano quidam etiam vocatam ſcribunt. Eam Annibal poſtquam occupavit, Romæ æquare ſtuduit: ſed illius deliciis fractus, & ſe, & Capuam perdidit. Verum, ut ad Riccardum redeam, Capua in poteſtatem redacta, ad Theanum occupandum curas convertit: incendiarios clam in urbem immiſit; qui proxima nocte in eam urbem ignem injicerent, ipſe cum valida ſuorum manu in proxima ſylva conſedit: ubi verò incendium, uti conventum jam erat, excitatum eſt, ad urbem primo mane convolavit. Theanenſes Comites, & incendio, & hoſtis adventu perturbati fuga ſalutem quæſiverunt: ipſe dedentibus ſe ultro civibus, urbem ingreſſus, Caſſinatibus Monachis, qui in ea degebant, ſe affabilem exhibuit, atque ab illorum bonis abſtinuit.

His proſperis rerum ſucceſſibus, Riccardus vehementer elatus, ingentia jam animo devorabat, & quaſi in una Campania univerſam Italiam cepiſſet, ſupremam majeſtatem affectabat: ea igitur ſpe animatus, fore ut Cæſar ſalutaretur, exercitum Romanum in agrum induxit, Romæque admovit; nam cum inter Pontificem, & Henricum magnæ tum diſcordiæ eſſent; ſeque aperto odio perſequerentur, ſperabat Riccardus fore, ut Pontifex ſuæ petitioni faveret, quocirca ab eo Patriciam dignitatem poſtulavit, qui tum honor gradus ad Imperatoriam majeſtatem ducebatur. Riccardi adventus, tantum Romanis, ac finitimis terrorem incuſſit, ut Henricus

ne,

neceſſarium ſibi duxerit, ſua præſentia hoſti occurrere, conceptumque Normannorum impetum continere; cumque venturus Romam eſſet, ad accipienda Imperii inſignia, nulla mora interpoſita, Auguſtam Vindelicorum progreſſus. Cùm vero Gottifridus Tuſciæ Marchio, cujus intererat Cæſari in Italiam venienti iter tutum ſternere, non dum ſe ad Alpes contuliſſet, profectionem diſtulit. At Gottifridus, qui Thuſciam, quam dotis titulo conjux Beatrice attulerat, & ea loca, quæ Metildis erant, Lotharingiæ, quam à patre acceperat, addiderat, ideoque metuendus jam Italis erat, Romam venit; ut ſuo exercitu, priuſquam Cæſar adveniſſet, Riccardo occurreret. Pontifex ſive quod nimiam Riccardi ſuperbiam damnaret, ſive quod reconciliari cum Cæſare vellet, non ſolum Gottifrido favit, ſed unà cum illo in Campaniam movit. In quam ingreſſi caſtra ad Lirim poſuerunt. Riccardus, cognito hoſtis adventu, copias Peteranam exiguam, ſed munitam arcem reduxit, eo conſilio, ut ſi hoſtis Campaniam occupaſſet, liberum ipſe ea via receſſum in Apuliam haberet; ut vero amnis tranſitum hoſti prohiberet, Jordanum filium cum Gulielmo cognomento Audace, fortiſſimo Duce, atque expeditis militum cis amnem reliquit. Hic Normanni duodeviginti dies continuis velitationibus ab hoſtibus laceſſiti fortiter dimicarunt. Cum igitur æqua eorum præliorum fortuna eſſet, & uterque de totius rei ſumma dubitaret, inita per Gulielmum Audacem his conditionibus concordia: Riccardus pecuniam eo bello impenſam Gottifrido ſolveret, pacatam ipſe Campaniam haberet: Gottifridus copias ex ea reduceret: quibus firmatis, Gottifridus in Etruriam conceſſit, ubi non multo poſt diem obivit: eo mortuo, Beatrice, & Metildis Tuſcorum populorum regimen ſuſceperunt, quæ egregiis virtutibus, ac mira in Superos religione, præteritarum fœminarum ignominiam ab Etruria removerunt. Gottifridi mortem crinitum ſydus, quod per eos dies miro radiorum ſplendore effulſerat, prænunciaſſe vulgò creditum. At verò Alexander Pontifex, ut res Normannorum omnino componeret, conventu Melphiæ habito, in quo ipſe interfuit, plurima ad continuandam pacem ordinavit: Robertum iterum Apuliæ, Calabriæque Ducem appellavit: magniſque incitationibus ad Siculum bellum adhortatus eſt: ratus ita eum ab ſe ſubmoturum, & Saracenos è Siciliæ poſſeſſione ſua, & Eccleſiæ gloria repulſurum.

Quoniam Normannorum res ſcribimus, à quibus Siciliæ regnum fundatum eſt, non erit abs re brevi ab inſtituto divertere. Gulielmus Normanniæ Dux, exercitum plurima in Britanniam claſſe per id tempus tranſduxit, totamque Meridionalem inſulæ partem, quæ Romanorum Provincia fuit, armis occupavit: alteram ad Septentrionem vergentem vectigalem ſibi fecit. Hunc Viſcardi fratrem

qui-

quidam fuiſſe tradiderunt; qui inter Tancredi filios ſecundus Guglielmus fuit. Ultimus ex illis Rogerius Boſſus extitiſſe perhibetur, qui ne fratribus inferior fortuna videretur, patria domo relicta, in Italiam ad Robertum ſe contulit. Robertus germanum complexus, magno apud ſe honore habuit. Illum mira fortitudine præditum, belli artibus inſtructiſſimum, ore venuſtum, facundum lingua, ingenioque ſagacem fuiſſe, eorum temporum Scriptores tradunt: atq; ob id magnam ſibi gloriam brevi conquiſiſſe. Robertus, ut Rogerii virtutem experiretur, LX. nobilium virorum turmæ præpoſuit: & in Calabriam comparandæ gloriæ cauſſa dimiſit. Hic jis copiis auctus, quæ pro Roberto militabant, ac popularium auxiliis fultus Vibonenſem arcem, quam Græci tenebant, obſedit. Vibonenſes Rogerii fama moti, ſe in ejus fidem, Græcis ejectis, permiſerunt. Vibonenſium exemplum circumpoſita loca ſtatim imitata ſunt, quibus in deditionem acceptis, in Apuliam ad Robertum fratrem reverſus, à quo ſummis laudibus exceptus eſt.

Campania jam pacata, Deſiderius Caſſinatium Abbas inſtauratam ab ſe Eccleſiam, noviſque ornamentis auctam, ſolemni pompa, Eccleſiæque ritu inaugurare ſtatuit, quæ ut celebratior feſtivitas eſſet, Alexandrum Pont: vehementer rogavit, ne gravaretur Caſſinum venire, atque Eccleſiæ CHRISTI Sponſæ eam gratiam facere, inaugurationemq; ipſe perageret, id Cœnobitarum omnium votum eſſe, qui tanti beneficii memores futuri erant. Tam juſtæ petitioni religioſiſſimus Pontifex non abnuit: & ad certam diem venturum ſe in Caſſinas Monaſterium ſpopondit. Re conſtituta, Deſiderius univerſos Campaniæ, Apuliæ, Calabriæque Præſules ad eam celebritatem, cui Pontifex Max: intereſſe non gravabatur, ut & ipſi venire, ne grave ducerent, ſummopere rogavit. Ipſos etiam Principes invitavit, utque Pontifici libuit, ad Octobris Kal: anni ſeptuageſimi primi ſupra milleſimum, quibus ea Eccleſia dedicaretur. Dum autem ſinguli ad iter accinguntur, Deſiderius cuncta parari jubet, quæ ad tantos hoſpites pro ſingulorum conditione neceſſaria ducerentur, nec ſumptui, nec diligentiæ, laborique parſum. Convenere ad eam ſolemnitatem Alexander II. Hildebrandus Archidiaconus, plurimique alii purpurati Patres, Archiepiſcopi X., inter quos Joannes Neapolitanus numeratus eſt. Epiſcopi XLIII. Adfuere, Principes plurimi, quorum primi Riccardus Capuanus cum Jordano filio, & fratre Rainulpho, Giſulphus Salernitanus cum fratre, Landulphus Beneventanus, Sergius Dux Neapolitanus, & Sergius alter Dux Surrentinus. Dedicatio peracta, ut conſtitutum fuerat Kal: Octobris, magna celebritate, ac pompa, quæ et ſi ſupra Cœnobiticam humilitatem, infra tamen Eccleſiæ meritum; quæ CHRISTI Sponſa cum ſit, nulla profecto

pom-

pompa erit quantumvis maxima, quæ illius majeſtati par eſſe unquam poſſit. Re Divina peracta, univerſis, qui tum aderant, & his, qui per octo dies proxime ſequentes eam Baſilicam inviſiſſent, omnium noxarum quam pleniſſima eſt venia, Pontificis indulgentia conceſſa.

Robertus ne huic pompæ intereſſet, bellum Siculum impedivit, quod ut validius gereret, fœdus cum Salernitanis, ac Neapolitanis percuſſit: utque hi alacrius eam expeditionem ſuſciperent, ſpe prędarum, atque uberrimæ telluris accendit: ad omnium utilitatem intereſſe, ut communes hoſtes, qui ab anno DCXLIX. eam inſulam vaſtare cęperant, & tot jam annos occupaverant, tandem expellerentur; ita fieri ut ſecura Italia exiſteret, ac libera maria à prædonibus eſſent. Ipſe exercitum Rhegium Julium, quod jam in poteſtatem redegerat, terreſtri itinere deduxit. Socii claſſe plurimarum navium in Siculum fretum navigarunt, quibus ſuis, quæ ex Apulia venerant, adjunctis, in vicinam Siciliam applicuit. Saraceni cum validam Chriſtianorum claſſem cognoviſſent, de ſumma rerum navali prelio decernere non auſi è Peloro Pachinum verſus vela fecerunt. Robertus vacuum mare nactus, militem in litus expoſuit, ibique leve certamen fuit, cedentibus, qui ibi præſidio erant: promotis exinde caſtris, Meſſanam obſedit. Saraceni, etſi amica claſſe deſtituti, non tamen animos deſponderunt: ſed diu magno conatu urbem defenderunt. Mox muro machinis labefactato, ſubſidiique ſpe amiſſa, veriti ne ſi urbem vi Chriſtiani caperent ad unum omnes trucidarentur, urbem Roberto ea conditione tradiderunt; ut liceret ipſis urbe egredi, atque ad ſuos ſine noxa, maleficioque concedere. Meſſana capta, circumpoſita oppida facile in noſtrorum poteſtatem venerunt. Robertus aſtu, quo egregiè pollebat, uſus, ſocios domum ad reficiendas vires remiſit, ipſe ſolus in inſulæ poſſeſſione remanſit, præſidioque in captis urbibus relicto, in Apuliam redivit. ibi copiæ, quæ præſidio erant, Barium ex longo obſederant; urgere tum ipſe obſidionem ſtatuit, ut ea urbe expugnata, omne Græcorum nomen ex Italia ejiceret. Stephanus Pateranus, qui eam urbem regebat, nuncium Conſtantinopolim miſerat, ut ſubſidia à Cæſare obtineret: Conſtantinus X. cognomento Ducas geminas naves & milite, & commeatu onuſtas, ſub Gocelino Normanno, qui ad eum transfugerat, in Apuliam miſit. Gocelinus in Adriaticum ſinum ingreſſus in Roberti naves incidit: cum quibus inito certamine egregiè pugnavit. Verum ſuperante hoſtium numero, alteraque navi demerſa, ipſe cum reliqua captus, ad Robertum deductus eſt, qui eum tandiu in ſordido carcere habuit, quoad vixit, ut perpetua nimirum calamitate atrociorem pęnam ſentiret: Stephanus eo ſubſidio fruſtratus urbē æquis conditionibus victori tradidit.

Bario capto, ne Fortunæ impetum corrumperet, in Salentinos, ac Meſſapios, caſtra movit: Principemque earum gentium Tarentum oppugnare magnis viribus adorſus: poſt paucorum dierum acre certamen urbem in deditionem accepit. Inde fulguris in morem in Calabriam procurrit, ac primo vere in Siciliam trajecit: ubi Rogerius Boſſus ibi ab eo cum parte copiarum relictus, plurima loca, Saracenis prælio fuſis, occupaverat. Meſſanæ luſtrato exercitu, ſociorumque auxiliis aſſumptis, Panormum Occidentalis Siciliæ Principem urbem copias deduxit, eamque terra, marique obſedit: machiniſque muro admotis quatere eam cępit, ac continuis aſſultibus fatigare: verum tanta barbari pertinacia mœnia tuebantur, ut jam de felici ſucceſſu Robertus deſperaret. At uti excelſi animi erat, glorięque, & dominationis avidiſſimi, omnem vim adhibere ſtatuit, ultimaque experiri, ut Saracenorum conſtantiam evinceret: ſuos ad concionem vocatos ita breviter ad oppugnationem inflammavit. Cum uno in oppido hærere adhuc vos videam, commilitones, ambigo, & non temere quidem, ſitiſne vos illi, quos toties barbari fortes experti, & quibus vix conſpectis, perterriti fugam arripuerunt: ac ſuamet confeſſione victi, liberam vobis Siciliam reliquerunt: qui Meſſanam ſitu, & operibus munitiſſimam urbem, atque ab hoſtibus acerrimè defenſam tanta fortitudine expugnaſtis: qui tot inde arces, atque oppida cepiſtis, tot Saracenos congredi auſos fudiſtis, tot ſpolia, tot victorias reportaſtis. An ne id ſociorum, non veſtra virtute factum? illi ne palmas retulerunt? qui cum ſe domum receperint, virtutem unà, atque hujus felicitatem exercitus ſecum avexerunt. An ſine jis pugnare Normanni neſciunt, quos ſæpe vicerunt? tam brevi ab antiqua fortitudine degeneratum? recedamus igitur indecores, tacitique in Calabriæ angulo ignominiæ mœrorem decoquamus, vel ſocios iterum accerſamus; quorum virtute victoria referatur: dum autem illi veniant, nos hic otioſi conſidamus. His dictis ſummopere accenſi milites, ac verecundia ferociores facti, mitti in muros petunt, factaque ab Duce poteſtate, in mœnia mira alacritate convolant; ſcaliſque admotis, non ſaxorum imbre, non ſagittarum grandine, non ignium pluvia perterriti, in ſummum connifi verticem evaſerunt. Tum Saraceni ea conſtantia, fortitudineque perculſi, actutum pedem retulerunt. Noſtri è muris in urbem inſilientes, portas diſtringunt, ſuoſque intra mœnia accipiunt: ingens tum Saracenorum edita clades, & nonniſi quam pauciſſimi reſervati, in quorum Normanni bona irruentes immenſas prædas collegerunt, Panormo recepta, univerſæ jam inſulæ Dominus Robertus, copias in hiberna reduxit, relictoque Rogerio fratre, qui illam gubernaret, ſeque conatui barbarorum opponeret, ipſe Melphiam in Apuliam ſe reduxit,

ur-

urbem triumphans ingreſſus: ſupplicatio pro victoria habita, ac feſtivi ludi celebrati. Inde ad eum inviſendum, ac de victoria gratulaturi univerſi Proceres, præter unum Petrum Tranienſem Comitem convenerunt: Robertus id in ſui contemptum factum ducens, ingentem iram, cujus impatiens erat, in illum concepit, eumque omni paterna ditione privavit, atque in vincula conjecit. Mox ubi ſedata parumper ira; ut magnitudinem animi oſtentaret, & aliqua illum parte mulctaret, cuncta, præter Tranium, cum libertate reſtituit. Petrus cæteros ſuo exemplo erudivit, ne debito in Principes officio, aut ignavi, aut ſuperbi deſint. Privatorum ea felicitas, ut ab hujuſmodi, honeſta quamvis, ſed gravi ſervitute liberi vacent.

Anno ſequenti, qui MLXXII. fuit, Rogerius, qui, capta Panormo, relictus à fratre ad proſequendas belli reliquias fuerat, ex cæteris locis Saracenos ejecit, totaque inſula potitus eſt. At Robertus, cujus ambitio regnandi novis quotidie victoriis augebatur, quædam Piceni loca, quæ ad Eccleſiam pertinebant, armis occupavit. Quocirca Gregorius VII., qui, Stephano defuncto, & ob miraculorum celebritatem inter Divos relato, Pontificatum ſuſceperat, conventum in Laterano habuit, in quo Robertum ſacro fulmine perſtrinxit. Interea Amalphitani, qui Salernitani Principis vectigales erant, cum illius ſuperbiam, atque impotentem dominatum ultra ferre non poſſent, ad Robertum confugerunt; enixèque rogarunt; ut eorum cauſſam ſuſciperet: & ſi digni patrocinio viderentur; pro eis intercederet. Robertus jis, quæ ab Amalphitanis in Salernitanum Principem jactabantur, maturè diſcuſſis, illorum patrocinium ſuſcepit, honeſtam ſibi occaſionem illius Principatus potiundi, explendæque cupidinis dari arbitratus: Legatum igitur ad Giſulphum generum miſit, eumque rogavit, ne gravaretur, tributum Amalphitanis remittere; curaturum ſe, ut alia ratione damnum penſaretur; quod ſi feciſſet, duraturam inter eos amicitiam. Giſulphus, cujus ſuperbum ingenium, eam legationem indignè tulit: nec ſatis perpendens, haud in eum iraſci oportere, cujus vim ſuſtinere non poſſis; renunciare ſe, ait, Roberti amicitiæ, quando tanta ſecum arrogantia egiſſet. Robertus neglectum ſe videns, ampliandæque ditionis cupidine incenſus, exuere Giſulphum Principatu ſtatuit: & eo ardentius eam expeditionem ſuſcepit, quod eo æmulo ſublato, facile regium titulum ſe conſequi poſſe arbitrabatur: legiones contrahit, commeatus parat, naves adornat, ubi verò opportunum tempus eſt nactus, exercitum in hoſtem ducit, ipſamque Principem urbem Salernum terra, marique obſedit, quam ut ſecurius obtineret, Riccardum Capuanum induxit, ut cum ſuis copiis, ad ſua caſtra veniret: hic non intelligens Giſulphi ruinam

ſuam etiam ſecuturam, ad eandem obſidionem proficiſcitur. Verum prudentior Gregorius, qui haud expedire ſibi ratus, ut Normannorum potentia ſe latius extenderet, quæ gravior inde Eccleſiæ, quam jam extincta Longobardorum futura erat; Deſiderium Caſſinatium Præpoſitum ad Giſulphum legat; ut illum ſuo nomine ad pacem induceret, ac Roberto reconciliaret. Giſulphus adeo pertinaciter in ſua ſententia perſtabat, ut componi res nullo modo potuerit. Nempe ubi ira modum exceſſit, nullus rationi locus relinquitur: ſeque in præceps inconſultus animus ducit. At Deſiderius, qui conſanguinei ruinam timebat, & Pontifici ſatisfacere cupiebat, Riccardo perſuaſit, ut ſecum unà Giſulphum conveniret; ſperans fore, ut illius authoritate flecteretur: non abnuit Riccardus, urbemque ingreſſi: iterum illi perſuadere omnibus nervis conati, ut ſe Roberto permitteret: curaturos ſe, ut id ſuo commodo, ſuo honore fiat: quid aliud eſſe in propoſito perſiſtere, quam ſe, ac ſua omnia in ultimam ruinam projicere? non eas ſibi vires eſſe, quibus hoſtem repelleret: cederet idcirco tempori, præſentique neceſſitati ſerviret: venturam fortaſſe occaſionem, qua de hoſte honeſtam vindictam ſumeret; quodque voluiſſet, tutius obtineret: cogitaret, ne ſi diutius obſidio protraheretur, eum ſuimet adverſario proderent: conſuleret ſibi, ac ſuis antequam victoris ira magis accenderetur. Giſulphus obſtinato animo, ut cœci plerumque mortales, & amici, & conſanguinei conſilia minimè admiſit, ſeque ſuæ potius temeritati, quam illorum prudentiæ committere maluit. Interea Robertus obſidionem urgere inſtitit. At difficilis ea oppugnatio erat, nam & munita civitas exiſtebat, & populo frequens, validoque veteranorum præſidio firmabatur: ad Orientem Peſtanum ſinum, ad oppoſitam partem præcelſum montem, valida arce, ſituque munitum habet; altis etiam turribus præcingitur, nec niſi, uno tantum latere, ex quo in Meridionalem planitiem ſpectat, peti machinis poteſt, ibique caſtra Normanni habebant: quam urbis partem altis operibus, ac lato vallo Giſulphus præmuniverat, nihilque omiſerat, quo tueri mœnia potuiſſet, ſuoſque in concionem vocatos, his allocutus fertur: Et mihi, & vobis, Salernitani, magis conducere exiſtimavi aperto bello cum Normannis decertare; quam non honeſtas ſimulatæ pacis conditiones admittere. Quid aliud id erat, quam ut nobis animi ad defenſionem tollerentur; majoreſque hoſtibus vires, quibus nos inde acrius invaderent, ea arte adderentur, nimirum ut pacis nomine ſecuros, fraude circumvenirent, atque opprimerent: quos ceteroqui armis vincere deſperabant. An ſervaturos pacem eos putemus, qui non ſanguinis neceſſitudinem, non amicitiæ vincula, non ſocietatis fœdus, non antiquæ hoſpitalitatis jura ſervaverunt? Quibus nihil æquum, ac

ſan-

ſanctum eſt! Nos eos patria profugos, atque extorres rerum omnium egenos ſuſcepimus, ſedes ad incolendum dedimus, agris, ac divitiis auximus, nunc tantorum beneficiorum immemores nos armis petunt, ac noſtris è laribus expellere conantur, & ut vobis, ac noſtris liberis ejectis, aut occiſis, ipſi uxores, ac divitias ſibi noſtras uſurpent. Ego quod ad me ſpectat, paratus pugnando occumbere, ut hunc Principatum Longobardici Imperii reliquias à Normannorum vi vindicem, quod ſi obtinuero, illius extinctum pene nomen reſtituam: ſin minus honeſtæ mortis gloriam apud poſteros conquiram. Vos quid facturi meo exemplo ſitis, ipſi decernite.

Hac Ducis oratione Salernitani vehementer animati, nullum laborem, nullum periculum ſubire recuſarunt, ut urbem ab hoſtibus defenderent: ſæpe etiam eruptione facta, ipſo in vallo illos aggreſſi ceciderunt: tantaque eorum conſtantia, ac fortitudo fuit, ut urbem vi expugnare Robertus diffideret. Ideoque, ut fame eos frangeret, omnes aditus valida cuſtodia occupavit, mare navibus inſedit, ne commeatus in urbem inveherentur. His aditu præcluſo, major in dies fames obſeſſos fatigabat, equina primum, mox aſinina veſci carne cœptum: nec à canibus, aliiſque immundis animantibus abſtinuerunt: memoriæ traditum eſt, canis jecur viginti argenteis veniſſe. Giſulphus cum videret plurimos civium fame quotidie interire, veritus populi tumultum, in arcem ſe recepit. Quo Salernitani cognito, ſegnius defendere mœnia cœperunt, crebraſque in Principem querelas jactabant. Robertus, cui hæc per transfugas nota erant, per quendam muri hiatum, quem aries aperuerat, nocte intempeſta aggredi urbem conſtituit: dato igitur ſuis ſigno ea parte oppidum aggreſſus facilè cepit: poſtquam duodeviginti menſes magnis conatibus obſediſſet, in ea oppugnatione ictu tormenti leviter in pectore percuſſus, aliquot dies ægrotavit. Inde arcem edito colle ſitam producto ad vallum brachio, ita præcinxit, ut ſubſidia accipere neutiquam poſſet. Giſulphus ſumma inopia preſſus, eam victori tradidit: ipſe liber cum ſuis dimiſſus, Caſſinum adiit, ibi à Deſiderio benignè ſuſceptus, etſi ob nimiam animi pertinaciam minimè ſancti viri benevolentiam meruiſſet. Caſſino Romam proceſſit, ac Gregorium Pontificem adivit, quem cum admonitorem non admiſiſſet, parentem in ea calamitate expertus eſt.

Robertus novo Principatu veteribus finibus adjuncto, ad regnum viam ſternebat. Amalphitanos benignè habuit; nec gravem Salernitanis ſe præbuit, inſtaurari muros, noviſque turribus muniri, ut hoſtium ſuſtinere quoſcumque impetus poſſent, è veſtigio mandavit. Ne verò Superis ingratus videretur, & ut uſurpati Principatus ſe piaculo expiaret, ac religionis ſpecie novos populos in

ſide

fide contineret, magnificum D. Matthæo Templum excitare exorſus, quod magnis deinde ſumptibus abſolutum, magna pompa dedicatum; inque illo ejuſdem Divi Corpus eſt collocatum. Per idem tempus Torgiſio Normanno viro & nobilitate, & belli laude conſpicuo, qui pluribus comitatus è Gallia venerat, egregiamque eo bello operam navaverat, Sancti Severini fanum non longè à Salerno ſitum donavit, Comitiſque titulo inſignivit. Ex eo deinde oppido Torgiſii nepotes cognomen acceperunt, ac Sanſeverinii appellati. Atque ex hoc fonte nobiliſſimam familiam Sanſeverinorum fluxiſſe, qui Salerni Principatum, ſecutis inde temporibus, obtinuerunt, noſtri Scriptores tradunt. Porrò Robertus, cujus inſatiabilis cupiditas, ad reliqua loca obtinenda animum convertit. At Gregorius Pontifex indignè ferens Salernum à Normannis occupatum; Roberto juſſit, ut eum Principatum veteri domino reſtitueret: id facere Robertus recuſavit, quocirca iterum illum unà cum Riccardo Capuano, à piorum communione ſeparat, diriſque inferorum deſtinat; cumque illi riderent, bruta ea fulmina appellantes, arma parat, ut illorum pertinaciam evinceret. Robertus nihilo ſegnior, vires contrahit, quibus belli jure parta tueatur, copiaſque cum Riccardo partitus ipſe ad obſidendum Beneventum, ille ad oppugnandam Neapolim proceſſit, quas urbes ſi in poteſtatem accepiſſet, omnem ulterioris Italiæ poſſeſſionem, quod ardenter optabat, habuiſſet, ut regium inde titulum, vel invito Pontifice uſurparet.

At Sergius Dux Neapolitanorum, ubi Normannos cum exercitu venire intellexit, haud è Republica cenſuit cum hoſte confligere, ne in unius pugnæ eventu rem omnem in diſcrimen adduceret, intra mœnia juventutem continuit: machinaſque omnes ad defendendam urbem inſtruxit. Inde cives pro concione vehementer hortatus, ut libertatem, quam tot annos contra potentiſſimos hoſtes egregiè propugnaverant, eandem nunc ſanguine ipſo tuerentur, neque vellent majorum gloriam degeneri fortitudine corrumpere: jam nimium Roberti faſtum faſtidire Fortunam, nec tot proſperis ſucceſſibus inſoleſcentem amplius paſſuram: tenerent certò ſociorum auxilia non defutura, Romanumque Pontificem propediem cum exercitu in Campaniam expectari, cujus ſummopere intererat; ne ulterius ſe barbarorum potentia extenderet. Deinde ad Superos, quorum præſentiſſima auxilia ſciebat, ſupplex confugit: ad ſingula eorum Templa ſupplicationes haberi mandavit, Chriſtianoque ritu ſacra fieri: civium piari animos, ac voluntaria corporis caſtigatione pęnas, quas meruiſſent, deprecari. Quæ adeo accepta Divis fuerunt, ut præſentiſſimam urbi opem contra hoſtes attulerint. Dum enim Normanni corona urbem invadunt, muroque admovere

ſcalas

ſcalas conferti teſtudine conantur, viſi in mœnibus D. Januarius, Agnellus, reliquique Tutelares ſacerdotali habitu induti, dimicare, aſpectuque horribili hoſtes in fugam conjicere. Riccardus Præſulem eum cum reliquis Sacerdotibus eſſe ratus, nuncium ad illum miſit, qui eum admoneret, haud licere Præſuli, aliiſque Sacerdotibus infeſtis armis decertare: ideoque abſtineret in poſterum à tam pernicioſo exemplo. Cui Leo Præſul, qui Joanni ſucceſſerat, ſe multos jam dies ægrum jacere reſpondit, nec ſuos Sacerdotes mœnia conſcendiſſe: quos autem vidiſſet, ſe pro certo habere D. Januarium, ac reliquos urbis Patronos extitiſſe, qui eam ab injuſto invaſore defendebant. quocirca videret ipſe, in quos arma verteret, potentes eos eſſe, deque ipſius temeritate pęnas ſumpturos. Riccardus commentum id arbitratus, irriſaque Archiepiſcopi ſimplicitate aggredi iterum urbem ſuos jubet, arctiuſque obſepiri, ne ſubſidia introducerentur, quæ dum exequi parat, ultores Divos ſenſit. Etenim gravi morbo correptus, intra paucos dies ad extremam ſe neceſſitatem adductum, Superûmque armis, quos contempſerat, peti intellexit. Diris, quibus devotus fuerat, Chriſtiano ritu in eo puncto, liberatus, morte perfunctus eſt. Patri Jordanus ex Gaitelgrima Drogonis nepte genitus ſucceſſit. Is tum in caſtris erat, qui reputans quod parenti acciderat, obſidionem ſolvit, haud ſalutare Principibus ducens in Superos arma inferre, quorum ope regna conſiſterent. Imo Pontifici reconciliatus, eoque adhortante, Beneventum progreſſus, Roberti, qui tum in Calabria erat, exercitum fudit, urbemque liberavit. Pro eo beneficio quatuor mille, & quingentos Auguſtales à Beneventanis accepit. Mox cum Apuliæ Comitibus in Robertum fędus inivit, ut Principatu ſpoliarent: vel ſaltem nimiam potentiam infringerent. Haud ſibi expedire rati illum ulterius creſcere, qui ſingulorum ruina ad ſummum imperium ſibi aditum aperiebat. Robertus, ea re comperta, occurrendum principio ſibi conjuratis ducens, fama celerius in Apuliam convolavit, ibi legiones, quas duxerat, veteris exercitus reliquiis auxit, commeatuque comparato in Capuanum Principem arma movit. Hic Rainulphum patruum, & Baccelardum nepotem, aliofque Normannos, qui Robertum ob nimiam regnandi cupiditatem inviſum habebant, ut auxilia contraherent, vehementer ſollicitavit. Interea Deſiderius Caſſinatis Cœnobii Præpoſitus, cujus ob morum innocentiam plurimum apud Normannos authoritas valebat, ſequeſter adfuit, animiſque mitigatis, eos ad concordiam revocavit: & Capuano Robertum, & hunc Pontifici conciliavit, à quo ſtatim deteſtatione exemptus, in gratiam, ac ſinum Eccleſiæ receptus eſt. Robertus his pacificatus, in Buccelardum iram evomuit, neque tantus animi motus ſine vindicta ſedari poterat,

cum

cum antea Aſculum cepiſſet, tum Barium quod Argyrus illius ſocer tuebatur, in deditionem accepit. Buccelardus ad ſolitum Normannorum aſylum Conſtantinopolim ad Michaelem confugit; ut illum in Robertum incitaret. Id cum non è ſententia ſuccederet, mœrore contabuit, miſerèque interiit. Infelix ſors Principum, qui dum ulciſci injurias volunt, ſe ipſos conficiunt, præque nimia regnandi libidine vitæ ſibi ſpatium contrahunt, ſuimet carnifices effecti. Michael Conſtantino filio Auguſtalia tribuit, Imperiique collegam aſcivit. Ut verò Imperium Roberti viribus firmaret, ſecundam natu filiam ab eo in conjugem petiit: celebratæque nuptiæ ingenti pompa. At ſua ſpe fruſtratus, nam Nicephorus Bottoniates eum in ordinem redegit, unàque cum conjuge in cœnobium incluſit. Inde anno MLXXXI. Alexius Comnenus, Nicephoro ejecto, Imperium occupavit.

Anno MLXXX. antequam hæc in Oriente agerentur, Robertus templum, quod regia magnificentia Salerni inchoaverat, tandem abſolvit, ac ſolemni pompa dedicavit, Epigraphen præ foribus poſuit, qua ſe fanum illud D. Matthæo dedicaſſe innuebat: extatque ad hæc tempora, in illud D. reliquiæ, quæ bellorum metu occultæ jacuerant, magna Cleri, Populique ſupplicatione illatæ; inque inferiore æde ſub ara maxima collocatæ, in qua etiam æde plurima alia Divorum lipſana ſunt repoſita: celebrata ſolemnitas Prid: No: Majas. Ex ſacro autem Divi corpore liquorem quendam medendis morbis ſalutarem effluere, ejus Eccleſiæ ædiles perhibent.

Robertus templo dedicato, ſacriſque procuratis, ad bellum, otii impatiens, curas convertit, & primum in Græciam avidiſſimum Imperii animum intendit, currenti Gregorius Pontifex calcaria addidit. Etenim Michael cœnobitica vita minimè contentus, Romam ad Pontificem venit, ejuſque opem poſtulavit, utque illum ad præbenda auxilia impelleret, procuraturum ſe ſpopondit, ut Græcam Eccleſiam ad Romanæ obedientiam adduceret, ſublatoq; diſſidio una omnium concordia eſſet, unuſque Romanus Pontifex, ut ſemper factitatum à majoribus fuerat, univerſis jura diceret. Gregorius eum ad Robertum remiſit, & hunc vehementer hortatus eſt, ut eam expeditionem, ex qua multum gloriæ, & utilitatis relaturus eſſet, omnibus viribus ſuſciperet. Robertus, qui nihil antiquius habebat, ſtatim in Comnenum bellum decernit: Nempe ut ſpecie ulciſcendæ injuriæ Michaeli, ac filiæ illatæ, dominationis vias in eas ſibi Provincias aperiret. Etenim tota ulteriore Italia, quæ à Truento amne ad Rheginum promontorium excurrit, occupata, Siciliaque in poteſtatem redacta, Græcia, in quam jura inferret, proximè ſequebatur: eoque ardentius in eam ſpem venerat, quod videret, diſſidere inter ſe Conſtantinopolitanos: magnos in

dies

dies excitari tumultus, veteribuſque tyrannis ejectis; novos intrudi. Nec quidquam facilius eſſe, quam ea regna, quæ civilibus diſcordiis exarſiſſent primo impetu occupare. Ut verò honeſtior, ac juſtior titulus prætenderetur, Gregorius Nicephorum, quod pium Imperatorem, & cum Romana Eccleſia conſentientem, per vim expuliſſet, ſacro fulmine perſtrictum diris devovit. Ipſe ingentem claſſem parat, & copias, quas maximas poteſt, contrahit, commeatus plurimos adornat. Poſtea verò quam matura ad navigandum tempeſtas affulſit, Hydruntinum in portum naves omnes convenire juſſit, militemque excipere. XV. millia militum fuerunt, cumque Tarentum claſſis deſcendiſſet, ibi ipſe Prætoriam ingreſſus proſpero curſu in Græciam navigavit. Primò Corcyram prætentam Epiro inſulam, ac Pheacum regia celebrem ſecundo curſu tenuit. illam, cum ſuſceptæ expeditioni opportuniſſimam futuram cenſeret, ſtatim obſedit, & quoniam modico præſidio tenebatur, brevi in deditionem accepit. Hic tandiu expectavit, quoad uxor pervenit, quæ ſummo viſendæ filiæ deſiderio ardebat, atque ob id unà cum viro trajicere in Græciam decreverat. Ut venit, Robertus in omnes belli, & fortunæ caſus intentus, Rogerium filium Apuliæ Ducem conſtituit, Boëmundum ſecum in Græciam deduxit. Inde ne mora fortunam corrumperet in Epirum copias expoſuit, ac per Deſſaretios in Macedoniam movit: & poſt minuta aliquot prælia cum Græcis facta, ad Thraciæ fines uſque victor penetravit. Hic Græcos cum exercitu obviam habuit; non enim efficere potuit, ut ejus adventus omninò inexpectatus hoſti eſſet. Magnæ quippè, ac longæ expeditiones haud tanto properari ſilentio poſſunt; ut nihil de illarum fama ad adverſarios perveniat. Alexius magna à populis pecunia per vim extorta, ſacriſque Eccleſiarum vaſis ab belli uſum converſis, ingentem exercitum coëgerat: inque Robertum, quem jam trajeciſſe cognoverat, cum ſuis proceſſit. Centum ſeptuaginta millia in exercitu Græcorum fuiſſe Scriptores tradunt, quod vix in animum induco, ut credam; non enim ea tum fortuna Græcorum erat, ut tantas copias ſcribere potuiſſent, nec facile tantum exercitum pauci ſuperaſſent. Siquidem acie utrinque explicata, dimicatum fortiter eſt, ſed vix noſtrorum impetum Græci ſuſtinuerunt: inque præcipitem fugam converſi, victoriam Roberto reliquerunt. Ea dimicatio anno MLXXXII. accidiſſe fertur, quo anno Eccleſia vehementer laboravit, quando magnæ in Occidente turbæ excitatæ; ingentique Chriſtianæ Reipublicæ damno Eccleſia diſciſſa, ac perturbata. Gregorius Pontifex Henricum III. Cæſarem, ut perturbatorem Eccleſiæ, ac multis ſceleribus convinctum regno ſpoliaverat, crearique Regem Germaniæ Rodulphum Sveviæ Ducem, virum pium, & viribus pollentem, per ejus regni

Proceres curaverat. Hinc grave inter Henricum, & Rodulphum bellum exortum eſt. Exaſperatus magis inde Henrici animus, quod Metildis Tuſciam, & eam Ciſalpinæ Galliæ, quam obtinebat, ditionem teſtamento condito, Romanæ Eccleſiæ reliquiſſet. His igitur de cauſis Henricus in Pontificem iratus in Italiam cum exercitu venire conſtituit. Brixiæ Bavarorum conventum habuit, ad quem XXX. Epiſcopos ſibi addictos evocavit: in eo cum de Gregorio retuliſſet, Epiſcopi, ut Imperatoris gratiam aucuparentur, vitio creatum pronunciant, eoque ob id exauthorato, Gibertum Ravennatum Antiſtitem ſpurciſſimum hominem, Pontificem conſtituunt, & Clementem vocant. Conventu ſoluto, Henricus antequam in Italiam contra Gregorium moveret, in Rodulphum progreſſus acie cum eo conflixit; ipſumque cum toto exercitu delevit. Æmulo ſublato, ac proſpero eo prælio ſuperbior factus, Romam venit Pontificem obſeſſurus. Gregorius cum ex Patrum conſilio defendere urbem ſtatuiſſet, Legatos ad Robertum miſit, qui auxilium ab eo contra Henricum peterent. Is qui jam in Græciam navigaverat, Roberto, & Girardo fratribus injunxit, ut Pontifici opem ferrent; eique præſto eſſent. Verum hi non ſolum auxilium non tulerunt, ſed una cum Capuano ſedus cum Henrico percuſſerunt, ab eoque in occupatæ ditionis poſſeſſione confirmati. Neque tamen eo anno opus auxilio fuit; nam Henricus, Clemente intruſo, non ultra eſt progreſſus. Inſequenti anno MLXXXIII. novis ſupplementis adductis, Gregorium, qui in Adriani molem cum Cardinalibus confugerat, acrius obſedit. Gregorius iterum ad Robertum miſit, ut ſubſidia inferre maturaret; & cum ſuis, tum Eccleſiæ malis ſubveniret. Robertus magnam Dalmatiæ, Macedoniæque partem ſuis armis ſubegerat, victorque Thraciæ imminebat: verum comperto Pontificis periculo, verſare animo cœpit, quid in eo rerum ſtatu conſilii caperet: ſequereturne victoriæ curſum, an Pontifici opem inferret? tandem glorioſius ſibi futurum fore arbitratus, ſi Gregorium ab Henrici manu liberaret, privatumque commodum publico Eccleſiæ poſthabuit, imo ſibi eo bello conſulere exiſtimabat: nempe ut ea occaſione plurima à Gregorio extorqueret, quæ ſecus difficile obtinerentur. Igitur Boëmundo cum parte copiarum relicto, ut armis parta tueretur, ipſe cum reliquo exercitu in Italiam navigavit. Proſpero curſu intra paucos dies ad Apuliam applicuit, ex qua magnis ſubinde itineribus ad liberandum Pontificem movit. Id ubi Deſiderius Caſſinas Abbas intellexit, & Pontifici, & Cæſari ſignificavit; eo vir prudens conſilio uſus, ut & Pontificem ſpe proximi auxilii confirmaret, & Henricum ad ſolvendam obſidionem induceret: reſque ex illius ſententia ſucceſſit. Nam Henricus cognito Robertum ad Ceperanum cum firmiſſimo exercitu veniſſe,

aſſump-

aſſumpto Clemente, urbe exceſſit, non è re ſua eſſe ratus, cum jis, quas habebat, legionibus de ſumma cum hoſte decertare: & quo die ipſe Senas pervenit, Robertus ante Portam Latinam caſtra poſuit. Quia vero Romani, qui ab Henrico ſtabant ad tuenda mœnia ſe accingebant, ipſe oppugnare machinis urbem aggreditur. Quam tamen ſine labore per Portam Flaminiam ab amicis Gregorii introductus, ingreſſus eſt, ipſiſque in viis Romanis reſiſtentibus ignem in ædificia conjecit, idque Cinthio Conſule ſuadente. fecisse rumor fuit; ut ſic civibus ad extinguendum ignem diſtractis, opportunitas educendi Pontificis daretur: multis præliis factis, in Capitolium pervenit, compulſiſque ad deditionem Romanis, ad arcem penetravit; exciſiſque repagulis ab Henrico extructis, Pontificem eduxit, atque in Lateranum incolumem deportavit. Ex Laterano Caſſinum, ac tandem Salernum ſummo honore deduxit. Dum verò Roma Salernum duceretur, ei Robertus ſacramentum dixit, ſeque Eccleſiæ, Romanique Pontificis vectigalem profeſſus. Pontifex iterum, ut Prædeceſſores fecerant, Ducem eum Apuliæ, Calabriæ, ac Siciliæ confirmavit, eaſque Provincias, earumque jura attribuit, Benevento excepto, quam urbem ſibi recepit, aperteque faſſus ſe eum patienter tolerare, quod Piceni partem, ac Salerni Principatum injuſtè occupaſſet. Quæ omnia fusè, qui volet, in illius Pontificis epiſtolis, quas Decretales vocant, leget, nos brevitati ſtudentes de verbo referre omittimus. Gregorius XII. Kal. Dec: conventum Salerni celebravit; in quem plurimi ulterioris Italiæ Epiſcopi, & Abbates, & Franci etiam aliquot convenerunt. in eo cum de Eccleſia retuliſſet, omnium conſenſu Henricum, & Clementem, cunctoſque eorum fautores inferis devovit, aliaque ad Eccleſiam tuendam ſanctiſſimè ſanxit. Ipſe tot, tantiſque ærumnis confectus VIII. Kal: Junias mortalitatem exuit; atque ob multitudinem prodigiorum inter Divos relatus eſt: corpus in æde Principe magnificè tumulatum. Anno autem MDLXXVIII. cum Columna Archiepiſcopus tumulum vetuſtate collapſum ex marmore inſtauraret, Divi corpus incorruptum, ac ſuaviſſimo odore fragrans repertum, quo argumento viri ſanctitatem teſtari voluit Deus.

Robertus liberati Pontificis gloria illuſtris, tantique authoritate viri firmato jam Principatu lætiſſimus, iterum Orientem, & novas palmas cogitare animo cœpit. Igitur Rogerio in Italia relicto, uti ſucceſſor deſignatus paternam ditionem adminiſtraret; ipſe navibus ante præparatis maturè conſcenſis, in Græciam, cujus adipiſcendæ magnam ex Græcorum diſſidiis ſpem conceperat, curſum direxit, neſciens nihil mortalibus certum; magniſque ſæpe conatibus fata obſtare, certaſque jam ſpes mortem abſcindere. Se-

cundo uſus curſu Corcyram tenuit, quam inſulam fatalem ſibi ſtatim ſenſit; morbo enim correptus, in eo inſulæ promontorio, cui Caſopoli indigenis nomen, ſubſiſtere coactus. Hic diu cum febri luctatus, ſuperante tandem vi morbi, ſexagenario major deceſſit. Ejus cadaver in Italiam deportatum, Venuſiæ in Eccleſia ab ipſo Sanctiſſimæ Triadi dedicata ſolemni pompa tumulatum. Ex quo in Apuliæ, Calabriæque poſſeſſionem à Nicolao Pontifice miſſus fuit, quinque & viginti annos regnavit, maximus ſanè vir ſive geſtorum magnitudinem, ſive potentiam, quam ſibi peperit, inſpicias. Ex illo Normannorum Principatus, in quo ipſe V. fuit, magnum incrementum accepit: in bello æquè fortis, ac ſagax, & ut plurimum felix: nimia dominandi cupido, inſita mortalibus febris, pluribus illum vitiis obfuſcavit, ut raptor, iniquus, ac impius videretur, nec cum bonus, nec cum malus mediocritatem ſervavit; quocirca optimus cum bonam mentem, peſſimus cum malam induit, eſt habitus. Duas uxores habuit, Alberandam, ex qua Boëmundum ſuſcepit: ea verò prætextu affinitatis repudiata, Sigilgaidam Giſulphi Salernitani ſororem duxit, ex qua tres mares Rogerium, Robertum, & Guidonem, quinque fœminas habuit. Rogerio Apuliæ, & Calabriæ Ducatum, Salernique Principatum teſtamento reliquit: Boëmundo Macedoniam, Guidoni Surrentum, & Amalphim vectigalem, Robertus impubis deceſſit. Ex filiabus primam Ugoni, ſecundam Michaeli Conſtantinopolitano, nuptum dedit: tertiam Barcinonenſi Duci: quartam Bubalo cuidam Gallo Comiti, cujus bellicam laudem plurimum commendaverat, matrimonio copulavit: nihil de quinta reperio. Rogerio Boſſo fratri, Siciliam, cum aliquot Calabriæ oppidis conceſſit, quo plus fraternum apud eum, quam paternum amorem valuiſſe, oſtendit.

Non hic referre omittam, quod mirum tum habitum, & ad Robertum pertinuiſſe creditum. Cum is Apuliam occupaſſet, quo anno, incertum, in ejus Provinciæ quodam loco ſtatuam quandam marmoream invenit, cum ærea corona, in qua hæc epigraphe inſcripta: KALENDIS MAIIS ORIENTE SOLE AUREUM CAPUT HABEBO. Robertus mira eorum verborum cognoſcendorum cupiditate exarſit, cumque viri docti ea ſuper re plurimi rogarentur, interpetrari auſus eſt nemo: tandem Arabs quidam, quem Magicæ artis ſcientem fuiſſe tradunt, ſe ea verba enucleaturum ſpondet, ſi præmium libertas eſſet. Robertus libertatem ſe homini, & pecuniam etiam daturum promiſit, ſi germanum verborum ſenſum aperiret. Tum Arabs ipſis Kal: Ma: quæ proximæ erant, Oriente Sole obſervari eum locum juſſit; quò ſtatuæ umbra perveniſſet, inque eodem loco terram effodi, magnum ibi theſaurum contineri,

ita

ita prorſus factum, ingenſque theſaurus inventus; magna Roberti utilitate, & eo præcipue tempore, quo ad belli ſumptus immenſa pecunia indigebat.

Rogerius poſteaquam patri funus ſolemni pompa celebravit, Principatus inſignia aſſumpſit: Sextus ex Normannis, qui Apuliam, & Calabriam ſub ditione habuit: Dux II. quatuor enim, qui ante Robertum regnaverant, Comitis titulo eas Provincias obtinuerant. Deinde, ut liberis ſuſceptis Principatum firmaret, Alam Roberti Flandriæ Comitis filiam ſibi matrimonio conjunxit. Eodem anno MLXXXV., quo Robertus è vivis exceſſit, Giſulphus Salernitanus è Germania in Italiam redivit. Qua vero ratione pacem cum Rogerio nepote iniverit, & quibus conditionibus, non invenio, certum tamen ita cum eodem Rogerio, ac Jordano Capuæ Principe egiſſe, ut Deſiderius Pontificatum, quod à Patribus oblatum diu à ſe rejecerat, tandem admitteret. Romam ſubinde deductus ab eodem Giſulpho, & Jordano, horumque opera Pſeudopontifice expulſo, ipſe ſacro oleo inunctus, Victor II. appellatus eſt. Verum brevi omnium dolore extinctus Urbano II. locum conceſſit. Giſulphus Pontifice Romam deducto, ſupremum diem obivit. Hic ex Gamma uxore duos liberos Guaimarium, & Pandulphum habuit. Ex hoc ultimo Joannes natus, qui Jordanum Corinthi Comitem progenuit.

Per hæc tempora D. Nicolai Myrenſis Epiſcopi corpus Barium translatum, eoque divino theſauro Neapolitanum regnum eſt auctum: qua verò occaſione, dicere non omittam. Saraceni multis navibus Lyciæ litora circumvecti, Myram ejus Provinciæ Principem, improviſi ceperunt, omnique præda, & captivis plurimis navibus impoſitis, in ſuos portus redierunt. Non multo poſt mercatores quidam Apuli in eam urbem appulerunt, cumque à Cœnobitis ejus loci cognoviſſent, eſſe ibi D. Nicolai corpus, ſtatim illud Barium in patriam transferre cogitarunt: ſepulchro Cœnobitarum opera cognito, illud aperuerunt: inque eo ſacrum Divi corpus in divino quodam liquore natans invenerunt. Poſtquam Chriſtiano ritu ſancta Lipſana venerati, è ſepulchro educunt, inq; navim clam deferunt, inde ſecundo vento uſi, Barium feliciter pervenerunt. In urbem ſolemni pompa à popularibus ſacrum pignus exceptum, ac ſolicitè reconditum, cui mox magnificam ædem excitarunt, inque illius inferiore ſacello magna religione collocarunt. Ex Urna, quæ ſub ara maxima eſt, perpetuo veluti è fonte quidam liquor tanta perennitate manat, ut etſi continuò hauriatur, perque univerſum pene orbem pro fidelium populorum cultu transferatur, nunquam tamen de ſua perennitate quidquam amiſit;

ſit: eoque curari morbos, firmarique vires quotidiana docent experimenta.

Poſtquam verò tanto pignore ditata Apulia fuit; vexari iterum bello cœpit, cujus belli hæc extitit cauſa: Boëmundus ex Roberti filiis natu major, indignè ferebat ſe paterno teſtamento ab Italia excluſum: nec ſatis ambitioſo animo Macedonia, & Dalmatia ut quę non adhuc firmæ, ad explendam cupiditatem videbantur. Quibus tamen ſi ſe finibus continuiſſet, ſperare facilè poterat fore ut fratris, atque Italorum auxiliis ad Orientis Imperium, quod Græcorum diſſidiis nutabat ſibi gradus ſterneretur. Verum cæca mens ira, ac cupiditate præceps præſentia tantum, non futura conſiderat. Claſſe igitur inſtructa, exercituque in ea impoſito, Græciam reliquit; non benè animadvertens eos populos, quos ille exercitus in officio continebat, extemplo rebellaturos. Etenim eo metu liberati plurimi ad Græcum Imperatorem illicò redierunt. Ipſe in Apuliam perveniens exercitum exponit: atque in fratrem infenſo animo movit, qui non ſegnior,, copiis ante præparatis, in fratrem vadit. Non longè à Benevento ambo caſtra poſuerunt, deinde in aciem uterque procedit, præliumque committitur, in quo plus iræ, quam ſanguinis fuit. Nam cum in utroque exercitu hi Duces, atque hi milites eſſent, qui ſub Roberto militaverant, non paſſi deleri eos, qui & ſocii, & affines etiam exiſtebant. Imo ipſorum opera inita inter fratres concordia, quæ mox ab Urbano II. eſt firmata. Hic Melphiam ad concilium celebrandum (alii Trojæ habitum tradiderunt) cum reliquis Patribus venerat. Principio Rogerio, & Boëmundo, ut ab armis diſcederent, imperavit, mox Rogerio injunxit, ut Apuliæ partem fratri concederet, qui ſtatim paruit, Tarentumque cum finitimis oppidis fratri conceſſit. Pace hoc modo inter eos conſtituta, Rogerius ad inviſendum Pontificem proceſſit, à quò benignè exceptus: ſacra deinde comitia habita, in quibus Pontifex ipſe interfuit. Præcipui ejus concilii Patres Apuliæ, Calabriæ, Samniique Præſules fuere. Adſuit cum primis Procerum Rogerius, aliique exteri non pauci. In eo conventu, fœdus contra Saracenos ictum, quod felici poſtea eventu confirmatum eſt.

Anno MXC. antequam hæc adminiſtrarentur, Singilgaita Rogerii mater, ut habent Caſſinatium annales, diem obivit; inque Caſſino Monte tumulata, cujus mortem Acheruntiæ urbis incendium ſponte enatum, magna ejus civitatis ruina ſecutum eſt. At Jordanus Capuæ Princeps, abſentia Pontificis per occaſionem uſus, in Romanam ditionem arma circumtulit: plurimaque loca occupavit, Pivernum ultimò vi cepit. Aſpero in loco poſitum eſt op-

oppidum, & ob Pontinas paludes non ſanum, cujus noxium ſtatim aërem victor expertus, nam peſtifera febri correptus, intra paucos dies extinctus: ſenſitque, & vindicem, & ultorem Eccleſiæ Deum eſſe. Ejus cadaver in Caſſinas Monaſterium circiter annum MXCIII. delatum. Riccardum filium hæredem reliquit, qui non fauſtis auſpiciis ad Capuanum Principatum, cui jam finis inſtabat, regendum ſe contulit. Verum Capuani Jordani morte comperta, Normannorum à ſe jugum excutere infelici conatu tentarunt. Conſilio inter ſe inito, munita urbis loca occuparunt: eiſque præſidio ſuorum firmatis, Normannos expulerunt. Riccardus unà cum matre Averſam ſe recepit: & ad Rogerium ſcripſit; ut ſibi opem ferret: nec ſineret inultam eam defectionem, quæ ſi ſucceſſum habuiſſet, imitari reliquæ gentes potuiſſent; ut novis dominis ejectis, antiquam ſibi libertatem aſſererent. Rogerius optimè intelligens, inexpugnabile Normannorum imperium futurum, ſi mutuam ipſi concordiam coluiſſent; extemplo copias coëgit, atque in Capuanos movit. Cum autem per æſtatem cuncta in campis matura eſſent, univerſam urbis viciniam igni pervaſtavit, quo Capuani territi, Riccardum iterum receperunt. Interea Henricus Cæſar per immania, nec hactenus audita libidinis, atque impietatis exempla lymphatus excurrebat, nec uxoris honeſtati, nec filiis parcebat: quocirca Conradus filius fœdere cum Urbano, & Metilde percuſſo, bellum impio, ac ſcelerato patri movit, utque ſibi Normannorum opes adjungeret, Rogerii Siciliæ Comitis filiam uxorem duxit: cœptum autem bellum anno MXCIII., totumque novennium perduravit. Quo tempore Germania civilibus diſcordiis diſtracta, Urbanus ad amplificandam Chriſtianam Religionem curas convertit: fœduſque in Saracenos, quod in conventu ſtabiliverat, pro viribus urgere non deſtitit. Ea cupido Pontificem invaſerat, ut Hieroſolymorum urbem, quam magno Chriſtiani nominis dedecore multos jam annos Maumethanæ, barbaræque gentes poſſidebant, ex illarum jugo eximeret. Ad quam expeditionem unius ſolitarii hortatu, cui Petro nomen, totus fere Occidens arma cepit, qui ſe ſacræ expeditioni Ducem offerens brevi CCC. armatorum millia ſub ſignis habuit, quibus debellari omnis barbaria potuiſſet; ſi tantæ multitudini, nec ſciens belli Dux, nec commeatus defuiſſent. Hic ingens exercitus Crucigerorum (ità à rubris crucibus, quibus ſignabantur, appellati) per Germaniam, Hungariam, ac Mœſiam Conſtantinopolim venit, tanto Græcorum timore, ne in eos arma converterent; ut nullam illi frau-

dem non ſtruxerint. Anno MXCV. Claramontano conventu abſoluto, in quo iterum fœdus in barbaros ictum, Urbanus, ad urgendam expeditionem in Gallia ſubſtitit: reliqui Præſules in ſuas ſedes profecti, ut univerſas gentes ad bellum in barbaros incitarent. Ingens multitudo eorum erat, qui ſacræ militiæ nomina dabant: plurimique Principes cruce aſſumpta, humeriſque impoſita, ad bellum ſe accingebant. Brunduſium, Barium, Hydruntum, ac Tarentum celebres Adriatici, ac Jonii portus, & navibus, & hominibus pleni viſebantur, ut vix tantæ multitudini locus ſufficeret. Præcipui Duces Bullionii fratres Gottifridus, Euſtachius, & Balduinus, cum Ugone Francorum Regis fratre erant: qui validiſſimis copiis imperabant. Hi, ſuperatis Alpibus, in Italiam deſcenderunt; utque in Orientem trajicerent, Apuliam petierunt. Interea Boëmundus ea ditione, quam obtinebat minimè contentus, bellum iterum movet; ac Melphiam capit. Rogerius fratris motu comperto è Campania, quam pacaverat, in Apuliam magnis itineribus contendit: & caſtra in conſpectu hoſtium poſuit; atroxque inter germanos futura dimicatio erat, cum repente Crugigerorum æmulatione tacti, odia depoſuere, & ad ſacrum bellum animum applicuerunt. Major in Boëmundo ardor, qui ea gloria, quam ſibi plurimam ex ſacra expeditione comparare poterat, vehementer accenſus, cruce rubra illicò aſſumpta, XII. Italorum millia ad bellum illud adduxit. Cum autem panni purpurei non ſuppeterent, perhibent duas purpuras, ex ſuis veſtibus accepiſſe, eiſque in munitiſſima fruſta conciſis, milites ſignaſſe. Eo exemplo incitatus Rogerius Tancredum primum ex natis ire cum patruo ad bellum jubet, ut & ipſe in partem gloriæ veniret. Quidam ipſum Rogerium in Orientem profectum memoriæ tradiderunt. Boëmundus poſtquam plurima bella cum Saracenis, ac Turcis, quæ hic referre non eſt præſentis inſtituti, feliciter geſſiſſet, tandem anno MXCVI. Antiochiam totius olim Orientis Principem urbem obſedit; eamque ſumma virtute expugnavit: Princepſque illius ingenti plauſu ab univerſo exercitu ſalutatus. At anno nonageſimo nono ſupra milleſimum, Perſarum, Turcarumque exercitu deleto, Hieroſolyma à Chriſtianis capta: ejuſque, & univerſæ Paleſtinæ Gottifridus Rex renunciatus, vir eo honore digniſſimus. Ex eo victoriæ nuncio, tantum Urbanus gaudium concepit, ut cum totum ferre non poſſet, præ nimia lætitia interjiſſe creditus. Quo mortuo Paſchalis II. Pontificatum ſuſcepit.

Dum hæc in Oriente à Normannis, cæteriſque fœderatis

ſe,

felici in barbaros ſucceſſu gerebantur, turbatæ in hac ulteriore Italia res erant. Etenim cum in plures exiguos Principatus diviſa eſſet, magna inter eos Principes æmulatio, ac diſcordia plerumque exiſtebat, ex qua bellum inde magno populorum incommodo oriebatur. Inter Soranum, & Aquinatem Comites de finibus tum controverſia agebatur. Soranus, cujus imbecilliores vires erant, Jonathæ Capuani Principis germano ſe commendavit. Hic Capuani potentia fretus auxilium Sprano intulit, ſperabatque, ut ſi bellum illud longius traheretur, facilè fore, ut illis Comitibus ſublatis, eorum ditiones Capuano Principatui adjungerentur. Verum Aquinas Comes Odenſii Abbatis Caſſinatis opera ingenti pecunia Capuano perſoluta, ſe ab illius armis exemit. At Rogerius Boſſus Siciliæ Comes, ſive quod nimiam Capuani potentiam ſuſpectam haberet, ſive quod Capuæ potiundæ cupidine teneretur, ante præparatum exercitum, ſub Sergio quodam Græci generis Duce ad obſidendam Capuam præmiſit, ipſe mox in Campaniam ſecutus. Riccardus cum ſe imparem viribus intelligeret, ingenti pecunia Sergium corrupit, eumque ad inſtruendam Rogerio fraudem induxit. Verum ea ipſa nocte, qua Riccardus Sergii opera Rogerium opprimere meditabatur, Bruno Carthuſianorum Cœnobitarum inſtitutor, Comiti in ſomnis apparuit, eumque de vicino periculo admonuit. Tum Comes experrectus capere arma milites jubet, inque proditores irrumpere. Sergius re prodita, ad Riccardum cum ſuis confugit, eumque de conſilio jam detecto admonuit. In fuga CLXII. è Capuanis cæſi, Rogerius urgere validè Capuam inſtitit: machiniſque admotis ad deditionem coëgit, præſidioque in ea relicto, Squillacium in Calabriam redivit, acceptique beneficii memor Brunonem religioſiſſimè coluit, plurimaque caſtella Cœnobio D. Stephani, vicinumque montem donavit. Eſt autem celebre hoc monaſterium in edito Apennini jugo ædificatum, in cujus templo Divi Brunonis corpus piè colitur: ad quod inviſendum religionis gratia, plurimi quotidiè conveniunt. Pacem inde cum Riccardo fecit, eique Capuam reſtituit: ſatis ſibi viſum ſi divinitus vita ſervata ab eo periculo fuiſſet. Quidam Scriptores hæc antequam Urbanus è vivis excederet eveniſſe; eumque Capua una cum Rogerio Salernum profectum. In ea verò urbe celebre illud diploma Siculæ Monarchiæ edidiſſe Fazellus, & Barberius ſcripſerunt, Baronius Anacleto Pſeudopontifici aſcribit: Gaufredique Monachi, qui Rogerii geſta annalibus conſignavit, authoritate aſſerit, aliis diploma verbis exaratum, eaque

laudatos authores de induſtria omiſiſſe. Cæterum Rogerii pietatem plura commendant, ab ipſo Paſchalis plurimam pecuniam per Legatos accepit, qua copiæ conſcriptæ, quibus Guibertum Pſeudopontificem, qui D. Gregorium, Victorem, & Urbanum diu fatigaverat, Romana ditione ejecit, eoque extincto, Beneventum proceſſit, eamque urbem, quam Anſo tenebat, Eccleſiæ reſtituit. Rogerius triennio poſt, quam Capua potitus, anno nimirum MCI. Mileti in Calabria mortalitatis jura perſolvit: inque ea urbe in æde, quam ipſe magnificentiſſimam S. Triadi dedicaverat, marmoreo in tumulo ſepultus. vixit annos LXX., quorum XVI. poſt Roberti fratris mortem regnavit, vir germano virtute non inferior, fortuna æqualis, pietate verò ſuperior. Ex Adelaida uxore duos liberos habuit Simonem, & Rogerium. Quidam hujus etiam filiam faciunt Conſtantiam, quæ Conrado Henrici Cæſaris filio nupſit. Patri Simon ſucceſſit, qui vix annum regnavit, inque eodem loco, quo Pater, tumulatus eſt. Eo extincto Rogerius frater Principatum inivit, etſi ob brevem Simonis dominationem, quidam nullam de eo mentionem fecerint.

Anno centeſimo ſexto ſupra milleſimum, uti Caſſinatium annales habent, Riccardus Capuæ Princeps vivere deſiit. Principatum Robertus frater ſuſcepit, quo tempore Henrico III. extincto, Henricus IV. filius Occidentis Imperium occupabat. At Robertus initio Principatus omnem in id curam intendit, ut pacem inter finitimos ſtabilem faceret, Campaniamque pacaret. Teramum validum novi Latii oppidum intra XV. dies, expugnavit, Aquinatium præſidio ad deditionem compulſo, qui unis tantum armis arce excedere permiſſi: captam arcem Caſſinatibus reſtituit, qui anno MCVIII. ineunte Majo CC. argenti libras Capuano perſolverunt. Octobri ejuſdem anni Pontifex Beneventum ad concilium proceſſit. In eo inter cætera cautum ne Clerici à Laicis Eccleſiaſtica beneficia acciperent, vetitumque ne elegantioribus veſtibus, quæ modeſtiæ modum excederent, uterentur. Benevento Capuam venit: ibique Eccleſiam Divi Benedicti ſolemni ritu conſecravit. Poſt D. Vincêntii Monaſterio ad Vulturni fontes ſito, perluſtrato, Romam eodem anno reverſus eſt, qua in urbe non omninò pacatæ Eccleſiæ res erant. Etenim Henricus IV. quaſi paterni odii hæres conſtitutus eſſet, acerbum ſe Pontificum hoſtem exhibebat, magnamque Eccleſiæ tempeſtatem ſe excitaturum minabatur. Pontifex, ut maturè periculo occurreret, biennio poſt Capuam iterum venit, Robertum Principem, Rogerium Ducem, reli-

quoſq;

quoſque Apuliæ Comites vehementer exhortatus ; ut arma ad tuendam Eccleſiam acciperent ; Henricique conatibus ſe opponerent, qui anno MCXI. in Italiam deſcendens, Romam ad Auguſtalia accipienda ſe contulit, in quam urbem ab univerſo Clero, Populoque Romano obviam progreſſo exceptus eſt. Dum autem in Porticu Divi Petri Imperii inſignia accepturus à Pontifice eſſet, eum à ſuis militibus comprehendi juſſit, ſecumque in caſtra captivum abduxit. Romani indignum id rati, arma ſumpſerunt: ingentemque Germanorum cladem ediderunt, plurimique Normannorum ad rei famam actutum accurrentes, ad Anienem caſtra poſuerunt. Reliqui cum Rogerio Duce copias contrahunt, ut laboranti Eccleſiæ opem ferrent: miſſique ad Boëmundum nuncii, qui eum de novo bello certiorem facerent. Verum inter tot apparatus, magno ſuorum, atque Eccleſiæ damno ambo hi Principes, quorum virtute, & bellum contra barbaros Maumethanos, & impios Chriſtianos magna ſecuritate victoriæ geri poterat, immaturo fato extincti ſunt. Hoc igitur anno Boëmundus, cum in Italiam ex Oriente rediiſſet, atque in Galliam progreſſus, ibi Conſtantiam Philippi Francorum Regis filiam uxorem duxiſſet, novaſque copias comparaſſet, improviſo fato occubuit. Filium ejuſdem nominis hæredem reliquit, & filiam item parvulam, utrumque Tancredo commendavit. Ejus corpus in Italiam tranſlatum Canuſii in æde Divi Severini magnificè tumulatum. Rogerius Apuliæ Dux XL. annos natus, quorum undeviginti regnaverat, ſupremum diem obivit, inque eo Templo, quod Viſcardus Divo Matthæo condiderat, uti ipſe moriens juſſerat, regia pompa ſepultus. Ammiratus tres inſuper annos eum vixiſſe ſcripſit. Duas uxores habuit, Alberadam Comitis Flandriæ filiam, ex qua Tancredum ſuſcepit, & Alam ex Friſiæ Comite natam, quæ ei Gulielmum peperit, qui Patri ſucceſſit, hujus nominis II., VIq; Apuliæ Dux, & Ludoviſium, qui impubis deceſſit. Ex concubina Gulielmum alterum ſuſcepit, Geſualdi oppidi dominum, Heliæque Parentem: ex quo quidam Geſualdos deducunt.

Interea dum Normanni in Italia, & Syria regna propagant: ii, qui Orientalem Galliæ partem occupaverant, deque ſuo nomine Normanniam nuncupaverant, illam amiſerunt: mortalium conditione fortunæ; quorum facile occupare regna, poſſidere difficile ſemper fuit. Etenim Gulielmo Duce, qui Angliam invaſerat, è vivis ſublato; alteroque deinde Gulielmo, qui Rubeus cognomento dictus, extincto, Henricus ejus frater,

Angliæ regno Scotiam adjunxit, Matilde Malcomi III. filia in conjugem accepta. Hic dum bellum cum Ludovico Craſſo Francorum Rege gerit, victus acie occubuit: victorique Normannia præmium victoriæ fuit. Angliæ, & Scotiæ regna ad Matildem filiam, ejuſque liberos, quos illa ex Gaufredo Andegavenſi genuerat, pervenerunt.

HI

Digitized by Google

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ DECAS SECUNDA.

LIBER UNDECIMUS.

SEquitur Decadis ſecundæ liber primus, quo patriæ libertatis jacturam narraturi ſumus, in tantam enim magnitudinem ea tempeſtate Normannorum res creverant, ut brevi univerſam Italiam occupaturi, Imperiique nomen, ac decus inſtauraturi viderentur: quod quidem conſecuti facile fuiſſent, ni Romani Pontifices veriti ne libertatem Eccleſiæ, cui jam graves eſſe cœperant, nimia potentia opprimerent, exteras in Italiam gentes ad illorum magnitudinem infringendam evocaſſent: à quibus tamen non minus, quàm à Normannis damnum accepimus, qui longa conſuetudine, plurimiſque jam liberis procreatis in Italicam indolem tranſiverant. Non obtinere tamen potuerunt, quin ulteriorem Italiam, & Siciliam ſibi & armis, & populorum favore partas, retinerent: quas nihilominus illi Pontificum ſe indulgentia poſſidere profeſſi ſunt: nihil de titulo laborantes, dum integram ipſi dominationem haberent. Totius Provinciæ ſortem ultima ſecuta Neapolis, quæ ſi tantæ magnitudinis, quantam nunc obtinet, tum fuiſſet, haud dubium quin Normannorum conatus, ut olim Longobardorum, infrin-

Digitized by Google

fringere commodè potuiſſet, etſi magnum ex jactura lucrum acce-
perit, quod Regni potentiſſimi, præclariſſimique caput, ac Regia
evaſerit. Qui verò ea evenerint, jam tradere incipimus.

Gulielmus initio Principatus ſacramento à populis accepto,
ad eum ſtabiliendum curas applicuit. At quoniam verebatur, ne
ſui inter ſe Normanni diſſidentes ab Henrico opprimerentur, illos
cum Roberto Capuano ad petendam à Cæſare pacem induxit. Henricus, cujus intererat, eos à Pontifice diſtrahere, ne tantis cum hoſtibus ſibi bellum eſſet, libenter dedit. Verum Paſchalis, qui nullis hactenus ærumnis, nullis minis, ac terroribus frangi potuerat, ſuorum tandem amicorum miſeriis, periculoque victus eſt. Qui & gementium lacrymas, vincula, carceres, bonorum direptionem, miſerabiles conjugum, ac liberorum caſus, & oppreſſos Cardinales, ejectos Sacerdotes, ſpretam Pontificiam Majeſtatem, ſacra, humanaque omnia peſſumdata, certumque novi ſchiſmatis periculum, illi ob oculos ponere continuò non omittebant. Quibus permotus iniquam Cæſaris petitionem admiſit: eique conceſſit, ut Eccleſiaſtica beneficia conferre, aliaque id genus poſſet, qua conditione, pax eſt confecta, cui ſexdecim ſe Cardinales ſubſcripſerunt. Liberatus dein Pontifex, captivique omnes dimiſſi. Sed ubi Roma Cæſar exceſſit, Cardinales, qui eam pacem non admiſerant, illius conditiones, atque acta tanquam iniqua, ac ſacris legibus contraria reſciderunt. Quod cum plurimi in dies probarent, eorumque pietatem, conſtantiamque commendarent; Paſchalis conventum in Laterano habuit, in quo ſe primum damnavit, quod ſuorum miſeriis victus, iniqua Cæſari conceſſiſſet: inde pacem irritam eſſe voluit; quæque Henrico juraverat, tanquam injuſta, ac vi extorta, reſcidit.

Interea Neapolis, quam Joannes Dux, vir eximiæ pietatis, adminiſtrabat, D. Peregrini adventu illuſtrata, qui ex ultima majoris Britanniæ parte, quæ Caledonia, Scotiaque appellata, Neapolim venit: inque ea ſanctiſſimè vitam tranſegit; ac poſt obitum inter Divos relatus. Fuit hic Margarita Scotorum Regina genitus, tanta matre digniſſimus, cujus ſanctimoniam imitatus, totum ſe pietati, ac Religioni dedit. Alexandro Rege, & matre morte perfunctis, cum major natu ex filiis eſſet, atque idcirco ad regnum peteretur, libentiſſimè recuſavit, illud ſe inquiens regnum quærere, quod caducum non eſſet. Mox colere ardentius pietatem; oratione, ac jejunio, purgare animum; eumque ad celeſtium rerum meditationem erigere, viriliter conatus eſt. Ut verò longè à Regiæ faſtu, deliciiſque eſſet, induto peregrini habitu, ex quo nomen accepit, varias terras peragravit: plurimaque loca, in quibus Divorum veſtigia eſſent, religioſè inviſit: & inter prima D. Jacobi Apo-
ſtoli

ſtoli ædem in ultimam Hiſpaniam, in qua Gallęci habitant, petivit: ſacraſque reliquias pio cultu veneratus eſt. Romam deinde ad Apoſtolorum Baſilicam venit, cunctaque urbis templa magna religione adivit. In urbe, dum à fratribus quæreretur, atque illis forte fortuna obviam occurriſſet, minimè agnitus. Roma Palæſtinam navigavit, ibique CHRISTI Servatoris tumulum inviſit, ac multis lacrymis deoſculatus eſt. Poſtea Betlemicum Præſepe, Oliveti montem, Sinamque Arabiæ adiit; ſacriſque in Oriente locis perluſtratis, è Syria Italiam repetiit; Sipontumque navi delatus, Garganum conſcendit: deinde Bario, Salerno, Amalphique voti cauſa peragratis, Neapolim ſe recepit: quam ſibi fatis deſtinari urbem cognoverat. Hic cum multos annos vixiſſet; plurimaque prodigia edidiſſet, quæ in ejus vita leguntur, depoſita mortalitate, in Cœlum victor evolavit; numeroque Divorum aſcriptus. Corpus in ea Eccleſia, quam ipſe ædificaverat, ab eoque nomen ad hæc uſque tempora retinet, Chriſtiano ritu ſepultum eſt. Tum etiam Gregorio Præſule extincto, qui biennio vixerat, Marinus Eccleſiæ præpoſitus eſt.

Porrò Normanni, cum audiviſſent Henricum Roma exceſſiſſe, Pontificemque acta reſcidiſſe, pacemque cum illo factam, tanquam Eccleſiæ pernicioſam, nullam habuiſſe; mutato in melius conſilio, & ipſi, relicto Cęſare, Eccleſiæ partes ſunt amplexi. At Paſchalis Beneventum progreſſus, ibi concilium habuit, turbaſque ibidem à Landulpho excitatas compoſuit. Hic inquies indole, finitimorum res ſæpiùs turbaverat: quocirca illi, ut injuriam ulciſcerentur, Beneventanum in agrum irrumpentes, cuncta hoſtiliter vaſtabant. Beneventani, ut materiem belli tollerent, Archiepiſcopi opera uſi, Landulphum in ordinem redegerunt. Paſchalis Beneventanis rebus compoſitis, alterum Trojæ conventum celebravit, quo abſoluto, unà cum Normannis Romam proceſſit, fidoſque ſibi homines præmiſit, qui Romanorum animos tentarent, eoſque inducerent, ut Henrico, tanquam Eccleſiæ hoſte ejecto, Pontificem reciperent. Etenim Henricus Romam reverſus, multiſque Romanæ ditionis captis oppidulis, triumphans urbem ingreſſus: ejuſque cuſtodia Tuſculanæ factionis hominibus tradita, exercitum ex ea eduxit; aciemque quaſi dimicaturus explicuit. Paſchalis in duas partes exercitum diviſit; quarum unam extra urbem reliquit, ut ſi quid hoſtis tentaſſet, illius conatum infrigeret: altera urbem ingreſſus D. Petri Porticum occupavit. At non multo poſt immenſo laborum pondere oppreſſus, maximiſque curis confectus, ſupremum diem obivit, anno MCXVIII., quo tempore Alexio Comneno jam extincto, Joannes filius Orientis Imperium adminiſtrabat; ſub quo Joannes Dux, & Conſul Neapolitanus è vivis deceſſit, cui

po-

poſteaquam juſta perſoluta, Sergius creatus, qui ultimus Neapolitanorum Dux fuit.

Paſchali è vivis ſublato, Gelaſius II. Caſſinas Cœnobita, patria Cajetanus, Pontifex renunciatus, qui etſi diù eum honorem ab ſe repellere fuiſſet conatus;tamen urgentibus Patribus,admiſit.Henricus ducens facile ſe ab eo, quippe viro mite, publicæ quietis prætextu, quod ardenter petebat, impetraturum, ratam illius electionem habere ſimulavit. Nihilominus perditiſſimi ſuæ factionis homines Francipanos ſecuti, iniquis ſe artibus oppoſuerant. At firmior manſueto pectori, quam violento, turbidoque hæret conſtantia; huic enim ex præcipiti impetu, atque inconſulto exorta, ubi nova ſpes, vel timor objicitur, facile mutatur: in illo ex maturo nata conſilio, ratione ſenſim augetur, ac novis ſemper viribus roboratur. Gelaſius Prædeceſſorum ſuorum exemplo conſtantior factus, nihil Cæſari concedere, quod æquum non eſſet, ſecum conſtituit. Ne verò vi, quod Paſchali acciderat, ad iniqua cogeretur, ſe in tuto collocare ſtatuit, cujus conſilium cum Henriciani cognoviſſent, plures illi inſidias ſtruere adorti, omnem operam impenderunt, ut vinctum in poteſtate haberent. At ipſe divina ope, ac ſuorum auxilio Ardeam primum, mox Cajetam ſe incolumem deduxit. Incredibili lętitia à Cajetanis exceptus, qui popularem ſuum apud ſe habere ſummopere gloriabantur. Cajetam illicò Gulielmus Apuliæ Dux, Robertus Capuæ Princeps, Riccardus Aquila, aliique Proceres, ac Præſules, cum Marino Neapolitano, ad ferendam Pontifici opem convolarunt. Ipſe in ea urbe, tot coram Principibus viris Pontificalia inſignia ſuſcepit, atque inauguratus eſt, inde ab univerſis uti legitimus Pontifex adoratus. Gelaſius in ea celebritate Gulielmum Apuliæ, Calabriæque Ducem ſalutavit, Robertum verò Capuæ Principem, eaſque ditiones, quas majores habuiſſent, & ipſe habere permiſit. Henricus, his cognitis, depoſita tandem ſimulatione, Mauritium Bracarenſem Antiſtitem, Hiſpanum hominem, omnibus vitiis infamem, in Pontificatum intruſit, & Gregorium appellavit, eumque armis ſuſtinere accingebatur. Gelaſius Cajeta Capuam venit, inque ea urbe Henricum, & Burdinum Pſeudopontificem ſacro fulmine ambuſſit, diriſque devovit. Inde Normannorum auxiliis, ſe ad bellum apparabat. Nec ſanè exiguæ vires tum Normannorum erant, quarum Dux communi conſenſu Robertus, militiæ ſcientiſſimus, conſtitutus eſt, qui imperio aſſumpto, copias cogere inſtitit, atque è vicinis Provinciis auxilia accerſere. Siquidem hæc tum Italiæ ulterior pars Pontificum aſylum, atque Eccleſiæ munimentum ducebatur. Henricus Normannorum apparatu comperto, in Anagninum agrum proceſſit; eumque latè depopulatus; opprimendoſque ſibi princi-

pio

Digitized by Google

pio hoſtes ſola armorum fama duxit: ne ſi tempore illorum vires augerentur, dubio deinde Marte dimicaret: è Latio in Campaniam progreſſus ad Turriculam, inter Sidicinum, & Calenum agrum ſitum oppidulum, caſtra poſuit, atque illud ſtatim oppugnare adortus eſt. Verum Robertus, qui cum exercitu, Pontificem ſecum ducens, Romam moverat, hoſtium conſilio cognito, per Marſos in Campaniam reverſus: veritus, ne ſi Cæſar Turriculam expugnaret, univerſum deinde Campanum agrum pervaſtaret, ex Apennino deſcendens caſtra in conſpectu hoſtium poſuit. Tum Henricus hoſtium vires majores, quam crediderat, eſſe animadvertens, oppugnatione omiſſa, è Campania ſilentio, ac fugienti ſimilis diſceſſit. Robertus ſimul ac moviſſe Germanos caſtra cognovit, eos inſecutus, extremum carpere agmen adortus. At illi incredibili celeritate jam ſe in Romanum agrum deduxerant, ex quo in Liguriam ſe receperunt; cuncta in itinere prędis, atque incendiis implentes. Imperatoris diſceſſu ejus factio Romæ minimè diminuta: in qua plures illi obærati, plures ſpe melioris fortunæ, & Pontificis, & pacis inimici erant. Gelaſius non benè maturato conſilio, privati potius habitu, quam Pontificis, urbem ingreſſus, tantum ab Henricianis non captus; ideoque Petro Epiſcopo Portuenſi Eccleſiæ cura relicta, Beneventanęque ditionis adminiſtratione Hugoni Cardinali demandata, ipſe in Galliam ſeceſſit, quando Normannorum auxiliis fultus, ſubſiſtere in Italia potuiſſet. Hic dum omnibus viribus periclitanti Eccleſiæ opem ferre adnititur, vitam piè terminavit, inque Cluniacenſis Monaſterii, in quod ſe receperat, æde honorificè ſepultus; vir ſanè dignus, qui in meliora tempora incideret. Gelaſio extincto, Cardinales, ne periculum in mora eſſet, comitiis habitis, Archiepiſcopum Viennenſem, virum & animi magnitudine, & virtutum ſplendore inſignem, Pontificem è veſtigio creant, inauguratumque Caliſtum II. appellant. Caliſtus vix inito Pontificatu, Romam proficiſcitur: quaque iter faciebat, ſummis laudibus excipiebatur, cunctique in eam ſpem erigebantur, fore, ut afflictis Eccleſiæ rebus brevi ſubveniret. Pſeudopontifex, ne illius quidem conſpectum ferre valens, Apoſtolorum Baſilica, quam vi occupaverat, relicta, Sutrium validam ſitu arcem, cum ſuis ſe recepit. At Caliſtus, ut diſſidium omne radicitus tolleret, ad Normannorum auxilia confugere ſtatuit; quocirca iter continuans, Beneventum pervenit. Ad eum inviſendum univerſi Normanni Principes, finitimique Comites convenerunt, cum quibus conſilio inito, obſidendum Sutrium cuncti cenſuerunt. Dum autem copiæ coguntur, atque apparatus adornantur, Caliſtus in Apuliam proceſſit, ibi plurima loca, quæ ad Eccleſiam ſpectabant, & occupata à finitimis fuerant, recepit, Beneventumque re-

reverſus, exercitum luſtravit. Inde per Campaniam, & Latium, in Romanum agrum movit. Mauritius, qui continuis eruptionibus circumpoſita loca vaſtaverat, magnumque Romanis incommodum intulerat, ſuas vires coëgit, ingentique timore ad tolerandam obſidionem ſe accinxit. Paucos poſt dies Pontificius exercitus Sutrium pervenit, in quo quia & numero, & virtute milites præſtabant, poſt brevem oppugnationem, in Caliſti manus dedita cum urbe Mauritius venit. Pontifex Chriſtianæ manſuetudinis memor, à ſcelerati hominis ſanguine abſtinuit, ſatis ducens ſi eum in tutam arcem relegaret. Romani eo felici belli ſucceſſu territi ultro ſe Pontifici ſubmiſerunt, qui Gelaſii errore doctior factus, victorem exercitum in urbem induxit, ejuſque ope fultus ſeditioſos oppreſſit. Ea verò victoria toti Italiæ, quæ per tot annos tantis calamitatibus vexata fuerat, pacem, ac tranquillitatem reſtituit. Tantæ victoriæ gaudium Roberti Capuani mors corrupit, qui dum hæc agerentur, ſub annum MCXII. è vivis exceſſit. Pius profectò Princeps, & pacis, bellique artibus inſignis, qui ea ingenii dexteritate Fortunæ caſibus uſus eſt, ut dubiis conſilio bellis, atque mira arte ſuperatis, ita ſuas vires integras ſervaverit, ut Eccleſiam contra Henricum defenderit, Sutriumque ut Caliſtus expugnaret, exciſaque diſſidii radice, Eccleſiam pacaret, ſua opera effecerit. Caliſtus etſi magnum in Roberto præſidium amiſiſſet, non tamen animum deſpondit; ut pote qui non in humana, ſed divina ope ſpem omnem collocaverat, cœptiſque viriliter inſiſtens, in Laterano Concilium habuit, in quo plurima ad corrigendos lapſos Chriſtianorum mores, pacemque Eccleſiæ fovendam ſancivit, diſcordias, quæ tot annos inter Henricum, & Pontifices fuerant, feliciter ſuſtulit, Cæſaremque in gratiam recepit; quibus egregiè geſtis anno MCXXIV. mortalitatem exuit, magnumque ſui deſiderium reliquit.

Roberto extincto, Riccardus Capuæ Principatum occupavit: quidam Roberti filium, alii à Capuanis ſuffectum tradiderunt, qui ut initia Principatus piè auſpicaretur, magnificam D. D. Petro, & Paulo ædem Averſæ excitare adortus, quam dum perficere nititur altero Principatus anno fato perfunctus. Jordanus filius, qui Patri ſucceſſit, ædem complevit; & anno MCXXI. Chriſtiano ritu, grandique pompa dedicavit. Interea in Oriente Normannorum nomen extinctum. Boëmundo II. multo ante defuncto, Tancredus, qui tutor Antiochiæ Principatum adminiſtraverat, Princeps ſalutatus, qui poſtquam plures annos fortiter à barbaris eam ditionem vindicaſſet, & ipſe è vivis magno eorum populorum luctu exceſſit: eo mortuo, Balduinus Hieroſolymorum Rex, Antiochiam regno adjunxit. Quia vero inter tot finitimos barbaros teneri ſine

Duce

Digitized by Google

Duce non poterat, illius adminiſtrationem Raimundo Boëmundi II. genero commiſit. Ceterum Tancredus, cujus plurimum in egregio Torquati Poëmate nomen celebratur, vir fuit bellicæ artis laude inter reliquos inſignis, & non minus manu, quam conſilio promptus, quod uti rarum, ita maximum in Imperatoribus ducitur, comitate verò, ac modeſtia ſingularis: dum tutoris nomine Antiochiam adminiſtraret, eam moderationis laudem obtinuit, quam inde Princeps æquitate ſummopere cumulavit. At Caliſto ſublato, diviſi Patres geminos Pontifices creavere, Celeſtinum, & Honorium utrumque hujus nominis II. Celeſtinus, ut qui probus, ac innocens, ne novum in Eccleſia, quo divina, humanaque omnia iterum everterentur, diſſidium oriretur, ſe Pontificatu ſponte abdicavit, eumque Honorio conceſſit, ratus majorem inde ſibi in terris laudem, gloriam in Cœlo comparaturum: Honorius, ne ambitus argueretur, prudenti uſus conſilio à Pontificiis abſtinuit, quoad iterum Patres coëuntes eum Pontificem ritè renunciarunt. Sub eo res Eccleſiæ refloruerunt, moreſque in melius mutati; ad quod non parum attulit emolumenti Henrici fatum, quod in hunc annum centeſimum viceſimum ſextum ſupra milleſimum incurrit; nam etſi Eccleſiæ reconciliatus, inerat in eo prava indoles, nec omnino extinctus diſcordiæ fomes videbatur. Inter competitores Lotharius Saxoniæ Dux ceteris prelatus, & concordi ſuffragio Cæſar renunciatus eſt. Verum Conradus repulſæ impatiens, nec æquo animo ferens alterum à ſe in patrui locum ſuffectum, aliquot Germanorum Principum ad ſuas partes pertractis, Regem ſe Germaniæ appellari juſſit. Nec profecto mirum ſi tantum tum de Imperio, ac ſupremis honoribus contentio inter Principes erat, quando etiam apud Monachos inquies animus, ſanctoque in loco ſimultates, atque ambitus fovebantur. Oderiſius minor Caſſinatium Abbas, Honorii etiamtum inimicus cum hic privatus agebat, nec hujus Pontificatu iram concoxerat: ſeque erga illum talem exhibere, qualem jura poſtulabant, apertè recuſavit. Honorius Caſſinum progreſſus, illum anathemate perculit, & quamquam Monachorum, ac ſubjectorum populorum auxilio ſubniteretur, in ordinem redegit. Monachi Nicolaum, invito Pontifice ſubrogarunt: quo novæ turbæ excitatæ, quibus uſus Oderiſius plurimos ſibi oberatos coadunavit, auctuſque auxiliis ſuorum (nam è Marſorum Comitibus ortum trahebat) in Caſſinatium fines ingreſſus omnia pervaſtavit. Capuani, finitimæque gentes, veriti ne magnum ex ea ſcintilla incendium excitaretur, obviam armatis facti, finibus expulerunt, motuſque omnes ſub initium compreſſerunt. Tum Monachi, Nicolao depoſito, Senioretum virum gravem juxta, ac religioſum, conſulto Pontifice, Abbatem elegerunt. Ho-

norius iterum Caſſinum proceſſit, ac novi Abbatis inaugurationi interfuit.

Anno MCXXVII. Gulielmus Apuliæ, Calabriæque Dux, poſtquam tres, & viginti circiter annos regnaſſet, ſine liberis deceſſit, inque Principe æde, quam Salerni Robertus ædificaverat, magnificè juxta ſuorum tumulos eſt poſitus: uxorem habuit Caitelgrimam Jordani Capuani ſororem, quæ marito ſupervixit. Ita Caſſinates annales habent; quos Ammiratus gravis author eſt ſecutus, ideoque erroris Collenuccius arguitur, qui rerum noſtrarum non ſatis ſciens Caitelgrimam viro præmortuam ſcripſit: & hic dum Conſtantinopolim ad ducendam Alexii Cæſaris filiam navigat, Rogerium ex Inſula in Calabriam trajeciſſe, Apuliamque occupaſſe. Cum Gulielmo univerſa Roberti Guiſcardi progenie extincta, ad Rogerium Siciliæ Comitem ex Rogerio Boſſo ejuſdem Roberti fratre natum, quem ad regium duorum regnorum faſtigium deſtinari à Fortuna ipſi rerum eventus manifeſto oſtendebant, Apulia, Calabria in jus conceſſiſſe videbatur. Nullus enim Gulielmo affinitate propinquior, cui Principatus deberetur, eo ſuperſtes erat, quin & vires in eo, & belli ſcientia inerat, quibus eas Provincias obtinere non difficilè potuiſſet, nec ipſe animus regnandi cupidus leve momentum erat. Quod quidem non exiguam Pontificis animo, ac reliquorum Italiæ Principum ſolicitudinem incutiebat: ne ſcilicet tanta ditione auctus, totum illius imperium affectaret. Rogerius, qui hæc optimè noverat, feſtinandum ſibi duxit, nam ſi poſſeſſionem inivilſet, non facilè inde exturbaretur: eo conſilio navibus Meſſanæ conſcenſis, Salernum improviſus advenit. In urbem ab ordine, ac populo admiſſus; acceptiſque ab Alphano Capitis Aquei Epiſcopo Principatus inſignibus ſummo plauſu Princeps ſalutatus. Inde majoris turris cuſtodia populo tradita, ut ea popularis fiduciæ oſtentatione illius ſibi benevolentiam conciliaret; reliquis ſuo præſidio firmatis, Lucaniæ, Calabriæque litora circumvectus univerſas in ſua verba gentes jurare coëgit. Rhegium Julium tandem delatus, ibi non expectato Pontificis juſſu ſolemni pompa Apuliæ, Calabriæque Dux inauguratus. Honorius, qui in Apuliæ, Calabriæque poſſeſſionem Principes admittere, ſui juris arbitrabatur, eo audaci Rogerii facto vehementer commotus, aliiſque ex cauſis jam antea alienatus bello eum perſequi ſtatuit. Rogerius, ut exaſperatum Pontificis animum mitigaret, Legatos Romam miſit, qui ei obedientiam præſtarent, rogarentque ut ſibi Principatus inſignia tradere ne gravaretur. Honorius apertè negavit: Nec Beneventanorum querelæ, in quos Rogerius vicinorum Toparcharum arma concitaverat, nec ejus urbis amittendæ periculum, nec Trojæ acceſſio, quam ei Rogerius ob-

ſequii

ſequii ergo ſe traditurum ſpondebat, Pontificem inducere potuerunt, ut Legatis ſatisfaceret, qui ſæpius eum rogaverant, ut Rogerii poſtulatis annueret. Imo ut ſe hoſtium conatui opponeret, meliuſque è vicino rebus Beneventanorum conſuleret, in eam ipſe urbem proceſſit.

Interea Capuæ, poſt memorabile ejus urbis incendium, quo miſerè conflagravit, Jordanus Princeps ſupremo fato perfunctus eſt. Hunc Petrus Diaconus Robertum appellat, ni forte ille annalium locus librariorum ignavia corruptus, ut diligentiſſimus harum rerum Scriptor Ammiratus pluribus confirmat. Eo defuncto, Robertus filius Principatum ſuſcepit, qui veteri Capuanorum Tetrarcharum inſtituto inhęrens ſub ipſo Dominationis exordio fędus cum Pontifice percuſſit, ictumque id fędus Beneventi, in quam Honorius urbem finitimos Toparchas ad conventum acciverat. In quo hanc ad eos orationem habuit: Scitis equidem, & voſmetipſi teſtes fuiſtis, quantas calamitates Beneventanis Rogerius intulerit, in quorum agris nullum genus crudelitatis fuit, quod non ediderit. Fumant adhuc incendio villæ, jacent inſepulta occiſorum corpora canibus, avibuſque objecta, nec furendi modum feciſſet, niſi ipſe Roma huc ad illius audaciam infringendam veniſſem. Ille Eccleſiæ jure violato, Pontificia Majeſtate ſpreta, Apuliam, Calabriamq; invaſit, meque invito earum ſe Provinciarum Dominum dixit, inq; ſua verba populos jurare armatus coëgit. Non contentus Sicilia, Italiam etiam occupavit: neque his ſe finibus contenturum ambitioſiſſimum animum arbitremini; major enim creſcit ambitio, cum nutrimenta majora capit; illudque animo agitat, ut ſcilicet, vobis ſublatis, Eccleſiaque oppreſſa, univerſæ Italiæ poſſeſſionem ſolus obtineat. Nec id oppidò difficilè, ſi vos neglecta concordia, ad veſtra ſinguli dilabamini. Etenim quid commodius, quàm unumquemque veſtrum per ſe debilem, validum illum, ac potentem viribus aggredientem primo impetu opprimere? At ſi conjunctis mecum viribus obviam cuncti ibimus, haud equidem dubitandum, quin illius conatus fracturi ſimus. Quocirca vobis, & Eccleſiæ, cujus patrocinio ſecuri eſſe poteritis maturè conſulite. Hac Honorii oratione univerſi Comites permoti, fędus cum eo percuſſerunt, inque illius verba cuncti jurarunt; munia deinde inter ſe partiti ad apparatus belli comparandos curas intenderunt; cum enim jam tempus appeteret, prævenire hoſtem ſatagebant.

Porrò Rogerius his rebus cognitis, nihil territus, copias, quas in Sicilia, Calabriaque habebat, coëgit: inde terreſtri itinere cum valido exercitu in Apuliam movit: ibique exigua quædam finitimorum loca occupavit. At non pigri interea fœderati ſedebant: copiis in unum congregatis, obviam hoſti proceſſerunt. Rogerius

cum

cum ſibi expedire minimè duceret, de ſumma rerum uno certamine decernere (ne ſi forte victus, à poſſeſſione earum Provinciarum excluderetur) in longum bellum trahere conſtituit: ut interim ſuas fœderati vires attererent; ac paulatim ab inita ſocietate diſcederent. Neque enim multum eam concordiam duraturam rebatur, quæ inter tot gentes, & opinione, & genio diverſas, exiſtebat. Sed jam æſtate circumacta, hyems appetebat; fœderati nullo memorabili geſto, cum nullas in Apulia arces haberent, in quas reducere ad hiberna milites poſſent; veritique ne quid ipſis abſentibus, domi novaretur, ad ſua ſinguli redierunt. Honorius illorum præſidio nudatus ſe Beneventum reducere coactus, atque intra illius urbis mœnia ſe continere. Rogerius ne occaſione abuteretur, parte copiarum in Apulia ad continendos in fide populos relicta, ipſe cum reliquo exercitu Pontificem ſecutus. Nec multo poſt quàm ille Beneventum intraverat, ipſe pervenit. Copias in conſpectu urbis explicuit, ſperans ea armorum oſtentatione Honorium ad conſilia pacis pertracturum: neque aliter res evenit. Honorius cum quotidie à populis rogaretur, ne ſua bona diripi permitteret, ac tot gentes hoſtium furori expoſitas miſerè perire, cumque eum Rogerii Legati iterum conveniſſent, atque humiliter pacem petiiſſent, neceſſitate, in quam ſe adductum videbat, coactus ad dandam Rogerio pacem deſcendit. Ambo ad Beneventi Pontem Calori amni impoſitum in colloquium, præſentibus Cincio Francipano, & Almerico Cardinali, qui pacificatores fuerant, proceſſerunt, ibi initio anni MCXXVIII. hac conditione ſancita pax eſt: Rogerius Eccleſiæ ſacramentum diceret, ac ſe illius vectigalem profiteretur: Honorius ei Principatus inſignia traderet: Apuliæ, Calabriæque Ducem appellaret. Quæ pax adeo firma fuit, ut cùm mox Beneventani à Pontifice rebellaſſent, præfecto urbis occiſo, nec vanus rumor eſſet finitimos cum Beneventanis conſpiraſſe; Pontifex, Rogerio, qui adhuc armatus in Apulia verſabatur; ut Beneventanos ad officium reduceret, imperaverit. Dum verò Rogerius coacto exercitu fines Beneventanorum ingreditur, Honorius finem vivendi fecit, bellumque interruptum eſt; nam cum Cardinales diſſiderent, nihil ulterius movendum Rogerius ſibi cenſuit. Patres comitium ingreſſi in diverſas ſententias abierunt, geminoſque Pontifices crearunt, Innocentium, & Anacletum ambos eorum nominum ſecundos, uterque Romanus patria erat; ſed quanto Anacletus generis nobilitate Innocentio ſuperior, tantò vitæ innocentia, prudentiaque inferior habebatur. Plures numero Patres in Anacletum conſenſerant; verum quia prior Innocentius Pontifex renunciatus fuerat, inde factum, ut tanquam verus CHRISTI Vicarius ab univerſa Eccleſia haberetur. Cum autem

Ana-

Anacleti factio potentior eſſet, ipſe Piſanis invitantibus in illorum urbem confugere coactus eſt. Robertus Capuanus, qui illius partes ſequebatur, Piſas uſque deduxit.

At Rogerius ratus ab Anacleto facilius, quod vellet, ſe extorturum, illius ſequi partes conſtituit. Etenim cupidiſſimus, ac ſuperbiſſimus homo nunquam præſentibus contentus, ad majora perpetuò anhelabat, parumque ſibi ducens, tanta ditione obtenta, ſimplici Ducis titulo appellari, anno antequam Honorius è vivis excederet, eo inconſulto, regium titulum aſſumpſit. Ad quod non mediocrem ſtimulum Adelaida mater addiderat. Hæc Balduino Jeroſolymorum Regi nupſerat, filioque ſpem fecerat, fore, ut eo Regno potiretur, à quo tandem dejectus, regium domi nomen uſurpavit. Balduinus, ut Tyrius Præſul author eſt, prima uxore Armenii Principis filia ob impudicitiam repudiata, Legatos in Siciliam miſit, qui Adelaidam peterent. Hæc, re cum filio communicata, ita Balduino reſpondit: Se paratam ad eas nuptias eſſe, ſi Balduinus in has conditiones veniſſet: ut nimirum ex filiis, quos ex ſe Balduinus ſuſcepiſſet, primus paternum regnum obtineret: ſin minus, Rogerius filius, Siciliæ Comes adoptaretur, ac Balduino patri ſuccederet. Balduinus cum eam divitiis affluentem ſciret, ideoq; multam ſuis rebus acceſſionem facturam, conditiones ultro admiſit, quibus utrimque firmatis, Rogerius plures adornari naves juſſit, eaſque omni commeatu, apparatuque bellico, & milite implevit: ut illis contra barbaros Balduinus uteretur. Deinde commodam ad navigandum tempeſtatem nacta Adelaida, naves cum ſuis conſcendit, atque in Paleſtinam vela fecit. Hic iterum conditione firmata, ſolemni Eccleſiæ ritu Balduino nupta: & coram Jeroſolymitano Antiſtite, ac totius Regni Proceribus Regina eſt ſalutata. Tres apud Balduinum annos manſit, nulloſque per id tempus liberos procreavit. Interea Balduinus gravi morbo oppreſſus, jam de ſalute deſperabat, eo rerum articulo, quo acriori intuitu futura videmus, ac minutiſſima quæque exactiore trutina perpendimus, primam conjugem repudiaſſe pœnituit, ideoque ea revocata, Adelaidam dimiſit, quam ignominiam iniquo hæc animo tulit; vehementerque diſplicuit, quod erga ingratum virum ſuas divitias effudiſſet. At major in Rogerio dolor, odiumque in Balduinum, tum ob contemptam matrem, tum quod fruſtratum ſe voto intelligeret: quæ tandiu duraverunt, quandiu vixit; imo ad poſteros etiam tranſmiſſa, qui infeſto ſemper animo in Balduinum fuerunt: ut autem eam jacturam Rogerius compenſaret, regium nomen aſſumpſit, eoque titulo ſperabat, fore ut in Jeroſolymorum Regnum admitteretur: atque hinc ortum, ut Siciliæ Reges, Jeroſolymitani pariter appellentur, Maurolycus putat. Verum id ex eo jure, quod

Fri-

Fridericus II., & Carolus I. acquiſivere multo poſt obvenit, neque Rogerius, etſi cupidiſſimus eum titulum unquam aſſumpſit. Sed utcumque ſe res habuit, anno MCXXIX. Majo menſe Rogerius Panormi coronatus eſt, in ea ſolemni pompa plurimi Proceres tum Siculi, tum Itali, quorum præcipui Riccardus Cajetæ Dux, & Petrus Sanſeverinius Mamertii Toparcha, adfuerunt. Præſulum item multi, quorum agmen Beneventanus, ac Salernitanus ducebant, ad illam celebritatem convenerunt. Panormum idcirco Regni ſedem conſtituit, ut vicinas Saracenorum incurſiones cohibere facilius poſſet. Honorius rem illam ſine Eccleſiæ authoritate factam indignè tulit; cum verò vires, quibus Rogerium contineret, in præſentia non haberet, diſſimulandum ſapienter duxit. Honorio extincto, Innocentius II. vir antiquæ ſeveritatis, palam negavit, ſe eum Regem appellaturum. Rogerius, eo cognito, Anacleti partes amplexus, univerſos ſuæ ditionis Præſules vi adegit, ut Petrum Leonem, quo antea Anacletus nomine appellabatur, uti legitimum Pontificem colerent: utque regium in faſtigium aſcenderet, Pſeudopontificis ſatellitem ſe fecit, ſuperborum more, qui ut altius attollantur, in abjecta quæque deſcendunt. Porrò Anacletus optimè intelligens plurimum ſibi Rogerii amicitiam, potentiamque profuturam; illum novis incrementis augere inſtitit, urbeque incendiis, & rapinis vaſtata, Beneventum proceſſit, ibi eum Rogerius convenit, & tamquam verum Pontificem adoravit. Anacletus illum Siciliæ Regem, Apuliæ, Calabriæque Ducem confirmavit: Robertoque Principatu ſpoliato, quod Innocentium ſequeretur, eundem Rogerium Principem conſtituit. Neapolitanos, & eos, qui ſaniora conſilia amplexi, Innocentio adhærebant, Rogerio ſubdidit, qui nulla mora interpoſita, Capuam movit, eamque modico præſidio firmatam facilè occupavit.

Intereà Innocentius Piſanorum navibus vectus officioſiſſimam Pontifici urbem intraverat, ſtatimque Legatos ad Ludovicum Galliæ Regem miſit, qui eum, ac univerſam Galliam de ſuis comitiis edoceret: quibus cognitis, ſe verum Pontificem eſſe, & ſine vitio creatum, agnoſcerent. Hæſit primo Ludovicus: mox conventu ſuorum habito; & Bernardo Claravallenſi magnæ apud eas gentes authoritatis, Innocentii cauſam tuente, lis Innocentio adjudicata: veruſque Pontifex agnitus; atque in Galliam invitatus. Dum hæc in Gallia gerebantur, Innocentius Piſis Petrum Leonem Diſſidii authorem, & univerſos ejus fautores ſacra deteſtatione percuſſit. Deinde Piſis egreſſus, Genuam venit: ibique Pacificatoris munere functus, inducias inter Genuenſes, & Piſanos compoſuit. Genua Provinciam venit, ibique conventum Claromonte habuit: in quo iterum Anacletum, & univerſos ejus aſſeclas Pontificio fulmine

per-

perſtrinxit. At Rogerius poſtquam cunctos ſuæ ditionis Antiſtites, atque Abbates, inter quos non ſine ignominiæ nota Senioretus Caſſinas fuit, in Anacleti verba jurare coëgiſſet, Regio titulo, ac novo Capuæ Principatu lætus, in Siciliam navigavit. Sed vix Minervæ promontorium ſuperaverat, cum ingenti ex improviſo tempeſtate coorta, admonentis tum Dei dexteram, non vindicis ſenſit; ſi nimirum ea caſtigatus ad frugem rediviſſet. Ea verò procella tam vehementi impetu in triremes, quibus vehebatur, deſęviit, ut tantum non ſubmerſæ. Ipſe eo turbine perculſus, jamque naufragium facturus, geminam eo loco ædem, quem primum incolumis tenuiſſet, ædificaturum vovit: unam D. Gregorio, alteram CHRISTO Servatori, additurumque cœnobium, ubi religioſi homines alerentur; ſanctius tamen feciſſet, ſi Anacleto ejurato, Innocentium uti verum Pontificem agnoviſſet. Verum quia miſericors Deus eum ad meliorem frugem expectabat, ſalvum Cephaledium deduxit. Quam tum ille urbem ex rupibus, quibus impoſita erat, in litus tranſtulit, Eccleſiam erexit, & Præſulatu inſignivit; ne verò obnoxia piratis eſſet, muro præcinxit.

Interea Robertus Capuæ Princeps milite mercenario, quem in Etruria ſcripſerat, & pluribus navibus à Piſanis acceptis, Neapolim venit, Capuam repetiturus: hic fędere cum Sergio Duce, & Ranulpho Comite icto, cum Piſano exercitu, in quo VIII. millia militum erant, additiſque fęderatorum auxiliis Averſam movit, qua brevi expugnata, Capuam caſtra tranſtulit: eam ne caperet, fames coëgit; idcirco deficiente commeatu obſidionem ſolvit, Ranulphoque Averſæ cum præſidio relicto, ipſe unà cum Sergio Neapolitano ſe Neapolim recepit. At Rogerius, re cognita, parata jam claſſe in Campaniam curſum direxit; ac pręter omnium expectationem proſpera navigatione intra paucos dies in eam appulſus, excenſione facta, Averſam obſedit, captamque diruit; Neapolitanum deinde agrum incendit. Federati cum ſe impares viderent, intra muros copias continuerunt. Robertus iterum Piſas profectus, ut nova auxilia contraheret. Per id tempus Innocentius, ut Rogerii vires, atque Anacleti audaciam infringeret, fędus cum Lothario Saxoniæ Duce, ac Germaniæ Rege, qui jam Cæſar electus fuerat, percuſſit. Hic Innocentio Rhemis Leodium venienti obviam occurrit: functuſque Pontifici ſtratoris munere, quod quidem ſemper Chriſtiani Principes munus retinuerunt, maximamque ſibi in laudem verterunt. Eum inde in Italiam, ac Romam incolumem deduxit. Pontifex grati animi ergo, illum in Laterano coronavit, ſacroque oleo veteri inſtituto inunxit. Quia vero ingens Romanos rerum omnium inopia peſſimè exceperat, urbemque multò atrocius armis, & graſſationibus Anacletus cum ſuis fautoribus, qui Vatica-

num occupabant, continuò vexabant, tum Cæſar, tum Pontifex receſſerunt. Lotharius Germaniam ad exercitum comparandum; Innocentius Piſas, urbem uti Pontifici addictiſſimam, ita validiſſimam, ut nullius vires formidaret, petierunt. Quia verò Anacletus lupi inſtar, cujus vicem gerebat, univerſum Eccleſiæ gregem dilaniabat, Rogerioque adjuvante ultimam ſacris perniciem minabatur, Innocentius Lotharium rogavit, ut iter maturaret. Lotharius Pontificis verbis permotus, plurimo exercitu comparato, primo tempore unà cum conjuge in Italiam venit. Ut verò Rogerium præpotentem navibus retunderent, Piſanorum claſſem, in qua ſex, & quadraginta roſtratæ naves erant, in Campaniam miſerunt. Quibus rebus ab Anacleto, & Rogerio compertis, magno metu perterriti; etenim impares tantis ſe viribus videbant; nihilominus, quas poſſunt, copias contrahunt, ſuæque factionis homines in fide continere omni modo adnituntur. Porrò Lotharius poſtquam in tranſpadanam regionem veniſſet, Guarinum Tabularium in Campaniam præmiſit, qui ſub dies Domini Natalitios Capuam progreſſus, Senioreto Caſſinatium Præpoſito, qui cœnobium illud in Anacleti, & Rogerii fide tenebat, ut ad ſe veniret, in Innocentii, ac Lotharii verba juraturus, imperat, ſibique cœnobium tradat, cui Senioretus negat ſe ex Cœnobitarum ſententia parere poſſe: nempe ut publico nomine privatam à ſe invidiam amoliretur. Cum verò Guarinus excidium cœnobio minaretur, ipſe Landulphum à Sancto Joanne cum firma militum manu ad illud cuſtodiendum accivit. At omnis circumpoſita regio, quæ Caſſinati Præpoſito parebat, Germanorum timore perterrita, ab eo defecit, uni tantum oppidani, ob propinquitatem in fide manſerunt. Dum verò hæc longùm protraherentur, tum Guarinus, tum Senioretus è vivis exceſſerunt. Senioreto extincto, diſſidium inter Caſſinates ortum, atque in partes diſceſſerunt: major pars Rinaldum Præpoſitum creaverunt, qui ſtatim ab Anacleto ſe in eo munere confirmari curavit, pars altera Innocentium, qui Piſis, & Lotharium, qui Ravennæ hyemabat, de Rinaldi electione per vim facta admonuerunt; eoſque ad comprimendam Rinaldi inſolentiam, qui Pſeudopontificem, & Rogerium imitatus, ſævire moliebatur in bonos, vehementer ſollicitabant.

Vere adulto, Henricus Dux Bavariæ, Lotharii gener, partem copiarum per Etruriam ducens, Piſas venit: ſuſceptumque ex ea urbe Pontificem Romam deduxit. Romæ ſtatim omnium Præſulum, atque Abbatum, qui convenire poterant, conventus eſt celebratus, in quo de communi Patrum ſuffragio Anacletus, & Rogerius iterum diris devoti. Deinde Henricus unà cum Innocentio urbe egreſſus infeſto agmine in Campaniam movit, Riccardumque

Cœ-

Cœnobitam, qui Innocentium ſequebatur, Caſſinum præire juſſit; Rinaldumque admonere, ſe ab omni injuria, maleficioque temperaturum, ſi ipſe in verba Innocentii juraſſet, & ſe, & Cœnobium in Lotharii fidem tradidiſſet. Rinaldus, nuncio accepto, Cœnobitas in unum congregavit, eoſque vehementer hortatus, ut in Anacleti, & Rogerii poteſtate permanerent: ſe certum animi eſſe, in eorum nomine, à quibus acceperat, cœnobium ſervaturum. Statimque nova auxilia accivit, quibus vim repellere confidebat. Riccardus, his cognitis, ex monte in ſubjectum oppidum deſcendit; ejuſque oppidanos ſacramentum Innocentio dicere coëgit. Non multos poſt dies Henricus Rinaldum ad ſe venire jubet, qui veritus ne in ordinem redigeretur, obviam proceſſit: Henricus, accepto aureo ab eo calice, & quadraginta argenti libris, obſides ipſe dedit, eique cœnobii præfecturam Imperatoris nomine confirmavit, ſi tamen in Innocentii fide manſiſſet, vexillumque Imperatorium in arce, quæ ædi imminet, præfixit. His rebus explicitis, Capuam caſtra movit. In itinere Fundani Toparchæ finitimæ gentes occurrerunt, & Innocentium agnoſcere, ejuſque ac Cæſaris ſe mandata facturos dixèrunt: eorum populorum exemplum illico Capuani imitati, ut & ſuo officio ſatisfacerent, & Roberti Principis gratiam inirent. Henricus Robertum in ſuum Principatum ſtatim immiſit, magnoque à ſuis plauſu exceptus, qui impotentem Rogerii dominatum iniquè ferebant. Capua Beneventum Henricus perrexit, quò ſecundis caſtris venit: & ad Pontem D. Vincentii caſtra in conſpectu urbis poſuit: caſtris metatis, Legatos ad Beneventanos miſit, qui illis ſuo, & Innocentii nomine mandarent, ut exercitui commeatum præberent; portas Innocentio aperirent; eumque uti verum Pontificem, ac Dominum exciperent, quod ſi facere imperata recuſaſſent, ſcirent ſe illius, & Cæſaris indignationem ſubituros. Legati ad urbem profecti mandata civibus expoſuerunt: conſilium habitum, in quo cum Rogeriani prævalerent, re ipſi infecta, ad caſtra redierunt. Ad arma igitur utrimque concurſum: Rogeriani ad XXX. millia militum urbe egreſſi, pugnæ copiam hoſti fecerunt. Henricus haud ſegnior, inſtructa acie, in hoſtes vadit. Prælio inito, cum Henricus animadverteret, Germanos in prima acie dimicantes jam terga dare, reliquis jubet, ut amne transjecto, qui ſubter urbem præterluit, collem, in quo urbs eſt, nullo obſiſtente occupent, atque illico ex Aurea Porta urbem ingrediantur, quod illi feliciter executi ſunt. Id autem ubi Beneventani conſpexerunt, actum de victoria arbitrati è pugna ſe actutum ſubduxerunt; ac præcipiti fuga in urbem ſe vertunt, quos Germani effuſis equis inſecuti unà cum ipſis urbem introiverunt. Receptum ſine cæde Beneventum Innocentio redditum: qui urbem

victoris ritu ingreſſus, cunctis veniam dedit. At Henricus Campania, & Samnio in deditionem acceptis, in Apuliam victorem exercitum induxit.

Per id tempus Lotharius, iis urbibus, quæ Anacleti partes tuebantur, in Flaminia, & Piceno expugnatis, per Frentanos, ac Pelignos in Apuliam duodecimis caſtris pervenit, Biduoque militi ad ſe reficiendum dato, Barium maritimum oppidum oppugnare adortus. Barienſes, quibus durum Rogerii imperium videbatur, ſtatim ſe Lothario tradiderunt, atque Innocentium uti legitimum Pontificem adoraverunt. Arx, quam Rogerius ædificaverat, validaque prædonum manu firmaverat, fortiter reſtitit: quocirca machinas adhibere Cæſar ſtatuit. Interea Innocentius ab Henrico ad eum deductus, qui eximio honore à Cæſare exceptus; parique ſtudio cultus eſt, unàque cum Imperatore in caſtris permanſit. Quo pio officio perfunctus Cæſar, Henricum ad ſubigenda reliqua Apuliæ loca ire jubet: ipſe ad expugnationem arcis ſubſiſtit. At Rogerius plurimum momenti ratus ad Apuliam recuperandam eam arcem futuram, ſi in ſua poteſtate manſiſſet, omni illam conatu tenere niſus eſt. Plurimarum navium, quas Siciliæ, Calabriæque portibus inſtruxerat, claſſem conſcendit: & ad ferendam obſeſſis opem in Adriaticum ſinum navigat: verum cum exercitu progreſſus, adeo Lotharium formidavit, ut deſcendere in aciem non ſit auſus. Ita arx, deſperato ſubſidio, in victoris poteſtatem venit, in quam igne immiſſo prædones capti, ac ſuſpendio necati. Eodem tempore Henricus Trojam munitum oppidum, Sipontum, Barulum, cæteraque adjacentia Apuliæ loca magis terrore armorum, quàm vi cepit. Quo plurima interdum, & ardua feliciter confecta ſunt. Atque in hunc modum Apulia in poteſtatem redacta. Cæſar unà cum Pontifice, ut ejus Provinciæ res componeret, Melphiam venit, eaque in urbe, quam Normanni Principatus ſedem ſtatuerant, conventum ad diem D. Petro ſacram Lotharius indixit. Ad conventum Rinaldus, ut fuerat admonitus, Caſſino venit; præcipuos ex Cœnobitis ſecum ducens. Dum verò ad Lacum Pendentem, ubi caſtra Lotharius habebat, accedit, ei Innocentius, præmiſſo nuncio, mandat, ut priuſquam in caſtra intraret, ipſe unà cum Cœnobitis, qui eum comitabantur, nudis pedibus ad ſe venirent, ac pro obedientia, quam Pſeudopontifici exhibuerant, quod imponeretur, piaculum acciperent: ſeque jurejurando obſtringerent, omnia, quæ dediſſet, mandata facturos. Rinaldus eo improviſo nuncio perculſus Lotharium appellavit, ſtatimque caſtra ingreſſus, Cæſarem adiit, deque illius juſſu, juxta Imperatorium tabernaculum fixit ſuum, quæ res Innocentii animum non parum à Lothario alienavit. Aucta deinde diſſentio cum Lotharius

Ra-

Ranulphum, ſive Reginulphum Germanum hominem Apuliæ Ducem conſtituit. Etenim ad ſe id pertinere, non ad Cæſarem Pontifex ajebat, qua diſſentione oborta, res in alium diem dilata.

Dum his Apulia bellis arderet, non immunes ab illorum igne Picentini fuerunt. Guibaldus Stabulenſis Abbas Lotharii juſſu claſſem Salernum deduxerat, eamque urbem omni machinarum vi oppugnabat. Piſani verò altera claſſe ſex, & quadraginta longarum navium, milite, & omni apparatu inſtructa, vicina litora circumvecti, Amalphim, excenſione facta, aggreſſi, primo impetu occuparunt, ingentemque ex ea prædam retulerunt; quod vero theſauri loco habuerunt, id juris civilis Pandectarum ab Juſtiniano conditum opus fuit, atque antiquiſſimis literis exaratum, illud ſibi à Lothario poſtularunt, ac Piſas magno gaudio deduxerunt, ubi diu quadam veluti religione cultum, quod deinde Florentiam translatum non minore ſtudio aſſervatur. Pretioſum oppido vetuſtatis monumentum, qui ſi barbaris amor literarum fuiſſet, inq; captis urbibus eandem curam adhibuiſſent, plurima antiquorum monumenta omni auro æſtimabiliora; non deſideraremus. Sunt qui ſcribant eos Pandectarum libros Neapoli ſervatos fuiſſe: atque ex ea urbe, cujus ab Innocentio cuſtodiam habuerunt, accepiſſe, & tum pariter Piſanos ædem Neapoli fabricaſſe in via ad Ulmum dicta, quæ D. Jacobo ſacra à Piſanis diu cognomen retinuit. At Lotharius cùm videret, ex eo volumine Pandectarum, qui Piſani primùm, mox Florentini appellati (quod eam in urbem Piſis translati libri fuiſſent) magnam utilitatem Imperio futuram, mandavit, ut à Vernerio (Irnerium alii vocant) reſtituti in ſcholis per totam Romani Imperii ditionem explicarentur. Quod Neapoli adeo feliciter ſucceſſit, ut infinita ferè multitudo eorum ſit, qui juris prudentiam profitentur, ipſaque jam copia laboramus: tot verò antiquis novæ leges, ac Principum ſanctiones additę; ut infinitus penè earum numerus ad pompam verius, quam ad publicam utilitatem oſtentetur: atque is doctior vulgo Legulejorum habetur, cui eorum librorum amplior ſit apparatus, quique plurimos eorum voluminum titulos recitare in promptu valet. Sed ut ad Piſanos redeam, Amalphi in poteſtatem redacta, reliqua ejus tractus oppida partim in litore, partim in montibus poſita, occupaverunt. Horum præcipuè Rabellum, & Scala aditu difficilia: Minuria, & Majuria in vallibus ad mare ædificatæ. At cum Frattam Rabelli arcem edita in rupe ſitam, oppugnare vellent, paratum ad defenſionem hoſtem invenerunt, qui ſitu ſecurus reliquis ferocior erat. Rogerius, ne hoſtes latius arma circumferrent, ſubſidio ſuis navigavit. Salernum delatus, hoſtiumque viribus cognitis, è re ſua futurum non duxit cum jis copiis, quas advexerat, cum Germanis congredi, ne

ſi

ſi acie vinceretur, univerſam Italiam amitteret. Ea igitur urbe omiſſa, ac vicina litora circumvectus, ad ferendam Frattæ opem contra Piſanos vadit: cum verò claſſem magna ex parte vacuam adoriri deberet, militem expoſuit, ut terreſtri prælio Piſanos invaderet. Piſani omiſſa arcis oppugnatione, in Rogerium pergunt, qui cum illorum ſuſtinere impetum non poſſet, ad litus ſe recepit: ac tumultuario conſenſu naves ſubiit, multis ex ſuis deſideratis, inque Siciliam reverſus eſt. Piſani, Fratta expugnata, Ænariam navigarunt, quam cum diripuiſſent, incolis in altiſſima Epomei juga fugientibus, ſpoliis onuſti, domum redierunt.

Per idem tempus, non ſegnior Guibaldus omni machinarum vi, & continuis aggreſſionibus Salernum oppugnabat: qui urbem pro Rogerio tuebantur, diu mœnia tutati fortiter, pluribuſque eruptionibus caſtra inimica aggreſſi, ſtationes hoſtium everterunt. Mox cum audiſſent Rogerium à Piſanis victum, in Siciliam fugiſſe, honeſtis conditionibus, ſe Guibaldo tradiderunt. Salerno in Fœderatorum poteſtatem redacto, inter Innocentium, & Lotharium orta lis eſt, utrius ea urbs eſſet, nec parva quidem ea fuit. Interea Lotharius, Apulia expugnata, unà cum Innocentio Beneventum, inde Capuam venit, cognitaque Caſſinatium Cœnobitarum controverſia, Rinaldum, qui ad Anacletum, ac Rogerium iterum defecerat, ſede depoſuit: & Guibaldum, cujus opera eo bello uſus fuerat, Præpoſitum conſtituit. Id Innocentius, quod injuſſu ſuo factum eſſet, adeò moleſtè tulit, ut eos Præſules, atque Abbates, qui eo judicio interfuerant, exauthorare decreverit. Lotharius, ut Pontificem merito iratum placaret, nihil ad ejus contumeliam factum teſtatus, omniaque ei integra eſſe, utque ipſi videretur, Legatos ſtatueret, qui cauſam recognoſcerent. Non aliter factum, Legati Rinaldum damnaverunt. Cœnobitæ facta à Pontifice poteſtate, novum Præpoſitum elegerunt, is idem Guibaldus fuit, cui plurimum Cæſaris ſuffragium profuit. Inde Caſſinum, è monte reverſi Aquinum moverunt. Hic tandem, de Rainulpho Apuliæ Duce compoſita eſt controverſia, eique tum Pontifex, tum Cæſar vexillum tradiderunt, habitaque res eſt magna pompa, in qua Robertus ſuam partem habuit, rurſuſque Capuæ Princeps ſalutatus: ſed ea ſcena verius fuit; nam cum quæ armis quæſiverant, iiſdem non muniviſſent, omnia Rogerius recepit, illiſque vacuus tantum dominationis titulus eſt relictus. Enitendum Principibus magis eſt, ut parta armis teneant, quam ea occupare, quæ ſervare diù non poſſunt.

Porrò Rogerius, ſimul atque exceſſiſſe Italia Lotharium cognovit, claſſem, quam refecerat, noviſque navibus auxerat, recenſi tironum delectu, & veteri milite implet, omnique commeatu

in-

inſtruit, ubi verò idoneum ad navigandum tempus eſt nactus, Prætoriam conſcendit, Salernumque dirigi curſum jubet, eam primùm ſe urbem, in qua plurimi ſuæ factionis erant, ſe facilè recepturum exiſtimans. Interea ne videretur diſſidium alere, ad Innocentium ſcripſit, ut Aimericum Tabularium, & Bernardum Claravallenſem, quem Pontifex ad rebellium pervicaciam convincendam Romam evocaverat, ad ſe mitteret: Anacleto, ut Petrum Piſanum & ipſe venire ſineret, ſignificavit, velle ſe de ipſorum controverſia cognoſcere, & componere etiam ſi poſſet. Sperabat callidus homo, fore ut Bernardi ſimplicitas à Petri doctrina, verſutiaq; ſuperaretur, neſciens plus roboris in Chriſtiana ſimplicitate, quam in humana ſapientia, atque aſtutia ineſſe: nec veritatem mendacii umbris obtegi unquam poſſe. Innocentius ne ſuo officio deeſſet, Bernardum ad eum conventum, quem Rogerius rogaverat, legavit; ut cùm ſanctimonia, tum eloquentiæ vi, durum animum emolliret. Quod adeo egregiè præſtitit, ut Rogerius ejus ſermone victus receſſerit; quia tamen paratum exercitum, & Rainulphum obviam habebat, acie conflixit, pulſuſque eo prælio fugam cum ſuis cepit. Inde cum Rainulphus male victoria uteretur; copiarum reliquiis ex fuga collectis, vultuque victoriam ſimulans, quod ſolemne Principibus eſt, diſputationi interſuit: atque utriuſque partis Oratores attentè auſcultavit. Prior Petrus longam pro Anacleto orationem habuit, indè Bernardus tam facundè diſſeruit, tot rationes adduxit, ut Petrum in ſuam ſententiam pertraxerit, qui, ejurato ſtatim Anacleto, Innocentio, quem jam univerſa pene Eccleſia Pontificem adorabat, libentiſſimè adhæſit. At Rogerius, qui amiſſa recuperare in animo habebat, Eccleſiarumque bonis, quibus ſemper inhiaverat, exhauſtum reparare ærarium ſatagebat, pertinax in ſua ſententia permanſit. Nempe difficile eſt errorem deponere, ubi cupiditas animum præoccupavit. Motis igitur caſtris, univerſam Apuliam præter Barium, & Melphiam, quas urbes valido Germanorum præſidio Rainulphus muniverat, brevi recepit. Inde in Campaniam excercitum, & claſſem ducens, Puteolos, Alliphas, Teleſiam, & Principem tandem ejus Provinciæ Capuam vi cepit, quas ita diripuit, ut ne ab Eccleſiis quidem abſtinuerit: direptas vaſtitate, & incendiis barbarorum more deturpavit.

Per id tempus Rainaldus, qui ex Caſſinate cœnobio expulſus, Fundanum invaſerat, proſperis Rogerii rebus elatus, contractiſque ſuis, & amicorum auxilis, validaque Vernaculorum manu ſtipatus Caſſinum oppidum aggreſſus, nulloque obſiſtente, occupavit, eo potitus in montem ad capiendum cœnobium evadere connifus. At Guibaldus Landulphi ope, cum non ſolum aditu prohibuit, ſed ulterius inſecutus è ſubjecto etiam oppido ejecit: ut verò proximum

jam

jam periculum declinaret, Legatos ad Rogerium miſit, ſeque illi amicum futurum, ſi pacem daret, ſpopondit. Rogerius, qui impotenti in Eccleſiam ira æſtuabat, Legatos acerbè excepit, & non poſſe ſe ita animum inducere, ut Abbatem ab Imperatore conſtitutum in eo cœnobio, quod intra ſuæ ditionis fines eſſet, perſiſtere æquo animo permitteret, reſpondit, imo ſi in manus veniſſet, ſe illum ſuſpendio necaturum eſt minatus. Ita nimirum efferantur animi, ejurata ſemel pietate. Guibaldus, his auditis, adeo perterritus, ut relicto cœnobio, atque inſciis Monachis illicò auſugerit: permiſſa illis alium ſubrogandi poteſtate. Monachi Abbatis fuga comperta, Rainaldum alium ſuffecerunt. Rogerius dum hæc ad Caſſinum agerentur, univerſa oppida, quæ Caſſinatium juris erant, occupavit. Inde ad montis fines progreſſus, à novo Præpoſito petiit, ut ſecum conſentiret, atque Anacleti partes ſequeretur, ille veritus Innocentium, conſtanter recuſavit. Aſſerens adeo communi totius Europæ conſenſu de legitima Innocentii electione conſtare, ut ab eo deficere ſine piaculo non poſſet. Rogerius Abbatis voluntate cognita, cuncta ſe pervaſtaturum minatur: ea voce perterriti accolæ, univerſi unà cum uxoribus, ac liberis ad montem, & cœnobium confugerunt, verum Abbatis conſtantia pervaluit, ac res compoſita, accolæque ad ſua ſecuri redierunt.

Lotharius Italiæ rebus non ſatis compoſitis, in Germaniam rediens cum ad Tridentinam vallem perveniſset, improviſo, ac fatali morbo correptus, ibi in ſylva inter Oenum, & lycum, viliſſimo in tugurio ſubſedit: nec multo poſt ſupremum diem obivit, anno MCXXXVIII. uſque adeo in magnorum virorum interitu ludit fortuna. nempe, ut ſciant ſe homines eſse, nec niſi titulo tantum à cæteris differre. Fuit Lotharius egregiè pius, multiſque Cæſaribus præferendus, ſi pietati fortitudo reſpondiſſet. Quotidie etiam in caſtris tribus ſacris intererat: ſæpè pauperum pedes abluebat: quos Auguſta uxor tergere ſolita erat. Sacerdotes religioſè coluit, pauperes fovit, viduas ab injuria potentiorum vindicavit: in cæleſtium rerum meditatione aſſiduus: divinaſque inter preces uberrimis lacrymis rigabatur: literas, earumque cultores vehementer amavit: atque author fuit, ut Longobardica, & Salica lege repudiata, uni Romano juri univerſi parerent, ejuſque hortatu Irnerius Bononiæ Pandectas explicandos ſuſcepit, ex quo fonte jus civile per univerſam Italiam primùm, mox per reliquas Europæ Provincias mirificè propagatum. Lotharii Cæſaris fatum Rainulphi Ducis interitus ſecutus, de quo Scriptores variant: quidam à Rogerio victum: quidam Tuſculanis Præpoſitum, atque apud illos obiiſſe memoriæ tradiderunt. Rogerius cum Lotharii, tum hujus morte erectus, extentis itineribus in Apuliam movit, caſtriſque ad Mel-

phiam

phiam poſitis, brevi eam expugnavit. Inde Barium obſedit, quam urbem Regione Rainulphi fratre armorum terrore in fugam compulſo, non multo negotio obtinuit, atque his victoriis elatus, cum vivos, quos vicerat, perſequi non poſſet, in mortuos, impotens iræ deſævit. Brunonis Colonienſis Antiſtitis, & Rainulphi fratris, ſepulcra revellit: cadavera eorum eduxit, ac per forum tracta barbara crudelitate laceravit: ira ſatiata, expilatione Caſſinatis Cœnobii cupiditatem explevit.

Anno centeſimo triceſimo octavo ſupra milleſimum comitiis Auguſtalibus Confluentiæ habitis, Conradus, qui cum Lothario de Imperio decertaverat, Cæſar renunciatus; deinde Aquis à Theoduino Pontificis Legato de more inunctus. Ad eum ſtatim Robertus Princeps, aliique plures ex Campania, Apuliaque extorres perfugere: utque eorum patrocinium ſuſciperet, ac bona ab immani hoſte contra jus omne erepta, ſuis armis redderet, vehementer rogarunt, nec quotidie Cæſaris animum acribus ſtimulis in Rogerium irritare omittebant. At Innocentius, his malis cognitis, cum Rogerium armis cohibere in præſentia non quiret, ſacro fulmine, quod unum reſtabat, & terribile eſt Pontificum telum, quo ſuperbiſſima Principum capita ſæpius decuſſa, publicè perſtrinxit. Rogerio Diris iterum devoto, Anacletus tot malorum author è vivis raptus, ad reddendam tot ſcelerum rationem apud Divinum Judicem vel invitus acceſſit. A ſuis obſcuro, atque ignobili funere elatus, ſordidoq; in loco ſepultus. Eo tumulato, ipſius factionis aſſeclæ ſtatim, non quaſi ultra diſſidium alerent, ſed ut aliqua dilatione interpoſita, ſuis rebus commodius conſulerent, Gregorium Cardinalem civem Romanum ſuffecerunt; ac Victorem IV. appellarunt. Tum Bernardus Claravallenſium Abbas pro ſuo erga Romanam Eccleſiam ſtudio, atque ardentiſſimo in CHRISTUM amore, quem perniciosiſſimo eo ſchiſmate offendi quotidie videbat, Gregorium adiit: eique divina eloquentia perſuadet, ut depoſitis inſignibus, quæ ſui injuſtè obtulerant, diſſidium tolleret, Eccleſiæ pacem redderet, ſeque ab æterna damnatione liberaret: Gregorius tum ſanctimonia, tum eloquentia viri permotus, ſe pariturum ſpondet. Bernardus illicò, ne mora officeret, illum ad Innocentium perduxit: ac veniam impetravit, & facilè obtinuit: atque in hunc modum unius hominis pietate, ac doctrina, perhorrendum illud diſſidium, quod nec Cæſar, nec tot Reges tollere poterant, feliciter profligatum eſt; quo oſtenſum in ſacris controverſiis, plus ſanctorum virorum pietatem, ac ſapientiam, quam vim, atque arma Regum valere. Ingens in urbe bonorum gratulatio, & gaudium ſecutum, quæ univerſum deinde in orbem, una excepta Sicilia, pervaſerunt. Bernardus Pater Patriæ, orbiſque terrarum Pacificator, magno cuncto-

rum plauſu, ſalutatus. Verum ſanctus vir, ut hunc à ſe honorem, à quo maximè alienus, amoliretur, poſt ſeptem dies urbe exceſſit: inque ſuam ſolitudinem, ut liberius Deo, divinisque gaudiis frueretur, convolavit.

Porrò Innocentius, ut mala quæ tam diutino diſſidio in Eccleſiam irrepſerant, radicitus convelleret, conventum Romæ in Laterano more majorum celebravit. In eum ſupra mille Patres convenerunt; cum verò Pontifex de Eccleſia retuliſſet, Anacleti fautores iterum damnati, & ad inflictam eis pœnam ſubeundam coacti, ordinationes, ſive ab eo, ſive ab aliis illius authoritate factæ infirmatæ. Arnoldus Brixianus inſignis novator Italia excedere juſſus, aliaque plurima ad Chriſtianam diſciplinam inſtaurandam peropportuna communi Patrum conſenſu decreta ſunt. Concilio dimiſſo, ea Pontificem cura ſubiit, ut Leonis IX. exemplo acrius in Rogerium ageret, atque armis illius pervicaciam ſuperaret; quando ſacris devotionibus minimè flecteretur: ſed eundem ea expeditio eventum habuit, quem Leo eſt ſortitus, ut nimirum oſtenderet Deus, Pontificia arma unam majeſtatem, ac potentiam eſſe, quam ſuis ipſe Vicariis tribuiſſet, qua ſola, ut mox dicetur victus Rogerius eſt, qui in ſua pervicacia contumax, ædes ſacras vexabat, Monachorum bona occupabat, electiones, inunctionesque Præſulum in ſe, inaudito more, trahebat. Comparato igitur exercitu, in quo plurimi tirones erant, Pontifex in Campaniam movit. Ad Caſſinum Rogerium obviam cum armatis habuit, cum quo proſpera pugna decertavit, atque in fugam compulit. Inde ne cunctando victoria abuteretur, victum inſecutus in Gallucii caſtro, ad quod ſe ex fuga receperat, obſedit. At Gulielmus Rogerii filius, quem Pater Tarentinum Principem creaverat, parentis periculo comperto, quas maximas potuit, copias contraxit, ac reliquiis fuſi, fugatique exercitus recollectis, ad ferendum auxilium ſumma celeritate progreſſus eſt. Simul ac in conſpectu hoſtium venit, aciem explicuit. Non detractavere Pontificii pugnam, ſtatim ordinibus inſtructis, proceſſerunt. Atrox diu dimicatio, atque anceps fuit, plurimique utrimque ceciderunt, tandem Pontificii referre pedem cœperunt: mox in fugam effuſi, plenam Gulielmo victoriam reliquerunt, qui Pontificem unà cum novem Cardinalibus victum comprehendit, & captivum ad patrem perduxit. Rogerius Pontificis etſi victi majeſtate perculſus, in alium illicò mutatus, ac ipſe, qui egregiè in ſuis vicerat, victus, ac ſuperatus eſt, eumq; quem capitaliter oderat, grandi honore proſecutus. Inde illum Neapolim deduxit: ea in urbe facta de pace mentio, quæ ab utroq; haud gravatè accepta. Rogerius Innocentium cuſtodia; Innocentius Rogerium noxa exolvit; deinde ita pax compoſita: Rogerium

Pon-

Pontifex Siciliæ Regem, Apuliæ, & Calabriæ Ducem, Capuæque Principem appellaret: contra Rogerius Pontificem uti ſupremum Dominum agnoſceret, eique ſacramentum diceret: bona Eccleſiarum reſtitueret: Præſulum electiones, ritè, ac ſanctè, ut antea factitatum fuerat conficerentur.

Illud autem vel in primis à Pontifice Rogerius obtinuit, ut Neapolitanus Dux crearetur; nam etſi deditione à Sergio ultimo Duce facta, jam urbem in poteſtatem haberet; quia tamen verebatur, ne Neapolitani antiquæ libertatis percupidi, eam iterum ſibi armis vindicarent; juſtum ſibi dari titulum volebat, quo eam jure poſſideret: & Pontificis authoritate interpoſita, novandi occaſio tolleretur. Pontifex etſi id minimè ſibi conducere intelligeret, nam libera ea civitate uti pro munimento adverſus Normannos poterat; & Neapolitani ad Orientis Imperium tum pertinere videbantur; nihilominus, ut pacem cum victore componeret, ita cum Neapolitanis egit, ut Rogerius Dux crearetur. Atque in hunc modum ad Normannos Neapolis pervenit, liberque Reipublicæ ſtatus cum Regia dominatione commutatus eſt.

Hæc dum in Italia agebantur, magna in Germania inter Conradum Cæſarem, & Velſonem Henrici fratrem pro Saxoniæ Ducatu lis erat, quæ Italos pariter plurimum fatigavit; ac renovata ea vetus concertatio, quæ Gibellinæ familiæ, & Velſonum fuit, qua citerior Italia pene deſolata diu gemuit. Velſoni Rogerius favebat: cum verò copias ad bellum mittere non poſſet, pecuniam ſuppeditabat. Timebat enim callidus homo, ne Conradus Germanico bello, quo tum graviter implicabatur, feliciter abſoluto, in Italiam ad vetus regnum ſibi armis vindicandum cum exercitu Germanorum deſcenderet: Italicisque auxiliis auctus, ſe ab earum Provinciarum, in quibus pacificè regnabat, poſſeſſione dejeceret. Ne verò motus aliquis in eis fieret, & ut oſtentatione armorum finitimis terrori eſſet, partem ipſe exercitus ad Amiternum amnem duxit: partem Anſulphus ejus filius, quem Capuæ Principem conſtituerat, ad Frentanos, & Pelignos traxit; certis etenim nunciis ſagaciſſimus vir cognoverat, inter Conradum Occidentis, & Joannem Orientis Imperatorem initam ſocietatem eſſe, eamque nuptiis firmatam, deſponſa ſorore uxoris Conradi Manueli Joannis filio: idque eo ſpectare, ut eo fœdere in ſe arma converterent: quocirca paratus ipſe videri voluit, & inferre potius bellum, quam illatum repellere. Verùm alium eventum, ut plerumque in humanis uſu venit, ſortita res eſt, & ipſe arma in Græciam, non Græci in Italiam deportavere. Interea Innocentio ex mœrore, quem ex Romano tumultu conceperat, è vivis ſublato Cœleſtinus II. ſuffectus, qui cum paucos dies regnaſſet, naturæ debitum perſolvit, inque ejus

locum Gerardus Bononienſis Pontifex eſt cooptatus, qui Pontificia inſignia ſuſcipiens Lucium II. ſe vocari juſſit. Per id tempus Rogerium uſum opportunitate, reliqua Apuliæ loca occupaſſe, horumq; Pontificum ignavia omnem ulteriorem Italiam ſubegiſſe, quidam, ſed perperam ſcripſerunt; nam ut Sigonius accuratus author memoriæ tradidit, jam Innocentii ætate cuncta ea loca Rogerius obtinuerat, ac pacifica poſſeſſione tum moderabatur. Neque hi Pontifices novandum aliquid cenſuerunt, contenti eo tributo, quod Prædeceſſores habuiſſent; neque ea tum conditio Eccleſiæ erat, ut nova cum eo bella ſuſciperet, quem & ultro vectigalem habebat, & potentem etiam viribus formidabat; tanta præterea tum bella, tanti Italiam tumultus vexabant; ut deficientibus barbaris in ſe arma convertiſſe videretur.

Porrò Rogerius diſtractam civili bello Italiam, tumultuantem Germaniam, Gallorumque Regem Ludovicum expeditionem in Orientem meditari, animadvertens, otioſum ſe tot viribus, in ea temporum opportunitate ſedere, haud ſibi decorum ratus, claſſem comparavit, novoque inde tironum delectu exercitum auxit; ubi verò commodum navigandi tempus affulſit, milite navibus impoſito, in proximam Africam felici auſpicio trajecit, dedecus, quod ex tot bellis in Eccleſiam illatis, atque alienæ ditionis occupatione contraxerat, ea gloria, quam à victis Saracenis ſibi peperiſset, deleturus. In Africam Provinciam, quam Tunetanum Regnum barbari tum appellabant, curſu pervenit, Aphrodiſium ejus ditionis munitum oppidum, excenſione facta, obſedit, pulſoque barbaro Rege, qui obviam ad ferendam ſuis opem proceſſerat, non multo poſt vi cepit. Tripolim deinde, validam urbem, præſidioque munitam, ultra minorem Syrtim provectus, invaſit, barbariſque nequidquam obſiſtentibus, ſubegit. Stacem inde, & Caſſiam non exigua oppida expugnavit, quibus captis, caſtra in Saracenos movit, ſigniſque collatis iterum profligavit, quorum Rex, qui ſe Tunetum ex fuga receperat, veritus ne in ea urbe à victore Rogerio obſideretur, Legatos ad petendam ab eo pacem miſit. Pacem his conditionibus Rogerius dedit: quæ eo bello ſibi parta eſſent, pacificè poſſideret: Tunetanus Rex reliqua haberet: ſeque vectigalem profiteretur: tributumque in annum ſolveret; quas cum barbarus accepiſſet, veteri ritu percuſsa pax eſt. Rogerius, præſidio in urbibus, quas expugnaverat, relicto, victor in Siciliam redivit. Panormum triumphans ingreſsus, feſtos dies magno populorum plauſu celebravit. Ipſe ut tantæ victoriæ jugis memoria permaneret, ſuo in enſe hunc titulum incidi juſſit:

Appulus, & Calaber, Siculus mihi ſervit, & Afer.

HI-

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ

LIBER DUODECIMUS.

DUm hæc Rogerius cùm ex peſſimo optimus evaſiſset, tanta ſui gloria, atque utilitate gerebat, Romæ Lucius II. diem obivit. Poſt triduum ſacris comitiis habitis, Bernardus S. Anaſtaſii Abbas, Bernardi Clarævallenſis diſcipulus in Pontificem cooptatus anno MCXLV., ſacroque oleo inunctus Eugenius III. vocatus eſt, qui eo ipſo die, quo Pontificatum inivit, tantam præ ſe indolem tulit; ut omnium expectationem vicerit. Nam ſicut antea ſimplex quidem, ac rectus; ita in conficiendis negotiis non adeo promptus, atque expeditus habebatur. Fallitur oppidò plerumque vulgus, cum de jis, qui mundanis rebus nuncio miſso, uni Deo, atque æternis vacant, judicium ferre ſatagit: nam modeſtiam, quam illi ultro profitentur, inertiam putat: & voluntariam animi dejectionem, vitio naturæ vertit. Hujus Pontificis hortatu, & Bernardo Clarævallenſi ſuaſore, Ludovicus Pius ſacram in Palęſtinam expeditionem ſuſcepit, ad quam jam ſe Conradus Cæſar accinxerat, ſed uterque non eo ſucceſsu, quem tanta exordia merebantur; cunctorumque vota præconceperant. Etenim cum minus cauti Gręcæ ſe fidei cõmiſiſsent, ab Emanuele proditi, operam omnem luſerunt. Illius juſsu calx farinæ admiſcebatur, qua plurimi mor-

mortales tabe conficiebantur: Latinorum conſilia Turcis, ac Saracenis prodebantur. Conradus toto pene exercitu amiſso, inglorius redivit: Ludovicus etſi primo prælio victor, profligato deinde exercitu, ipſe tantum non captus.

Occaſio, qua Eugenius impulſus Chriſtianos Principes in ſacrum bellum incitaverit, hæc traditur: Inter Euphratem, & Tigrim amnes regio jacet tota Aſia celeberrima, quæ idcirco Meſopotamia à Græcis appellata, in ea primævos homines ad amœniſſimos hortos habitaſse, plurimorum opinio eſt, ex quibus inde quod vetitum pomum deguſtaſsent, ejectos cis Euphratem conſediſse, iidem arbitrantur: hujus regionis Princeps Edeſsa urbs erat, quæ ob Chriſtianam Fidem ab antiquiſſimis temporibus cultam, & Divi Thomæ reliquiis, quæ in ea ſervabantur, magno tum in honore apud Orientis populos habebatur, & eo præcipuè, quod Ægypto, univerſaque Syria à Saracenis occupatis, ſola inter tot barbaros, & priſcam fidem, & libertatem conſervaret. Gotifredi ætate, cum Edeſseni vexari à barbaris cepiſsent, Legatos ad eum miſerunt, Latinorum auxilia poſtulantes. Balduinus cum copiis miſsus, qui ſummo honore, ac lætitia exceptus, ac veluti Princeps eſt habitus. Hoc autem, Gotifredo mortuo, ad Jeroſolymitanum regnum evocato, Principatus Joſcelino juniori obvenit, ſub quo Sanguinius barbarorum Rex, copiis coactis, caſtra ad urbem admovit, arctaq; obſidione præcinxit. Per id tempus Armenus quidam Edeſsenus civis, turrim muro continentem habitabat, hujus verò filiam eximiæ pulchritudinis virginem Joſcelinus Princeps ardenter deperibat. Cum autem nihil ſe blanditiis agere intelligeret, vim adhibuit, ſtuprumque virgini intulit. Id pater iniquè ferens, ut illatam filiæ injuriam ulciſceretur, prodere urbem ſtatuit, nihil penſi habens in patriam, atque innocentes populares ſuos peccare; dummodo de iniquo Principe vindictam ſumeret: conditione igitur cum hoſtibus pacta, per eam turrim barbaris in urbem aditum præbuit, qui ea nocte, qua Domini natalitius dies celebrabatur, populum in Eccleſiis ex improviſo adorti lacrymabili cæde trucidarunt. Edeſſa capta, univerſam Saraceni Meſopotamiam, (Turcas alii fuiſſe tradunt) in poteſtatem redegerunt, tantumque Jeroſolymitano regno, ac Latinis terrorem intulerunt, ut ſua jam de ſalute agi, proximumque imminere periculum arbitrarentur. Eugenius hoc acerbiſſimo nuncio accepto, vehementer Chriſtianorum caſu perturbatus: utque afflictis rebus præſentiſſimam opem afferret, Urbani exemplo Crucem iterum indixit, totumque Occidentem ad Syriacam expeditionem Bernardi auxilio accendit. Præcipui, qui ſacro bello nomen dederunt, fuere Conradus Cæſar, & Ludovicus Francorum Rex. Hæc autem ſecunda, ac memorabilis expeditio fuit,

quæ

quæ in Orientem magno animorum ardore ſuſcepta, magnas etiam ſpes exhibuit: ut jam profligatas Turcarum, Saracenorumque vires univerſi crederent. Sed falluntur plerumque mortales, cum ex præſentibus futura decernunt, quando aliter de illis diſponere liberum eſt Deo, & tot etiam cauſæ, tot caſus ſunt, ut momento variari effectus poſſint, quemadmodum hic accidiſſe comperimus, ſiquidem infelix eventus tam læta exordia eſt ſecutus. Et quidem Conradus, Henrico filio Germaniæ Rege conſtituto, atq; in Occidente ad futuros caſus relicto, ipſe cum exercitu, in quo CC. peditum, equitumque millia numerabantur, unaque cum Theodnino Epiſcopo Parmenſi Pontificis Legato, aliiſque pluribus Italiæ Principibus in Orientem per Pannoniam movit: in eo exercitu, quod mirum oppidò fuit, ſeminæ quamplures veterum Amazonum militiam æmulatæ, equos agitantes, haſtiſque, & parmulis præmunitæ, pugnam cum barbaris commiſſuræ fuiſſe perhibentur. Iſtro non ſine incommodo trajecto, in Thraciam venit, ex qua Emanuelis liberalitate refectum exercitum navibus in Aſiam tranſportavit. Hic Græcis viæ Ducibus aſſumptis, cum Iconium Lycaoniæ Principem urbem, quam Turcæ tenebant deduci vellet, in Cappadociam per deſerta deductus, ubi tum inedia, tum labore, tum etiam crebris barbarorum aggreſſionibus magna copiarum parte amiſſa Epheſum reverſus, ex quo vix cum decima tantarum virium parte Conſtantinopolim redivit: illud verò ex ea expeditione confecit: nimirum Græcos pejores barbaris hoſtes eſſe, à quibus ſui fraude circumventi miſerè periiſſent: nec deleri Saracenos, ac Turcas poſſe, ni prius Græci Latinorum Imperio ſubmitterentur. Ludovicus Francorum Rex eodem terreſtri itinere, ſed paulo feliciori in Aſiam progreſſus, ſecunda aliquot cum barbaris prælia fecit: ac Laodiceam victor pervenit. Vere inſequentis anni MCXLVIII. Attalia, quæ Ciliciæ urbs eſt, ſolvit: quo etiam tempore Conradus Conſtantinopoli cum claſſe egreſſus: proſperoque exinde curſu ambo in Syriam appulerunt: copiis mox conjunctis Jeroſolymam terreſtri itinere pervenerunt. Hic conſilio cum Rege, & reliquis Proceribus habito, ſtatutum, ut Damaſcus oppugnaretur, qua capta, totius ſe Syriæ dominationem conſecuturos ſperabant. Motis igitur caſtris, Damaſcum progreſſi: triduum valide oppugnata: cunctiſque externis munimentis nudata; ut jam de deditione barbari cogitarent; ne verò caperetur, noſtrorummet perfidia, ac diſcordia in cauſa fuerunt, qu bus malis ita ſæpè in Oriente laboratum, ut ad interitum tandem perventum ſit. Damaſcena obſidione ſoluta, Joppem, ut Aſcalonem obſidione cingerent, uti inter eos conſtitutum fuerat, uterque exercitus movit. Hic poſtquam Jeroſolymitanas copias ad dictam diem fruſtra expectaſſent, Conradus

ma-

majorem ſui exercitus partem abſumptam cauſatus, conſcenſis navibus, Conſtantinopolim navigavit: inde terreſtri itinere domum repetiit. Ludovicus ſolus in Syria relictus, nihil & ipſe memorabile geſſit, quo novo, veterique exemplo probatum haud equidem magnum quid ab jis fœderibus expectandum, in quibus & plures Duces, & diſcordes vel genio nationum, vel æmulatione eſſent.

Interea Rogerius, ne otioſus ſedere eo tempore videretur, quo totus pene Occidens in Saracenos, ac Turcas armabatur, bellum eiſdem inferre conſtituit, quod ut tutius gereret, pacem ab Emanuele petiit, ne forte, dum ipſe in Africam, aut Syriam trajeciſſet, hic vacuum regnum aggrederetur. Emanuel id infirmarum virium argumentum eſſe ratus, Siculi Regis Legatos ſuperbè acceptos, contra jus gentium in carcerem conjecit, pacemque dare petenti noluit. Rogerius repulſa, injuriaque irritatus, veterique ſimul odio inflammatus, arma in Græcos, quos infenſos Latinorum hoſtes non minus quam barbaros eſſe multis argumentis cognoverat, vertere ſtatuit. Ex Apulia, Calabria, Campania, Siciliaque, quas plurimas potuit, naves coëgit, omnique apparatu inſtruxit: in quibus inde & veteranorum copias, & novum militem impoſuit: eiſque navalis prælii ſcientiſſimos Duces præfecit: ubi verò hyeme circumacta, commodum ad navigandum tempus affulſit, ex Apulia in Græciam trajecit. Antequam ſolveret, ſuos pro concione advocatos ita allocutus perhibetur: Decreveram, Commilitones, idque vos minimè latere pro certo habeo, in Saracenos infenſiſſimos Chriſtianæ Reipublicæ hoſtes bellum omnibus viribus deportare: quippe nec mihi, nec vobis honeſtum ducebam, ut tum maximè otioſi ſederemus, cum duobus magnis Ducibus, Conrado Cæſare, & Ludovico Gallorum Rege, totus pene Occidens pro tam pia cauſa armatus, in Orientem navigabat: auxilia ſociis, qui magno in diſcrimine conſtituti laborabant, maturè laturus; nempe ut Jeroſolymorum Regnum tanto fortiſſimorum militum ſanguine partum, à barbaris, qui omnem Meſopotamiam occupaverant, ac ſacris jam mœnibus victores imminebant, vindicaret: quod ut ſecuri ageremus, pacem à Conſtantinopolitano Cæſare æquis conditionibus poſtulavi: ne dum alieno in ſolo decertaremus, vacuam hoſtes Siciliam occuparent. Verum ſuperbus homo, græcaque perfidia inſtructiſſimus, noſtros Legatos contra jus gentium, quod vel incultiſſimi etiam barbari ſanctum, atque inviolatum ſemper habuerunt, contumeliis affectos in vincula conjecit: quæ quidem injuria, qua non tantum nos, ſed univerſas gentes affecit, non magni reputanda, ſi cum jis conferatur, quas Chriſtianis omnibus irrogavit. Illos pro Chriſtiana Republica, pro ſuo Imperio, cui ultimum jam barbari excidium minabantur, fortiter decertantes, non

uti

uti ſervatores ſui, deque Catholica Fide benemeritos, beneficiis proſecutus; ſed tamquam hoſtes maleficiis omnibus vexavit. Nam & commeatu interclusit, frumentum corrupit, inſidiis circumvenit, atque hoſtibus prodidit: ut plus illi à Græca perfidia, quàm à Saracenorum, Turcarumque armis perpeſſi ſint: illudque tandem compertum omnibus eſt, fruſtra peti barbaros, ni prius Græcis ſubactis, liberum, atque expeditum iter paretur. Quocirca viſum mihi non tam privatam, quam publicam injuriam ulciſci; inque illos arma convertere, qui Latinorum ſe hoſtes tot argumentis, noſtroque malo, oſtenderunt: quo bello illud, quod maximum, eſt efecerimus, ut Græcorum perfidia perdomita, non amplius illorum fraudibus noſtri petantur; eiſque victis non multum negotii erit, reliquos barbaros debellare. Quocirca alacres ad tantum vos bellum accingite, non ingens vobis gloria, non ampliſſima ſpolia deerunt. Vix hæc Rogerius, cum omnium clamor exortus, paratos ſe in Græcos pugnare: duceret ipſe quo vellet: ſe nunquam commiſſuros, ut priſca in ipſis virtus deſideraretur, tantuſque ardor animis excitatus; ut explicare jam aciem, pugnam conſerere, victoriam referre ſibi viderentur.

Concione dimiſſa, proſperoque mox vento ab Occidente hiberno, quo commode in Græciam navigatur, exorto, ſolvi è portu Rogerius, inque proxima Epiri litora curſum dirigi, imperavit: Corcyram inſulam primam Græciæ terram tenuerunt. Antiquiſſima hæc Phęacum regna, Poëtarum carminibus plurimum celebrata, quæ Epiro prætenta, quaſi ſpecula tum Adriatici, tum Jonii maris attollitur; commodoſque ad recipiendas naves portus habet. Rogerius multum ei bello conducere ratus, ſi illam in poteſtatem habuiſſet; in qua & claſſem deducere, & univerſa Græciæ litora depopulari potuiſſet, ad terram ſtatim applicuit; pulſiſque, qui exceſionem prohibebant, copias omnes expoſuit: urbemque edito in colle poſitam obſedit: exin gemino in murum brachio ducto, machinas admovit. Græci, quorum major perfidia, quam virtus erat, ut quati mœnia baliſtis viderunt, urbem Rogerio dediderunt. Corcyra capta, præſidioque firmata, Peloponneſi litora circumvectus, Corinthum primò, mox Thebas, & Chalcidem occupavit, quidam authores Athenas etiam captas, & munitiſſimam aliam arcem, de cujus tamen nomine nihil tradiderunt, memoriæ mandarunt. Eam verò arcem cum vi expugnare ob aſperum ſitum non poſſet, arte cepiſſe: præmiſſis nimirum indigenis, qui mortuum inferre ſimularent: hi verò dum cuſtodibus in aditu vim inferunt, ac tempus protrahunt, accurentes Rogerianos arcem intraſſe: Græciſq; ejectis Siculum præſidium impoſitum. Hujus autem expeditionis, ex qua plurimam ſibi gloriam Rogerius conquiſivit, illud imprimis

memorabile, ac perutile lucrum fuit, quod ex Græcia, in quam ſ Juſtiniano Cæſare, ex India delatum fuerat Serici conficiendi opificium, in Siciliam, Italiamque feliciter tranſportatum, atque opimi inſtar ſpolii eſt habitum. Etenim capti illius artis opifices, vinculiſque conſtricti; ut ea ignominia ipſe Emanuel notaretur, in Siciliam deducti, ac Panormi deinde collocati, artem, quam exercebant, Siculos docere compulſi: mox per Calabriam, & Campaniam, ubi omnium nobiliſſimum oloſericum conficitur, feliciter, magnoque incolarum lucro propagata, cujus artis tanta noſtra ætate Neapoli peritia eſt, ut nec Græcis, nec Seribus ipſis ſit invidendum: opificum tanta multitudo, ut integram, ac populoſam urbem ipſi unà cum liberis, ac conjugibus conflare poſſint; ad XXX. enim millia virorum capita numerari ferunt. Ea verò oloſericorum textura, tam varii, atque exquiſiti *operis eſt*; ut vix alibi ſimile quid invenias: acceſsere ea *occaſione Phrygii* textus; & tum Sericis filis, tum auro ductili variata opera, mirumque in modum interpicta, ut per totum orbem expetantur. De Serico opificio quoniam plurimi ſcripſerunt, ſupervacuaneum duco, nos in eo diutius immorari.

Rogerius bello in Græcos feliciter inchoato, jam Conſtantinopolim navigare, inque arcem Græcæ perfidiæ arma inferre cogitabat; ut ea capta, Saraceni deinde delerentur: & fortaſſe quod meditabatur, ſecundo conatu præſtitiſſet, ni novi in eum hoſtes ex ipſiſmet Chriſtianis inſurrexiſſent. Hi autem Veneti fuerunt, *qui* ſuſpectam jam Rogerii potentiam habentes, privatum commodum publico bono prætulerunt: verebantur ne ſi Rogerius Græcia potiretur, toti deinde Italiæ jugum imponeret: & ipſi intra ultimum Adriatici angulum concluſi, quaſi obſeſſi de libertate laborarent. Ne igitur Rogerii potentia latius extenderetur, illi pro viribus ſe opponere conſtituerunt: mox juventute armata LX. longarum navium claſſem inſtruxerunt, eaque in Ægeum navigant, ſuppetias Emanueli, ſi res poſtulaſſet, allaturi. Rogerius ne eodem tempore cum Græcis, ac Venetis bellum gerere cogeretur, omiſſa Grecia, converſoque per Cretam curſu ad proxima Aſiæ litora divertit; id verò divino conſilio factum eventus demonſtravit. Ludovicus Galliæ Rex Antiochia ſolverat, in Occidentem rediturus, dum verò circa Rhodum navigat, à Saracenis interceptum, ac pene captum quidam ſcripſerunt; at ſupervenientibus in ipſo navali conflictu Siculis navibus, victos barbaros, Regemque eo diſcrimine liberatum: alii à Græcis captum tradunt, dumque ad Græcum Imperatorem, qui tum Corcyram obſidebat, duceretur à Siculis navibus, quibus Georgius præerat, Græcis profligatis, in libertatem reſtitutum, cumque Georgium in Prætoriam Conſtantinopolita-

nam

nam ſagittas aureas emiſiſſe, ſeque ad bellum, & pacem paratum oſtendiſſe. Ludovicus ſummo honore in Siciliam deductus, ſplendidèque à Rogerio Panormi exceptus: & poſtea Romæ ab Eugenio: regiiſque muneribus donatus. At Conradus ſimplicioris vir animi ſe ab Emanuele proditum minimè intelligens, illum in Theſſalia agentem convenit, cumque eo conſilium injit, ut mutuis armis Rogerium invaderent: cujus tamen belli ipſe onus, ac damna, Emanuel verò lucra accepiſset. At cum ſuorum parvitatem, & multis ſe neceſſitatibus circumventum aſpiceret, omiſſa belli ſententia, naves conſcendit, perque Adriaticum ſinum Polam pervenit, ex qua mox terreſtri itinere in Germaniam tandem ſe vix incolumem deduxit. Ex tanta vero expeditione, tantoque apparatu nullam Orienti utilitatem attulit, nullam ſecum gloriam domum reduxit. Nempe in magnis expeditionibus nihil potius ſpectandum, quam Ducis prudentia, & fortuna: quibus ardua quæque nullo negotio conficiuntur: quæ ſi deſint, cætera omnia incaſſum effuſa.

Verum Emanuel eo præſidio nudatus ad Venetos confugit, eoſque ad fœdus contra Rogerium invitavit. Hi Rogerii potentiam formidantes, illicò acceſſere, mandatumque ab Senatu claſſis Præfecto, viro impigro, ut Orientis Imperatori præſto eſſet, qui Venetis auxiliantibus, quæ Rogerius occupaverat, brevi recepit. Rogerius è re ſua minimè ducens Venetos aggredi, cumque illis, ac Græcis navali prælio confligere, flexo per Strophadas curſu, in Helleſpontum penetravit, inque ipſius Regiæ urbis conſpectum claſsem admovit, tanta Conſtantinopolitanorum trepidatione, ut muris egredi non auſi. Rogerius incredibili auſo, militem expoſuit, ac ſuburbia diripuit: ipſumque Cæſaris palatium, cunctis admiratione, timoreque perculſis, invaſit, inque illud aureas, argenteaſque ſagittas jecit, hortique poma ſua manu legit. Atque hoc memorabili geſto, Græci Cæſaris ſuperbiam, perfidiamque ſe fregiſse arbitratus, militem in naves incolumem, multiſque ſpoliis onuſtum illicò reduxit. In reditu Venetam claſsem obviam habuit, quam majorem numero navium declinandam prudentiores cenſebant: ne ſi forte Veneti victoriam adepti forent, ſuperbirent, vicinamque Apuliam invaderent: ſatis laudum eo bello relatum; neque illud nimia gloriæ cupiditate corrumpendum eſse. At Rogerius, cujus bellicoſus animus nulli unquam fortunæ ceſserat, ne pugnam detrectare videretur, dimicare ſtatuit, ſuoſque paucis animatos in aciem explicuit, ſignumque certaminis dedit. Concurſum magno animorum ardore: diuque anceps pugna fuit: tandem cum Rogerianæ naves majori numero circumvenirentur, ad Venetos victoria inclinavit. In ea pugna XX. roſtratas Rogerius amiſit; ipſe cum reliquis in Siciliam evaſit: Venetis non incruenta ea vi-

ctoria fuit: nam præter biſmille ſaucios ſupra D. cum Bolano Duce amiſerunt. Atque hic finis ejus belli fuit, quod felicius ſuſceptum, quam finitum eſt.

Porrò Rogerius ætate jam grandior, multis ſpoliis dives, & gloria clarus, cum intelligeret, ſatiam ſui fortunam diſceſsum meditari, ne igitur ea abuteretur, omiſſis belli conſiliis, ad pacis ſtudia animum transduxit. Et primò Panormeam arcem magnificentiſſimo apparatu ædificavit, & turribus communivit: ſuperbiſſimas etiam ædes inſtruxit, inque illis ſubterraneas cryptas, quibus ex tot Provinciis raptam pecuniam reponeret, inædificavit. Sacram ædem regio etiam ſumptu ab ipſis fundamentis erexit, ac Divo Petro dedicavit: aliiſq; plurimis ornamentis Panormum ignobilem prius urbem inſignivit: ibique regium ſolium collocavit: idq; ex eo fecit, ne Saraceni, qui adhuc in Sicilia degebant, vicinæ Africæ auxiliis freti res novas molirentur. Erant enim Saraceni Maumethanæ ſuperſtitionis cultores, adeoque Chriſtianorum hoſtes inſenſiſſimi, ac ſuperbiſſimi; ut pote qui ejus inſulæ Imperium tot annos tenuerant, atque ob id ad rebellandum ubi ſe daret occaſio, promptiſſimi. Sedet Panormus in Septentrionali inſulæ latere, quà ad Occidentem, & Lilybæum convergit: ampla circum planities miræ feracitatis, pomorumque omnis generis refertiſſima: tot verò aquis irrigua ut ipſa copia laboret; quippe præ nimio humore minus ſapidi arborum fructus ſunt, & facile computreſcunt. Planitiem nudi montes coronant, quorum is, qui in mare exporrigitur Ercta veteribus appellatus: mare non admodum piſcoſum, & Aquilonaribus flatibus obnoxium, quamquam non minor ab Auſtro lues, quo per æſtatem perflante, tantus in urbe calor, ut ſæpius pueri ſuffocentur; cum verò Thracius ſpirat, blanda temperies eſt. Urbs, quam Carthaginienſes ædificaſſe, aut certè auxiſſe, quidam volunt, pene quadrata, ac duabus ampliſſimis viis in quatuor partes dividitur. Forum habet ampliſſimum, ubi antiquorum Regum ædes ad mare poſitæ: nam novum Prætorium ad Meridiem, & campos vergit, non uno olim portu, à quibus apud Græcos nomen obtinuit, celeberrima: nunc iis ſabulo oppletis, magnifica mole inſtructa, damnum compenſat. Ex quo verò inſulæ Princeps conſtituta, ædificiis, & amplitudine crevit: inſulæque nobilibus habitari viris cepit; ut Rogerio ſe plurimum debere merito profiteatur. Dum autem in urbem ornandam Rogerius incumbit, novæ animum curæ ſollicitarunt. Conradus mitigato dolore, quem ex Henrici filii præmatura morte conceperat, iterum ad bellum animum convertit, ſeque in Italiam propediem venturum juravit, ſummo enim deſiderio avebat, Romæ ab Eugenio veteri more coronari: debitamque ſibi, uti rebatur, Apuliam repetere: ac ci-

te-

terioris Italiæ res opprimere verius, quam componere. Quocirca magnos habere delectus tota Germania inſtitit, auxiliaque Italorum, qui ſuarum partium erant, conſcribi: quæ Rogerio nunciata, in varias partes illius animum diſtraxerunt: & quid ipſe in re tam difficili conſilii caperet, ſedulo perquirebat. Ne verò imparatus tantam belli molem ſuſtineret, urbes munit, militem cogit: commeatus inſtruit: nihilque omittit eorum, quæ ad tuendum regnum neceſſaria ducebantur, viſumque ferunt ſagaci homini, unius diminutione capitis, totam eam tempeſtatem diſſlari facilè poſſe, quæ ſecus ingentes ſibi, ac ſuis turbines intuliſſet. Corruptis igitur auro medicis venenum Cæſari propinandum curavit: quo fortiſſimus vir brevi interiit. Eo mortuo, metu liberatus, ad eadem pacis otia ſe convertit. At Germaniæ Principes conventu Francofordiæ habito, Fridericum Sveviæ Ducem concordibus ſuffragiis Regem creant, qui ſtatim ad Eugenium ſcripſit: ſeq; futurum Romæ, ut Auguſtalia acciperet, ad certum tempus ſignificavit. Eugenius fœdus cum eo pepigit, cupiditatemque, quam ille habebat, recuperandæ Apuliæ vehementer adauxit. At Eugenius non multo poſt Tiburi dum verſaretur VIII. Id: Jul: ſupremum diem obivit, ejus corpus Romam à Patribus delatum; inq; D. Petri Baſilica tumulatum. Inde comitiis habitis Conradus Sabinus in Pontificem cooptatus eſt: & Anaſtaſius IV. nuncupatus eſt. Eugenium, qui poſt Cæſarem fato perfunctus fuerat, Rogerius ipſe tertius ſecutus eſt, ne ſcilicet diutius ea luce uteretur, quam aliis inviderat. Vixit annos LIX., ex quibus XXXVII. in Sicilia, XXIII. in Apulia regnavit: illum anno MCLIV. diem obiiſſe Fazellus Siculus author ſcripſit: Maurolycus Siculus & ipſe anno MCLXIV. At Sigonius, quem ſequi malim, anno MCLIII. è vivis exceſſiſſe memoriæ tradidit. Antequam fato fungeretur, majores natu filios Rogerium Apuliæ Ducem, & Anphulſum Capuæ Principem ſummo animi ſui dolore præmiſit: ingentis ſpei juvenes, ac meliore indole præditos, quorum mors eò acerbior patri fuit, quod nulla in Gulielmo ſpes reluceret. Mortuum ex nimiis curis, atque immoderato coitu ferunt, cui pluſquam affecta ætas, ac corporis vires ferrent, uxorius planè vir, indulgebat, cui illud ſacri vatis aptari poteſt, quod eſt de ficubus pronunciatum: bono meliorem non fuiſſe: nec malo deteriorem. Gulielmum tertium natu Tarenti Principem, hæredem teſtamento inſtituit, quem jam regalibus inſignibus decoratum ſibi collegam aſciverat: inque rerum adminiſtrationem; ut paulatim aſſueſceret, ac peritior evaderet, admiſerat; quia verò eum minus aptum regendis populis videbat, teſtamento cavit; ut ſi Proceribus regno ineptus haberetur, illo exauthorato, Robertum ſororis filium Laureti Comitem, iidem

Digitized by Google

jidem Regem cooptarent, quæ cauſa fuit, ut Majo Tabularius ſuſpectum Gulielmo illum reddiderit. Cæterum fuit Rogerius vir magni animi, ingeniique promptiſſimi; ut quid in quacumque re expediret, rogatus illicò decerneret; ea verò prudentia præditus, ut quoties de gravioribus rebus ageretur, doctorum hominum conſilia admitteret: nec quod ipſe melius, ſed quod pars major judicaſſet, ſequebatur: rationes interdum ipſe addebat, cur in hanc potius partem, quam in illam deſcenderet. Etſi adeò impotens iræ fuit, ut nullo habito conſilio, pro arbitrio res etiam immanes aliquando perpetraverit, otii, & inertiæ inimicus continenter vel regni curas, vel in ea ſtudia, quibus exerceri Reges conſueverunt, intentus. Eo ſæpe animum intendebat, ut regni fines proferret, noviſque acceſſionibus potentior evaderet: ut qui nimia regnandi cupiditate teneretur. Gloriæ, & nominis appetentiſſimus; ut ejus adipiſcendi gratia ultra fas etiam proruperit: mores aliarum gentium, ac Principum mirum in modum diſcere ſatagebat, ut quid ex illis imitandum, quidque repudiandum fuiſſet, ipſe ſuo judicio diſcerneret. Tum fortes viros, ac belli laude nobiles, tum ſapientes, ac literatos, quoſque in artibus inſignes noverat, & laude, & præmiis ſummopere fovebat: idque in ſuam utilitatem cedere ſapienter arbitrabatur; ita enim fiebat, ut alii bona ſpe animati, ad virtutem, nobileſque artes animos converterent; conatuſque omnes ad eas adipiſcendas exercerent. In benemeritos ſui largus, & mitis: amicoſque benignè complectebatur. Tranſalpinos unicè fovit, & quaſi affines, & contribules ſuos plurimi faciebat. Has autem virtutes magnis vitiis obfuſcavit, vindictæ cupidiſſimus, atque impotentiſſimus iræ: inauditis tormentis ſuos æquè, ac barbaros afficiebat: non à ſacris viris, non ab Eccleſiis, earumque bonis abſtinuit: totque rapinis divitias congregavit; ut nullus eo ditior. Fortitudinem dolo, prudentiam verſutia, conjugalem continentiam immodicis voluptatibus, quibus enervatus ſibi fatum acceſſivit, maximè deturpavit. Ea verò vitia multis piis operibus vel emendare, vel tegere ſummopere ſtuduit. Aliquot idcirco Eccleſias, & Cœnobia, magnifico ſumptu ædificavit, & redditibus plurimis donavit. Saracenos pluribus ex locis ejecit, multiſque cladibus afflixit. Græcos acerrimè perſecutus, quibus magna quidem damna, magno Latinorum lucro intuliſſet, ni Veneti proſperum fortunæ curſum interrupiſſent. Ignominiam ex Anacleti amicitia contractam; obſequio deinde in Innocentium aliqua ex parte deterſit. Leges plurimas ſanxit, quas inde Fridericus II. Imperator, quaſi ab ſe editas promulgavit. Cum enim tot barbarorum incurſionibus Romanæ leges partim deſiiſſent, partim incognitæ, illis ea ætate Itali utebantur, quas Longobardi tulerant; ideoque

ipſe,

ipſe, ut ſanctè juſtitia adminiſtraretur, plurimas tulit, quæ à Romanis, ut plurimum non diſcrepant, ad XL. numerantur: quas hic referre operæ pretium erit.

I. Principum geſta, conſilia, ac ſcita, ſancta habentor, eaque ne quis in dubium revocet; aut dicto, factove carpat.

II. Sacrilegii pęna moderanda, ubi quis nec ſacra abſtulit, nec Eccleſiis damnum vi intulit.

III. Uſuræ ad Principis tribunal delatæ, ibi juxta Pontificis decretum agitentur, deque earum pęna ſtatuatur.

IV. Sacrarum Virginum raptores, quique illis vim intulerunt, capitis puniuntor.

V. & VI. Ærarii, publicæque pecuniæ expilatores capitis damnantor, quorum verò negligentia eadem pecunia imminuta, eorundem bonis damna reſarciuntor.

VII. Principis adminiſtri, cubicularii, cunctique, quibus Aulæ munera demandata, ad ejuſdem Principis, Curiæque ſervitia præſto, accinctique ſunto.

VIII. Mulieres nimio onere gravatæ de publicis bonis ſublevantor. Hanc legem Fridericus limitavit, aſſerens eam obſcurè ab avo latam.

IX. Judices, qui dolo malo contra legem judicaverint, publica ignominia afficiuntor, eorumque bona publicantor.

X. Si legum inſcitia peccaverint, arbitrio Principis puniuntor, ſi capitis judicia venialia fecerint, eadem ipſi pęna mulctantor.

XI. Nullus quocumque titulo, ac dignitate præditus, qui Regiorum Principum bona poſſederit, ea alienare, vendere, aut imminuere quoquo modo auſit. Hanc inde legem, quæ prima Feudalis, Fridericus ampliavit.

XII. Agricolæ, ac ruſtici homines, qui ad agrorum cultum juſto ſervitio obligati ſacris ne initiantor: qui verò agros beneficio Principis poſſederint, ſi reſtituant, initiantor.

XIII. De conſtituendo Dotario lata, & ſecunda Feudalis eſt.

XIV. Matrimonia Eccleſiaſtico ritu celebrantor, ſi ſecus liberi ab hæreditate arceantor, mulieres à dotibus repetundis prohibeantor.

XV. Eſt de adminiſtratione bonorum Eccleſiarum à ſuorum Præſulum morte, uſque ad novorum creationem.

XVI. In regiis oppidis ne turres, aliave loca extruuntor: quibus illorum incolumitati, libertatique officì poſſit, adituſque ad ea prohibeatur.

XVII. Judices in vindicandis injuriis Perſonarum dignitatem, locumque, ac tempus ſpectent: proque ſingulorum conditione ſententiæ ferantur.

XVIII. Medici ne medendi artem exerceant; ni prius à Regiis Miniſtris de ipſorum peritia ſtatuatur. Fridericus inde ſanxit, ut nullis medicam exercere facultatem liceret, niſi à Salernitano, vel Neapolitano Collegio publico examine idonei judicati fuerint, quæ Collegia ipſe tum primum inſtituerat.

XIX. Nulli militiæ aſcribuntor, niſi ex militibus geniti: nulli Judices,

dices, aut Actuarii creantor, niſi ab ejuſdem profeſſionis Genitoribus nati ſint. Hanc Fridericus ampliavit: ſanxitque ut delectus non niſi ex honeſtioribus haberetur.

XX. Qui Principis literas, annulumve adulteraverint, capite plectuntor.

XXI. Qui adulterinam monetam cudunt; cuſamve diſtrahunt, capitis damnantor.

XXII. Qui eandem monetam quoquo modo minuerint; bonorum publicatione mulctantor.

XXIII. Qui ſubreptitias tabulas, aut falſa diplomata in judicium produxerint, eadem pęna, qua falſa atteſtantes afficiuntor.

XXIV. Qui publica teſtamenta adulteraverint, aut occuluerint, eadem pęna damnantor.

XXV. & XXVI. Filii, qui paterna teſtamenta occultaverint, aut reſciderint, ut ab inteſtato hæreditatem adeant, eadem hęreditate privantor.

XXVII. Falſi ratio pro viri conditione eſto.

XXVIII. Qui venerea pocula præparaverint, aut propinaverint, capite plectuntor.

XXIX. Qui eadem pocula confecerint ad conciliandam benevolentiam, mulctantor. Has leges Fridericus ampliavit.

XXX. Maritus, qui uxorem inhoneſtè cum adultero agere permiſerit, eam adulterii accuſare prohibetor.

XXXI. Qui in conjugis adulterium conſenſerit, gravi pęna crimen luito.

XXXII. Honeſtæ mulieres cum impudicis ne verſantor.

XXXIII. Qui honeſtas matronas de adulterio compellaverint, aut ſuaſionibus impulerint, eadem, qua adulteri pęna puniuntor.

XXXIV. Maritus adulteræ uxori repudii libellum mittere ne prohibetor.

XXXV. Matres, quæ filias proſtraverint, eadem pariter pęna afficiuntor.

XXXVI. Si maritus conjugem cum adultero deprehenſam occiderit, ſine noxa eſto.

XXXVII. Si verò voluntariè effugere adulterum ſiverit, uxorem verò retinuerit, eamdem, quam adulter, pęnam ſubito.

XXXVIII. Si quis liberum hominem vendiderit, atque illius ſibi bona aſcripſerit, ſervus ipſe eſto.

XXXIX. Qui in alterius domum ignem conjecerint, capitali pęna plectuntor.

XL. Qui ſe præcipites ab alto dederint: quiqueſine prævio monitu ſaxa, truncoſve projecerint; hominemque necaverint, capitis damnantor.

His autem legibus promulgatis optimè ſibi conſuluiſſe Reipublicæ viſus: earumque obſervantiam quoad vixit, ſeveriſſimus exegit. Ad quem ut redeam, plurimas uxores duxit, quarum prima fuit

fuit Albiria, Elviriam etiam vocant, Alphonſi VIII. Caſtellæ Regis filia: ſecunda Sibilla Ducis Burgundi ſoror: tertia Beatrice Reſtenſis Comitis filia, ſororem extitiſſe quidam tradunt. Ex prima filios omnes ſuſcepiſſe, author eſt Fazella. Alii ex ſecunda duos primos, ex tertia Gulielmum, ex prima filiam Conſtantiam. De hac mirum in modum ſolicitus, fatum ex Mathematicis præſcire ſummopere laboravit; cum autem intellexiſſet Joachimum Calabrum ejus artis ſcientiſſimum exiſtere, è Brutiis in Siciliam evocavit. Fuit hic Monachus ex vico quodam Conſentiæ: eumque probiſſimum, ac divino ſpiritu afflatum quidam tradiderunt, quod & plurima illius opera teſtari videntur. Alii inſignem Mathematicum, ac Magum, magnumque ex futurorum prædictionibus ſibi nomen apud vulgus comparaſſe: ut ut fuerit, noſtri inſtituti definire non eſt. Hic igitur à Rogerio de filiæ ſorte interrogatus, reſpondiſſe fertur, ingentem illam ignem parituram; quo univerſa Italia comprehenderetur, ſi nuptui ipſe eam dediſſet: quo audito vehementer perterritus Rex eſt, pluresque ei ſuaſerunt, ut veneno necaret: & ſic tantum ab ſua domo, Italiaque incendium repelleret: humaniores, prudentioreſque id tanquam inhumanum, ac barbarum diſſuaſerunt: quocirca optimè factum pleriſque viſum, ſi in ſacrarum virginum cœnobium includeretur, ut cęlibem in eo vitam ſine illius incendii periculo traduceret. Sed fati neceſſitatem fruſtrari homines non poſſunt: nupta Conſtantia, & ignis excitatus, quo Sicilia, Italiaque exarſerunt. Ex concubina Tancredum ſuſcepiſſe, quidam ſcripſit; cum tamen Simonem ex ea genuerit, ex quo deinde Rogerius Sclavus editus eſt, cui Pater Tarenti Principatum teſtamento reliquit, quo eum Gulielmus exuit; palam jactitans nimio jn ſpurios amore in multis patrem peccaſſe: cæterum Apuliæ Ducatum, Capuæ, & Tarenti Principatus legitimis, non vero nothis tribuendos: ſatis his eſſe, ſi aliis minoribus titulis inſignirentur. Tancredus autem à Rogerio Rogerii filio, & ex nobili fęmina natus traditur. Hæc autem nobilis fęmina Roberti Luſpienſium Comitis filia perhibetur: qui ex Riccardo Guiſcardi fratre originem trahebat; occaſionem verò, qua genitus, hanc tradunt. Rogerius Rex Rogerium filium adoleſcentem ad Robertum Luſpias miſit; ut apud illum educaretur: iiſque artibus imbueretur, quę regium juvenem decerent. Robertus adoleſcentem tenere complexus, ita eum excolere, atque erudire ſedulo occępit; ut patris expectationem ſuperare videretur. Erat domi Roberto filia Rogerio coætanea, moribus non diſſimilis, forma præſtantiſſima, in cujus amorem brevi juvenis exarſit: quotidiana conſuetudo grande malorum incitamentum, æqualis ætas, ſpes futura regiarum nuptiarum, ita puellam emollivit; ut facile Rogerio copularetur,

quo nexu Tancredus, qui regiis liberis extinctis, in Siciliæ regnum admiſſus, & alter filius Gulielmus nomine appellatus procreati ſunt. Errat Collenucius, qui etiam ex hoc Rogerio ortam Conſtantiam affirmat; eam enim Siculi omnes Scriptores ex Rege natam memoriæ tradiderunt. Inde Rogerius contracta ex nimiis voluptatibus lue, brevi extabuit. Ideoque à Patre in Siciliam revocatus, cumq; jam morti proximus eſſet, rem totam non ſine lacrymis Patri aperuit, qui id non ſine Roberti conſenſu factum ducens, acriter in illum excanduit, ulciſcique injuriam minatus. Rogerius ira Patris comperta, eum vehementer oravit, ut ſi vellet ipſum piè, ac pacatè mortem obire, Comiti ignoſceret; ſineretque ſibi eam juvenem, regiam ceteroqui genere, juſto matrimonio ducere; ut ſic ſuſcepti liberi nota eximerentur: verum antequam id conficeretur, ipſe ingenti patris dolore, naturæ jura perſolvit. Rogerius nihil penſi faciens, quod filio promiſerat, ſumere de Roberto vindictam conſtituit. Robertus de ira Regis certior factus, unà cum liberis, & bonis, quæ ferre ſecum poterat, in Græciam confugit. Habuit etiam Rogerius notham aliam anonymam, quæ Ugoni Moliſii Comiti nupſit; eique pro dote Catacium celebre Calabriæ oppidum conceſſum, quæ cum inde in Gulielmum Regem conjuraſſet, in carcerem conjecta, ibique magno ſqualore interiit. Rogerii corpus Panormi Principe in Eccleſia Regia pompa tumulatum: ejus verò inſignia: quę communia Normannis fuerunt, binæ faſciæ quinque in partes ſectæ, quarum dimidia pars rubeo, dimidia argenteo colore depicta, cęruleaque in areola tranſverſim locatæ; illis autem invictum animum, regnandique cupidum innui quidam tradiderunt.

Hujus Regis ætate ſanctiſſimus vir Gulielmus Vercellenſis vixit, qui cœnobium, quod regia munificentia Virgineo in Monte ædificatum, Virginique dedicatum fuerat, diu coluit, eorumque Cœnobitarum inſtitutor magna apud omnes veneratione eſt habitus. Eſt autem hic Mons Apennini pars Hirpinos ſecans, in quo olim Cybeles fanum erat, ideoque ad matrem magnam locus dicebatur, cujus altiſſimum jugum hinc Campaniam, illinc Samnium, & Apuliam ſpectat, mons omnis altiſſimis ſylvis latè conveſtitus, & fructiferis etiam arboribus conſitus, quæ ſerotinos fructus, miræque ſuavitatis progignunt, medicarum herbarum adeo ferax; ut eum adire ſæpè ſolitum ad illas veſtigandas Virgilium Poetam vulgus ferat; ab eoque nuncupatum, ſunt qui ſcripſerint. Alii à Virgine, cui templum Gulielmus dedicavit, nomen apud Minores obtinuiſſe, vero ſimilius credunt. Fuit religioſiſſimus vir Regi perquàm charus, qui ut illius ſanctimoniæ periculum faceret, meretricem immiſit: turpe experimentum, nec Chriſtiano, ne dum Principe dignum,

gnum, cui tuenda, non labefactanda innocentia eſt: vir ſanctiſſimus eam ad decumbendum ſecum in flammis invitavit, in quas illico ipſe divino igne incitatus ſe conjecit, quo facto perterrita meretrix, damnata anteactæ vitæ licentia, ſe ſtatim ad frugem revocavit. Rex facti pęnitens, tantam viri opinionem c ..epit; ut deinceps, quaſi ſanctum habuerit, omnique pietatis officio excoluerit, ejuſque hortatu plurima monaſteria ædificavit, quorum unum D. Joanni inauguravit, & ſolitariis ad inhabitandum conceſſit; alterum quod Servatori poſuit, & ſacris virginibus, quæ ſub candido amictu D. Benedicti inſtitutum profitentur. In hoc cœnobium Conſtantiam filiam, ut incendium ab Joachimo decantatum evitaret, à teneris annis incluſit, ut adulta jam ætate, ſanctioris vitæ inſtitutum, cui aſſueverat, facilius amplecteretur.


Qui verò Rogerio Rege, in Sicilia, Apuliaque, ſub cujus appellatione tota ea Italiæ pars continebatur, quæ Neapolitanum nunc regnum eſt, dominationis titulis, aut Præfecturarum inſignibus cohoneſtabantur, tradere ab hiſtoriæ inſtituto non arbitror alienum, qui quidem tituli, quæ dominationum genera Romanum Imperium latuerunt. Priſcis etiam temporibus una Reſpublica, unus Dominus erat, cui cæteri parebant, nec urbes, municipia, caſtella, alium, quam tota Provincia, dominum colebant. Is in Romano Imperio Cæſar, Rex apud alias gentes vocabatur. Priſcum hunc morem in ſua Republica Veneti retinuere, eundemq; ſuo lucro Turcæ, Perſeque, cæterique populi ſervaverunt. Longobardi primum in Italiam induxerunt; ut nobilibus viris, aut jis, qui egregiam in bello operam navaverant, alicujus oppidi, vel caſtelli, aut etiam exiguæ regiunculæ Principatus traderetur, quæ tamen ita ipſi poſſidebant, ut ſupremum dominum Regem agnoſcerent: eamque privatam veluti dominationem Feudum novo nomine barbari appellarunt: jis verò extinctis, ad Principem quæcumque Feudi titulo obtinuiſſent, denuò redibant. Hujuſmodi dominiorum genus, quæ toparchias appellare malim, plurimum ſub Rogerio Rege crevit, plurimique illiuſmodi titulis donati, atque inſigniti ſunt. Tituli verò Principatus, Ducatus, Marchionatus, & Comitatus fuerunt, quibus inde Baronatus barbaris appellationibus adjunctus, qui ſecutis temporibus, quibus venales facti, ut jam non ſint pręmia virtutis, ſed peculii fructus, in tantam multitudinem excreverunt, ut ipſo jam numero laboremus. Supremi Magiſtratus ſeptem fuerunt, à Rogerio, ut creditur, pleriq; illorum inſtituti. Primus Magnus Stabuli Comes vocabatur, qui Regis Legatus in bello, totiuſque militiæ penes ipſum poteſtas erat: Munus iſtud ſub Rogerio Robertus Laureti Comes exercebat: Secundus Magnus Judiciorum Præfectus, qui juſtitiam adminiſtra-

bat, & cunctis Judicibus, ac Tribunalibus præſidebat. Tertius ſupremus maris, claſſiumque Prefectus, penes quem navalis militię cura, ac poteſtas erat, navalibuſque copiis, ac claſſiarijs imperitabat. Hunc Magiſtratum Georgius ſub Rogerio gerebat. Quartus Ærarii Præfectus dicebatur, qui Regiæ pecuniæ, univerſorumque vectigalium curam habebat. Quintus Logotheta, & Protonotarius nuncupabatur, qui ſupplices libellos Regi legebat, Judices, & Actuarios omnes creabat: hic ante Rogerii tempora inſtitutus fertur à Gręcis ſub Michaele anno MXXXV. Sextus Menſæ Regię Præfectus, Seneſcallum barbari dixerunt, & à Carolo II. Neapoli inſtitutus. Hic Regiæ domus, & victus curam gerebat, Regique ſolemnibus diebus miniſtrabat. Septimus Magnus Tabularius, quem Fridericum II. inſtituiſſe perhibent, qui anno MCCXLIV. cum publica Gymnaſia Neapoli inſtituiſſet, Cancellarium, ſic etiam barbari vocant, creavit, qui illis præeſſet: noſtra ætate, ferè omnes hujuſmodi tituli nudum vocabulum obtinent. His uſus purpuræ conceſſus, Regique Sedenti hoc ordine aſſidebant, Comes Stabuli, Maris Prefectus, Logotheta ad dexteram, Judiciorum Magiſter, Camerę Prefectus, & Tabulariorum Princeps ad ſiniſtram ſedent. Menſę Prefectus ad pedes aſſidet, ſingulorum in annum mille centum, & nonaginta aureorum ſtipendium erat.

Illuſtres viri, qui ſub Rogerio titulos, dominationeſque obtinebant, hi numerabantur: Rogerius major natu filiorum Regis Apuliæ, & Calabriæ Dux. Anphulſus Capuę Princeps, Gulielmus Tarenti Princeps, Boëmundus Comes Tarſenſis: eſt autem Tarſia, quam Capraſam priſci dicebant, Ulterioris Calabriæ oppidum, ubi illuſtris familia, quę ab hoc oppido nomen accepit: fueritne ex Boëmundo progenita, hi quęrant, quibus hæc rimari otium. Boëmundus alter Monopolitanus Comes, Rogerii uxor Abellini Comes, Regis notha Catacii Comes, Ebrardus Comes Scyllęi. Eſt autem Scyllęum Promontorium, & oppidum Ulterioris Calabriæ juxta fretum Siculum, ubi Scyllam fuiſſe Poetę fabulantur, nunc Ruffi Principatus titulo obtinent, Gaufredus Montis Cavenſis Comes, Montanę Apulię oppidum *Scaglioſum* incolę dicunt, Rogerius Primus Abellini Comes Regis affinis, Gulielmus Leſinæ, quę eſt Daunorum urbecula, Comes, ex quo Gentiles, nobilis familia, originem repetunt, Jonathas Compſę Comes, Robertus Laureti Comes, Riccardus ab Aquila Fundanus Comes, qui eam dominationem à Roberto Capuæ Principe obtinuerat, Longobardus genere, ex quo pariter Aquinatium Comes, Rogerius Acerrarum Comes, Robertus à Lauro Caſertę Comes, Rogerius hujus filius Tricarici Lucanorum oppidi Comes, Rogerius Locrorum

Co-

Comes, Rinaldus Comes, locum Toparchię non invenio, Robertus Mileti Comes, Robertus Albenſis Comes, Robertus Luſpiarum Comes, Riccardus Ayelli Comes, ex hoc oppido familię nomen factum, quæ Salerni inter primas numerabatur. Eſt autem Ayellum, quod Tyellam Herodotus vocat, etſi alii Tylleſium putent, oppidum Citerioris Calabriæ ad ſinum Terinęum non longe à Tylleſio promontorio: Simon Policaſtri Comes, Buxentum à buxi copia priſcis hoc oppidum vocabatur, Sylveſter Marſici Comes, Simon Rogerii nothus Comes, Hugo Moliſii Comes.



Digitized by Google

bat, & cunctis Judicibus, ac Tribunalibus præſidebat. Tertius ſupremus maris, claſſiumque Præfectus, penes quem navalis militię cura, ac poteſtas erat, navalibuſque copiis, ac claſſiarijs imperitabat. Hunc Magiſtratum Georgius ſub Rogerio gerebat. Quartus Ærarii Præfectus dicebatur, qui Regiæ pecuniæ, univerſorumque vectigalium curam habebat. Quintus Logotheta, & Protonotarius nuncupabatur, qui ſupplices libellos Regi legebat, Judices, & Actuarios omnes creabat: hic ante Rogerii tempora inſtitutus fertur à Gręcis ſub Michaele anno MXXXV. Sextus Menſæ Regię Præfectus, Seneſcallum barbari dixerunt, & à Carolo II. Neapoli inſtitutus. Hic Regiæ domus, & victus curam gerebat, Regique ſolemnibus diebus miniſtrabat. Septimus Magnus Tabularius, quem Fridericum II. inſtituiſſe perhibent, qui anno MCCXLIV. cum publica Gymnaſia Neapoli inſtituiſſet, Cancellarium, ſic etiam barbari vocant, creavit, qui illis præeſſet: noſtra ætate, ferè omnes hujuſmodi tituli nudum vocabulum obtinent. His uſus purpuræ conceſſus, Regique Sedenti hoc ordine aſſidebant, Comes Stabuli, Maris Prefectus, Logotheta ad dexteram, Judiciorum Magiſter, Camerę Prefectus, & Tabulariorum Princeps ad ſiniſtram ſedent. Menſę Prefectus ad pedes aſſidet, ſingulorum in annum mille centum, & nonaginta aureorum ſtipendium erat.

Illuſtres viri, qui ſub Rogerio titulos, dominationeſque obtinebant, hi numerabantur: Rogerius major natu filiorum Regis Apuliæ, & Calabriæ Dux. Anphulſus Capuę Princeps, Gulielmus Tarenti Princeps, Boëmundus Comes Tarſenſis: eſt autem Tarſia, quam Capraſam priſci dicebant, Ulterioris Calabriæ oppidum, ubi illuſtris familia, quę ab hoc oppido nomen accepit: fueritne ex Boëmundo progenita, hi quęrant, quibus hæc rimari otium. Boëmundus alter Monopolitanus Comes, Rogerii uxor Abellini Comes, Regis notha Catacii Comes, Ebrardus Comes Scyllęi. Eſt autem Scyllęum Promontorium, & oppidum Ulterioris Calabriæ juxta fretum Siculum, ubi Scyllam fuiſſe Poetę fabulantur, nunc Ruffi Principatus titulo obtinent, Gaufredus Montis Cavenſis Comes, Montanę Apulię oppidum *Scaglioſum* incolę dicunt, Rogerius Primus Abellini Comes Regis affinis, Gulielmus Leſinæ, quę eſt Daunorum urbecula, Comes, ex quo Gentiles, nobilis familia, originem repetunt, Jonathas Compſę Comes, Robertus Laureti Comes, Riccardus ab Aquila Fundanus Comes, qui eam dominationem à Roberto Capuæ Principe obtinuerat, Longobardus genere, ex quo pariter Aquinatium Comes, Rogerius Acerrarum Comes, Robertus à Lauro Caſertę Comes, Rogerius hujus filius Tricarici Lucanorum oppidi Comes, Rogerius Locrorum

Co-

Comes; Rinaldus Comes, locum Toparchię non invenio, Robertus Mileti Comes, Robertus Albenſis Comes, Robertus Luſpiarum Comes, Riccardus Ayelli Comes, ex hoc oppido familię nomen factum, quæ Salerni inter primas numerabatur. Eſt autem Ayellum, quod Tyellam Herodotus vocat, etſi alii Tylleſium putent, oppidum Citerioris Calabriæ ad ſinum Terinęum non longe à Tylleſio promontorio: Simon Policaſtri Comes, Buxentum à buxi copia priſcis hoc oppidum vocabatur, Sylveſter Marſici Comes, Simon Rogerii nothus Comes, Hugo Moliſii Comes.

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ
LIBER DECIMUSTERTIUS.

ROgerio I. Siciliæ Rege è vivis ſublato; Gulielmus filius, qui ob morum pravitatem, deſidemque animum, Malus audivit, regnum ſtatim accepit: ſolemniq; pompa Panormi ab univerſo populo Rex ſalutatus. Prima novi Regis cura, Legatos ad Adrianum IV. Pontificem mittere: qui ſummo cum opere rogarent, ut paternæ ditionis, quam majoribus ſuis poſſidendam Romani Pontifices tradiderant, ſibi vel ipſe dare poſſeſſionem, ne gravaretur. Idque eo ardentius poſtulabat, quod certò reſciverat, Fridericum, & Emanuelem Cæſares in ſe conſpiraſſe. Adrianus paci conſulens, ſatis Gulielmo facere non renuebat. At quidam ex Patribus, qui Gulielmo inſenſi erant, privatumque commodum publicæ quieti præferebant, ne Regis poſtulatum admitteret, diſſuadebant: neque illud Eccleſiæ expedire, multis ex cauſis oſtendere conabantur. Idcirco anceps conſilii Pontifex, rem differebat, ratus, perpendi melius tempore rationes poſſe, imo in contrariam jam ſententiam pertractus videbatur. Gulielmus id iniquè ferens, præcipiti conſilio exercitum comparavit, quo urbes, quæ Pontifici parebant, invaſit. Beneventum primò nullo negotio cepit: Liri deinde trajecto, Ce-

pe-

peranum, aliaque ignobilia Volſcorum oppida occupavit, arbitratus armis ea extorquenda, quæ cęteroqui jure concedenda exiſtimabat: quando manſuetudine, quæ plurimi apud Eccleſiæ Patres valet, facilè obtinuiſſet. Adrianus tantam Gulielmi audaciam non impunè ferendam ducens, illum à fidelium cętu ſejunxit, ſubditoſque univerſos, quo in Gulielmum ſacramento obſtricti erant, abſolvit: quo veluti claſſico dato, præcipua nobilitate viri; & hi maximè, qui Toparchias obtinebant, & inviſi Gulielmo erant, illico deſciverunt, Pontificemque ad repetenda, quæ armis amiſerat, invitarunt: operam ſe daturos promittentes, ut univerſam Apuliam, Calabriamque recuperaret. Adrianus majori cupiditate, quam prudentia, Beneventum copias duxit, urbemque ad Eccleſiam propenſam ſtatim recepit: ibi nobiles plurimos obviam habuit, quorum copiis exercitum auxit. Illorum præcipui fuerunt Robertus Baſſæ villæ Comes: Robertus alter Surrentinus, Capuanus Princeps, & Andreas Rupiſcanninæ Comes, quos tamquam fidei dubios Rogerius prius, Gulielmus inde expulerat. Per eos dies Conſtantinopolitana Claſſis ab Emanuele miſſa, ad Apuliæ litora applicuit, cujus auxilio tota ferè Apulia brevi à Fęderatis occupata. Græci Brunduſium maritimis copiis ceperunt. Robertus Comes, Barium, Tarentum, atque omnia ejus tractus oppida, populis ultrò in deditionem venientibus, occupavit: dum intereà Robertus Princeps, Caſſino capto, univerſam Campaniam Neapolim uſque victor excurreret, præſidioque firmaret. Ne verò etiam Fridericus ad opprimendum Gulielmum accurreret, atrox in caſtris peſtilentia, qua plurimi mortalium ſublati, impediit. Gulielmus his tumultibus minimò perturbatus, contractas in Sicilia, Calabriaque, quas maximas poterat, peditum, equitumque copias, in Apuliam tranſduxit, ibique cum ſervare omnia potuiſſet, quę mox in ſuam ditionem reditura erant, ac ſi hoſtilia forent, ferro, igniq; vaſtavit. Prævalet ſæpè apud mortales ira, quam utilitas, animoque moderari pauci admodum ſciunt. Brunduſium magnis itineribus progreſſus, Græcorum caſtra ex improviſo adortus, facilè expugnavit, urbem deinde aggreſſus, in deditionem accepit. Hic remiſſa jam ira, conſilium ſecum habuit: ratuſque plus ſe precibus, quàm armis à Pontifice obtinere poſſe, Catanenſem Præſulem ad Adrianum legat, ut pacem ab eo ſuo nomine peteret: ſeq; univerſa, quæ Eccleſiæ fuiſſent; imo & plura etiam redditurum ſponderet; dummodo per eum liceret, quæ à majoribus accepiſſet, retinere. Ipſe interea ne mora victoriam corrumperet, Barium obſedit, captumque penè diruit; tantæ urbis caſu reliquæ gentes perterritæ in fidem ſtatim redierunt. Adrianus exaſperatus, quod dum pacem peteret, bello deditos ſibi populos perſe-

que-

quereretur, Legatum acerbè habuit, pacemque petenti negavit. Gulielmus ubi repudiari à Pontifice pacem cognovit, infeſto agmine Beneventum venit: degentemque ibi Adrianum cum pluribus Cardinalium obſedit, inque tot illum anguſtias redegit, ut ad conſilia pacis impulerit. Adrianus ſimulata in Marſos profectione, eos Cardinales, qui componendæ paci adverſabantur, præmiſit, quaſi ipſe mox cum reliquis ſecuturus. Poſtea, uti conventum inter eos erat, ad ædem Divi Martini prodivit, in qua Gulielmum ad pedes procidentem, ad illorum oſcula admiſit, anathemate ſolvit, atq; in gratiam recepit: deinde ſe vectigalem Eccleſiæ profitentem Siciliæ Regem, Apuliæ, Calabrięq; Ducem, & Capuæ Principem appellavit, eaſq; ditiones habere conceſſit. Verum ex eo tempore tantæ in Gulielmum, ejuſque liberos calamitates incubuere; ut manifeſtum omnibus fuerit, eam violentiam CHRISTI Vicario illatam minimè Superis placuiſſe. Robertus, & Andreas Comites, re comperta, nullam jam ſuis rebus ſpem ſupereſſe animadvertentes, ad Fridericum confugerunt. Capuanus Princeps dum Lirim trajicit, à vectoribus agnitus, ſtatim comprehenſus, & ad Gulielmum deductus eſt, à quo barbaro more excœcatus, inque carcerem incluſus: ibique ſorte haud digna Principe vitam terminavit: vir meliori fine dignus, ſi in meliora tempora incidiſſet.

Gulielmus parta domi pace, in Saracenos arma movere ſtatuit; ut eo bello ſubditas ſibi gentes exerceret: & quam ſibi contraxerat, infamiam, aliqua ex parte elueret. Multarum igitur navium claſſe adornata, novoque delectu militum habito, anno MCLXV. in Orientem navigavit. Proſpero curſu Syriam tenuit, copiis inde expoſitis, Ptolemaidam validam urbem vi cepit: plurimaque Palęſtinæ loca depopulatus; ſpoliiſque hoſtium onuſtus, in Occidentem iter flexit. In reditu in Græci Cæſaris claſſem incidit, & licet ſuperior ille navium numero eſſet, nihilominus ipſe ſpe plenus, & odio in Emanuelem incenſus, tentare prælii ſortem ſtatuit. Claſſe igitur confeſtim inſtructa, ſuiſque ad pugnam brevi oratione incitatis, ſignum certaminis dedit. Primus deinde ipſe prætoria hoſtem invaſit, Regis exemplo tantus in ea pugna ardor Italorum, ac virtus fuit; ut etſi fortiter Græci dimicarent, & numero ſuperiores eſſent, cedere tamen coacti, hoſtique victoriam tradere: plurimæ eo prælio naves captæ, multuſque cæſorum numerus fuit, ex Siculis nonniſi pauci deſiderati. Lætus ea victoria Gulielmus Siciliam petivit, ac triumphantis in morem Panormi exceptus, quæ quidem ultima illius lętitia, ac felicitas fuit, inque contrariam verti partem Fortuna occępit.

Interea Adriano ex angina extincto, Alexander III. natione Tuſcus Pontificiis Comitiis ritè ſuffectus: quam illi dignitatem

tum

tum ob ſingularem prudentiam, tum ob egregias virtutes, meritò debitam, multo ante Bernardus Clarævallenſis præcinverat, ſtatim è comitio, Romano populo applaudente, Pontificatum adjit: adoratuſque more majorum. Verum duo ex Patribus, qui Fridericum ſequebantur, Octavianum ex Tuſculanis Comitibus genitum, virum divitem, ac ſupremi honoris appetentiſſimum, Alexandro opponunt, & Victorem vocant: qui ſtatim armatus Pontificem unà cum reliquis Patribus obſedit. At Populus Romanus indignè eam vim ferens, illicò accurrens Pontificem ex hoſtium manibus eduxit, & Nymphas deportavit, ubi ab Antiſtite Oſtienſi ſacro oleo inunctus, atque inauguratus. Inde Alexander ſe Friderico, ac Victori imparem intelligens, in Galliam ſecedere decrevit, dum interim Romæ turbæ componerentur. Idcirco Verulis, quò ſe receperat, relictis, Terracinam venit, ex quo mox oppido roſtratis navibus, quas ad id Gulielmus Rex miſerat, Genuam delatus, ibique ſummo totius urbis gaudio honorificè exceptus. Genua in Provinciam trajecit; Montemque Peſſulanum adivit, in quod celeberrimum oppidum à Theobaldo Abbate Ludovici Regis nomine magnificè exceptus, ac ſplendidè tractatus. Cum verò quotidiè vicinarum civitatum Præſules ad inviſendum Pontificem confluerent, conventum Claromonte celebravit, in quo Victorem, ac Fridericum, eorumque aſſeclas ſacro fulmine ictos inferorum pœnis devovit. Cauſæ verò, quæ Fridericum ab Eccleſia alienaverant, hæ fuerant: Scripſerat ad eum Adrianus, nec leviter perſtrinxerat, quod Lundonenſem Antiſtitem à latronibus captum non vindicaſſet, imò adhuc in vinculis haberi pateretur: cum cæteroqui Romani Pontificis beneficio imperium obtinuiſſet. Id ægrè tulit Fridericus, ſeque à Germaniæ Principibus regnum accepiſſe, non verò à Pontifice profitebatur; quaſi verò non Primus, nulloque exemplo Romanus Pontifex Carolum Magnum, ne cogitantem quidem, Imperatorem renunciaſſet. Ex quo inde orta in Occidente Imperii Majeſtas: ſemperque ab eodem Pontifice non ungi, coronarique Cæſares conſueſſent. Diſplicuerat etiam Friderico, quod ſuo injuſſu pacem cum Gulielmo percuſſiſſet. Ac ſi non liberum Romano Pontifici eſſet, quibuſcum vellet, pacem ferire; filioſque ad obedientiam, frugemque redeuntes, non paternè complecti: aliæque, quas Sigonius memoriæ mandavit, quibus exaſperatus adhærere Victori videbatur.

Per idem tempus Joannes Cardinalis Romæ Legatus ab Alexandro relictus, vir & ingenii dexteritate, & morum comitate ad miraculum factus, ita Populum Romanum ad Alexandrum petraxit; ut illum Romam revocare opportunum ſit viſum. Alexander, his rebus compertis, & ſuadente etiam Ludovico Rege, in urbem

redire conſtituit. Primò Provinciam adjit: inde roſtratas ejuſdem Regis conſcendit, proſperaque navigatione uſus, Meſſanam pervenit. Gulielmus Pontificem honorificentiſſimè ſuſceptum, Salernum ſuis navibus deduxit, ex quo ipſe Romam maritimo itinere illico ſe contulit: Cardinales maris pertęſi Beneventum, deinde urbem petiverunt.

His rebus initio à Gulielmo geſtis, & fide erga Pontificem, tanta ei gloria eſt comparata, tantæ laudes attributæ; ut præteritorum memoria deleta omnino fuerit, & ſanè futurus maximus Princeps, ni depoſitis belli ſtudiis, otioſus domi ſediſſet; quia verò otio ſe totum tradidit, eiſque vitiis, quæ comitari otium conſueverunt, avaritiæque labe ſe obſtrinxit, atque obfuſcavit; idcirco Malus vocari cępit, quod inde cognomen illi perpetuum fuit. Illud vel inprimis avariſſimi Principis documentum extitit: legem iniquiſſimam, omnique diſſonam rationi tulit, qua jubebat, theſauros univerſos, quocumque in fundo reperti forent, ad ſe pertinere: nec quidquam vel illorum repertoribus, vel dominis fundi licitè obvenire poſſe, quam deinde legem Fridericus II. Imperator, Siciliæ Rex, ratam eſſe voluit. Adeo facilè eſt cupiditatis exempla imitari: ſiquidem innatus mortalibus poſſidendi amor, nec facilè expleri quantacumque acceſſione poteſt. Et quamquam plurima exempla inſatiabilis illius cupiditatis adduci poſſent, maximum tamen, quod authores plurimi memoriæ tradiderunt: Severiſſimo edicto per univerſam Siciliam evulgato, præcepit; ut univerſi quidquid auri, argentive, ſive rudis, ſive ſignati haberent, in Regium Ærarium inferrent; cudique è pelle monetam juſſit, eamq; pro auro, argentoque dominis reddi; proque venalium rerum pretio diſtrahi: capitiſque in eos pęnam ſanxit, qui illam accipere renuiſſent. Tantus autem imbellium populorum in re tam iniqua timor fuit; ut turmatim ad aurum, argentumque in Ærarium deportandum convolarent. Ipſe, ut periculum faceret, num re vera omnia ad ſe ejus generis metalla confluxiſſent, externum hominem nobiliſſimo cum equo Panormum miſit, ut illum in ea urbe aureo nummo diſtraheret. Cum verò per univerſam urbem equum publicè circumduceret, ſeque aureo non amplius nummo illum diſtracturum prædicaret; nemo unus inventus, qui pulcherrimum equum tam vili pretio compararet. Tandem nobilis adoleſcens mira ejus equi cupidine captus, patris ſepulchrum effodit, aureumque nummum, qui cum ſepeliri maritum mater juſſerat, clam cepit: eoq; equum emit. Id cum Gulielmus ab eodem cognoviſſet, certò ſibi perſuaſit, nihil omninò auri in inſula relictum, quod in ſuum Ærarium non veniſſet.

Inter cætera mala, quæ otioſis Principibus afferre inertia conſue-

ſuevit, illud vel maximum, quod in alios regni curas, adminiſtrationemque deponant, qui ut plurimum ea authoritate abuſi, & ſibi, & dominis exitium creant. Quod & Gulielmo evenit, qui regni gubernatione Majoni tradita, ipſe otio, deſidiaque ſupinus torpebat. Fuit Majo genere Apuſus Barii natus ex vili homuncione, qui diſtrahendo oleo victitabat. Ipſe literas edoctus ſupra paternam conditionem aſcendit; tabulariique munus egit. A Rogerio, cujus gratiam miris artibus aucupatus fuerat, Tabulariorum Princeps (Magnum Cancellarium barbari appellant) omnium admiratione juxta, ac indignatione conſtitutus eſt. Gulielmus ad Maris Præfecturam, qui honor tertius habebatur, provexit. Is cum magnas ſibi opes comparaſſet, ſummaque apud populum in exiſtimatione eſſet, unicè à Rege diligebatur. Ipſe Regis gratia, opibuſque abuſus, nullum genus vitiorum erat, in quod præceps non rueret: quod in hiſce hominibus, qui ex infima ſorte ad ſupremos honores evaſerunt, facile uſuvenit, qui cæteroqui ea potentia, iiſque opibus modeſtè uſi, eo ſe gradu tenere, ac ſervare commodè potuiſſent. Sed animo in proſperis moderari perpauci admodum ſciunt. Non exiguum improbitati additamentum hominis ingenium erat, quod ei acutum, promptum, & ad ſimulandum apprimè factum. Augebat vires dicendi promptitudo, ac nativa quędam loquacitas, qua mirè præpotens, & fuci color, quo dicta, factaque veri imagine veſtiebat. In Venerem adeò proclivis, ut nullum genus voluptatum eſſet, in quo turpiter non volutaretur. His vitiis, ac ſceleribus imbutus, in maximum perduellionis, regnique affectati crimen viam ſibi facere molitus eſt. Cum verò ingens id opus eſſe animadverteret; & ſociis, & viribus ad illud perficiendum munire ſe ſtuduit. Hugonem Panormitanum Antiſtitem, virum induſtrium, & ad omnia quæque paratum, in ſuas partes pertraxit; diſſimulataque regni cupiditate, ei perſuaſit, ut occiſo Rege, cujus avaritiam nemo ferre poterat, & cujus inertia cuncta quotidie in pejus ruebant, regiorum puerorum, regnique adminiſtrationem ipſi ſuſciperent: ita fieri poſſe, ut ad eoſdem paternum regnum integrum, ac florens perveniret: quod, ni facerent, brevi ad ultimam perniciem Regis deſidia, ignaviaque venturum erat. Poſtquam ita apud eos conventum, fędus juramento firmant: quo facto, ita Majo ſuis artibus egit, ut Hugo in ſummam Regis gratiam veniret, eoque familiariſſimè uteretur. Atque in hunc modum callidus homo, quæcumque ipſe ageret, Præſulis authoritate apud Regem commendabat. Nec ille Majonem laudare, ejuſque erga Regem, & publica commoda ſolertiam, ac ſolicitudinem magnificè extollere unquam prætermittebat. Hac arte, Gulielmi animo, quem pro ſuo arbitrio vertebant, potiti, in id curas con-

vertunt, ut eos nimirum Proceres, quorum potentiam reformidabant, de medio tollerent: rati haud facilè ſe meditata exequi poſſe, ni prius obſtantes obices amolirentur. Tres autem præcipui erant Robertus Laureti Comes, Simon Policaſtri, & Ebrardus Squillacenſis, quibus ſublatis, nullius inde negotii futurum cæteros ſuperare; nam illorum caſu perterriti, ſe in officio continerent. Hæc Majone, & Hugone meditantibus, oblata occaſio eſt, qua uti opportunè poſſent. Gulielmus Panormo Meſſanam profectus: poſtquam paucos in ea urbe dies ſubſtitit, Salernum navigavit. Plurimi tum Proceres ad viſendum Regem ex Apulia convenerunt, horum unus Robertus fuit. Majo cum multa de eo ad Regem dixiſſet, ita effecit, ut Gulielmus illius conventum differret: tandem negavit ſe ab eo conveniri poſſe. Robertus repulſa offenſus, & plus Majoni, in quem non immeritò cauſam refundebat, quam Regi iratus, diſceſſit.

Gulielmus Panormum reverſus, ita ſe domi abdidit, ut præter Majonem, ac Præſulem neminem ad ſe accedere pateretur: nec ſupplices libellos, nec juſtas populi querelas admittebat, Quocirca contemptui eſſe cœpit, palamque à populo vituperabatur, quaſi exuta virilitate, muliebrem animum induiſſet. Per eos dies rumor in vulgus diſſipatus Emanuelem Imperatorem claſſem cum valido exercitu in Italiam miſſurum, ut Apuliam reciperet. Gulielmus ad eum rumorem pauliſper experrectus Aſcorinum, & Simonem Buxenti Comitem cum modico exercitu præire in Apuliam jubet, ſeq; cum omnibus copiis mox ſecuturum. Tum Majo ratus eam occaſionem peropportunam eſſe, qua Roberto ruinam machinaretur, Regem adjit; atque in hunc modum diſſeruit. Miraris fortaſſe, Rex potentiſſime, quod Græci, qui toties tuis armis victi, ac profligati, toties ex Apulia ejecti fuere, tantos nùnc ex improviſo animos reſumpſerint, ut nos iterum laceſſere audeant, congrediq; nobiſcum velint? Verum haud equidem tanta Græcis fiducia, nec in tantam erecti ſpem eſſent, niſi domeſtico hoſte foverentur. Intus eſt, quem timeamus; cujus ſi conatus compreſſeris, Græcos viciſti. Sed quis, inquies, tantum ſcelus auſit, cum tu univerſos beneficiis complexus ſis? quis adeo inhumanus, qui ea compenſare perfidia velit? Verum facilè ex te conjicies, ſi quod Rogerius pater teſtamento cavit, in memoriam revoces. Juſſit ille, tua pace dictum, non ſatis prudenter, nec paternè quidem, ut Lauretanum Comitem Regem populi facerent, ſi te minus idoneum ad regni adminiſtrationem experirentur: qua ille ſpe erectus omnes ad regnum obtinendum curas convertit. Cum verò nunc videat, te ſumma gloria, prudentiaque populos regere, neque occaſionem dari, qua ſubmovere plebem poſſit, ad fraudem, atque externam vim

con-

confugit; ut ſic cupidum dominandi animum expleat, pactuſque cum Græcis, ut Apuliam illi, ipſe Siciliam obtineat, eos in Italiam accerſivit. Ideoque ſi hunc tollas, illos, qui una tantum fraude potentes ſunt, vel ſine ſanguine viciſti: pacatumque regnum, atque integrum habebis. Neque enim dubium, quin illius inſtigatione, atque hortatu res Apuli novas moliantur. Malo ſtatim quærendum remedium eſt, & ne latius ignis, excitato incendio, pervagetur, illicò extinguendus. Gulielmus hac Majonis oratione perterritus; & jam ira, odioque in Comitem pręoccupatus, nuncium ad Aſcorinum Tabulariorum Principem, quem cum exercitu in Apuliam præmiſerat, ſtatim mittit; eique imperat, ut Robertum Capuam accerſat, eumque ibi vinciat: inde fido ſub Duce, pluribus ſatellitibus ſtipatum, ne fugam caperet, Panormum ad ſe mittat. Robertus etſi optimè noſſet, nequam hominem Majonem eſſe, atque in ſe fraudem ſtruere; plus tamen, quam par eſſet, atq; ea tempora poſtulabant, ſuæ innocentiæ confidere voluit: quocirca mandatis ab Aſcorino acceptis, Capuam venit. Cum verò cognoviſſet ſibi inſidias in ea urbe parari, extra pomęrium ſubſtitit. Nempe ſtolidi eſſe exiſtimans ultro ſe eis laqueis induere, quibus deinde expediri difficilè potuiſſet. Interea Majonis opera, qui alterum amovere obicem ſatagebat, inter Aſcorini, & Simonis milites turbæ exortæ, ut ipſi etiam Duces ad jurgia procederent, mutuaque ſe injuria afficerent. Aſcorinus, ut ſe purgaret, ad Majonem ſcripſit; earumque diſcordiarum authorem Simonem faciebat, ejuſque opera Robertum admonitum, ne Capuam, ubi ei inſidiæ parabantur, intraret: quin imo literis clam datis, atque acceptis, ſecreta inter illos negotia pertractata; ideoque putare ſe haud tutum fore, quas haberet copias dubiæ fidei homini relinquere. Has Aſcorini literas Majo Regi oſtendit, arreptaque occaſione, vehementer in Comitem invectus eſt. Facilè ſuſpicioſo homini perſuaſit, Simonem unà cum Roberto in ſe conſpiraſſe: quæ opinio vel ex eo magis animo inſedit, quod ab initio ſuſcepti Principatus ſuſpectos ſemper conſanguineos habuiſſet. Ea igitur ſuſpicione inductus, Simonem Panormum evocavit, atque indicta cauſa, in carcerem incluſit.

Hæc ubi geſta, Gulielmus quaſi ſuimet pertęſus, ſe in ſecretiore conclavi ita occluſit, ut per plurimos dies præter Majonem, & Hugonem Antiſtitem, nemini viſus, nedum conventus ſit; atq; ob id divulgata per urbem fama, Regem mœrore confectum ſupremum diem obiiſſe: quæ mox univerſam Siciliam, atque Apuliam pervaſit. Qua cognita, Robertus Lauretanus, non omittendam occaſionem ratus, plurima Apuliæ loca occupavit. Nec ſegnior Robertus alter Surrentinus, qui Capuæ Principatum ad ſe jure pertinere

nere

nere cenſebat, aliquot copiis coactis ad eam urbem progreſſus, ſtatim exceptus, ac Princeps ſalutatus. Emanuel Orientis Imperator, ea fama cognita, cum Roberto fœdus inivit; claſſemque, & militem Brunduſium miſit, ut communi conſilio bellum in Apulia, quam recipere vehementer ardebat, gereretur. Majo, his auditis, regiis ſtatim literis, & privatis etiam ſuis, eos populos, qui nondum deſciverant, in fide continere palam conatus: clam verò conſilium de occidendo Rege maturabat, quod & quibuſdam Procerum, quos alienatos à Rege cognoverat, aperire non dubitavit. Per eos dies Panormi Gotifredus Montis Cavoſi Comes degebat, vir & virtute, & militari prudentia conſpicuus; plurimæque apud populum authoritatis, quem, ut ad ſuas partes alliceret, alienare à Rege conſtituit; idque ut facilè conſequeretur, Gulielmo perſuaſit, ut Neçtum populoſum, ac munitiſſimum oppidum, quod ſub Gotifredi poteſtate erat, ſibi aſcriberet: futurum regni propugnaculum, ſi quid gentes moviſſent. Gulielmus, re non benè perſpecta, & ſuapte natura ad aliena rapienda facilis, Neçtum Comiti eripuit: qua ille injuria vehementer exaſperatus, utqui nobiliſſima ditionis parte privatus ſuæ. Majo, re ex voto peracta, Comitem ad ſe clam evocat: vultuque ad ſimulationem compoſito, ſe plurimum dolere, inquit, quod ei Gulielmus tam nobile oppidum eripuiſſet: cęterum ſciret, eo Regem animo eſſe, ut Toparchas univerſos extinctos velit, ut ſic omnia ad ſe unum trahat. Nec avidum, immanemque hominem quieturum, ni ſuæ cupiditati ſatisfaciat; quocirca ſibi ipſe conſuleret: malo illicò occurrendum, ne latius excreſcens, nullum inde remedium paſſurum ſit: ſe non ei, non reliquos Proceres defuturos. Nec ſanè dubitare ſe, quin omnia magna regni pernicie ruitura eſſent, ni Regem ad communem ruinam natum, è medio tollerent. Principes gentium tutores, non everſores eſſe: nec eum Principatu dignum, qui omni ſe humanitate exuiſſet. Gotifredus etſi callidum Majonis ingenium probè noſſet; tamen re pro tempore diſſimulata: Non id novum, inquit; ſiquidem jam dudum ſe Regis improbitatem perſpectam habuiſſe: ideoque paratum ſe eò venire, quo ipſe præiviſſet. Tum Majo Gotifredum in fœderis ſocietatem admiſſum, arctiſſimè complexus eſt: eique deinde Ugonis Antiſtitis, reliquorumque Procerum conſilium aperuit: deliberaſſe nimirum illos, Rege occiſo, ſe Regem ſalutaturos; utque illius animum tentaret; cæterum addidit, ſe imparem tantæ moli, neque eo rerum faſtigio dignum exiſtimare; ideoque cenſere ſe è Republica fore, ſi Rege ſublato, Rogerius major natu ex Regiis pueris ire in locum patris juberetur. Gotifredus, qui hominis verſutiam in his etiam verbis apprimè agnoſcebat, ut arte artem eluderet, ac ſuamet fraude Majonem caperet,

nunquam ſe, nunquam cæteros Proceres paſſuros, inquit, ut tyranni filius regno potiretur, qui certè ultor paternæ necis, & improbitatis hæres futurus eſſet; neque enim ſperandum è vitiato caudice optimum fructum proditurum. Majo his vocibus vehementer lætatus: Tum ſe, inquit, ipſorum voluntati obſecundaturum, cum ipſe, cui plurimum confidebat, rem totis viribus aggrederetur. Gotifredus omne ad id conſilium, conatus omnes exhibiturum promiſit: quocirca pergeret ipſe conſilium maturare; ne mora preſens fortuna corrumperetur, quæ jam eum Regem deſignaſſe viſa erat; utque verbis fidem faceret, ſe ſacramento obſtrinxit. Cæterum Comitis conſilium erat, Rege à Majone occiſo, in ipſum ſe, tanquam in parricidam, arma convertere; Rogeriumque Patri ſufficere: atque iſto modo, & injuriam tum à Gulielmo, tum à Majone acceptam ulciſci, & apud novum Regem gratiam invenire; quæque ablata ei fuerant, cum laude recipere, imò illum ad ſuum arbitrium ſe moderaturum ſperabat, quod & præſens beneficium, & parva illius ætas certò ſpondere videbantur. At cum protrahi à Majone rem animadverteret, dubitare de illius fide cępit, & ne inſtructa ab eo fraude prior circumveniretur, tollere Majonem conſtituit: Reque cum Simone Sagrenſe, ac Riccardi filio Rogerio, aliiſque Proceribus communicata, eos ſibi ſocios aſſumpſit: deinde percuſſores miſit, qui in ipſo Regis palatio, quando aliter parari facinus nequiſſet, Majonem occiderent. Dum verò domum milites ingrediuntur, nuncius ex Apulia ſupervenit, longarum navium claſſem appuliſſe: quo nuncio cum plurimi, ut fit, accurrerent, Sicarii multitudinem veriti, facinus diſtulerunt. Et ſic eo die Majo fortunæ beneficio ſervatus. Gotifredus dubitans, ne ſi Majo inductos à ſe milites cognoviſſet, in ſuſpicionem cędis veniret, ſtructaſque in ſuum caput inſidias eſſe; ut tempeſtivè eam ſuſpicionem dilueret, Majonem convenit; eumque docet, ſe milites in palatium ad interficiendum Regem introduxiſſe: nec dubium, quin cædem peregiſſent, ni evulgata de roſtratarum adventus fama prohibuiſſet. Id Majo adeo ſibi perſuaſit; ut cum inde à domeſticis admoneretur, percuſſores in eum à Gotifredo immiſſos; illos non ad ſuam, ſed Regis necem veniſſe reſpondit. Adeo cœci mortales, cum alteram in partem animo præoccupantur.

Dum hæc Panormi agebantur, variiſque rumoribus univerſa Sicilia impleretur, Bartholomęus Garſiliatus copiis aliquot inſtructus ab Rege defecit: Buteriumque edito in colle munitum oppidum occupavit. Ad eum ſtatim facinoroſiſſimi quique plurimi ex primoribus confluxerunt, quibus ille auctus, omnem circa regionem vaſtare populationibus cępit. Gulielmus, re cognita, ne gliſcere malum ſineret, Eberardum Comitem expertæ virtutis, ac fidei

virum

virum legatum ad illos mittit: eiſque veniam promittit, ſi ab inceepto deſiſtentes, ad obſequium redjiſſent. Illi Eberardo reſpondent: ſe nihil in Regem moliri: imo illius ſalutem, regnique incolumitatem quærere, nimirum ut Majonis, atque Ugonis Archiepiſcopi conjurationem, qua ipſum & regno, & vita ſpoliare machinabantur, palam facerent; ideoque ſi illos juſto ſupplicio puniret, ſe ad ejus obſequium illico redituros. Id ſimul ac Gulielmus ab Eberardo accepit, atrocitate criminis expavit: inque illos, qui Majeſtatis deferebantur, vehementer exarſit. Mox cum rem maturius perpenderet, minimè in animum inducere poterat, Majonem tantis à ſe beneficiis affectum, ex infima ſorte ad ſummum honoris culmen evectum, ſibi mortem inferre voluiſſe, Eberardi verbis minimè credidit. Majo Regis ſimplicitate jam tutus ingens contra Eberardum odium concepit, & quanquam in præſentia diſſimularet, ulturus certè, cum primum perdendi hominem occaſio ſe obtuliſſet. At Gotifredus, ſuis oppidis præſidio firmatis, Buterium profectus reliquis ſe conjuratis adjunxit, cujus rei fama ingens Panormi tumultus exortus; unumque cuncti Majonem petebant, quod Simonem Comitem nullius criminis reum in carcerem incluſiſſet: eumque ſibi dari depoſcebant. Majo veritus ne in apertam populus ſeditionem erumperet, Simonem Regis juſſu in libertatem reſtituit: quo liberato, motus omnis deſedit; ſuoque plebs voto potita, conquievit. Quia verò ſeditioſi, qui Buterium occupaverant, novis in dies viribus augebantur; & ni maturè debellarentur, omnem ad ſuas partes tracturi inſulam videbantur; Gulielmus non amplius differendum ſibi duxit; ſed jis, quas in promptu copiis habebat, & Simone Comite ſecum aſſumpto, in hoſtes vadit: oppidum obſidet, ac totis viribus oppugnare adortus. Seditioſi ita ſe defendebant, ut difficile capi oppidum duceretur: nec ad deditionem flecti ullo modo poterant. Tandem Simonis Squillacenſis opera res ita compoſita: Gotifredus, ejuſque ſocii liberi extra inſulam faceſſerent: oppidum ſine noxa in Regis poteſtate eſſet. Buterio recepto, ſtatim ignis, quo arſura Sicilia videbatur, extinctus.

Per id tempus Aſcorinus Panormum ad Regem venit, Majoneq; inſtigante, novis apud credulum Principem criminationibus Simonem oppreſſit. Gulielmus non ſatis advertens ea odio in Simonem jacta, illum inauditum carceri iterum addixit, ubi paucis poſt diebus è vivis ſublatus eſt. Quo mortuo, Gotifredum, qui tum Meſſana in Calabriam traicere parabat, cuſtodiri, quoad ipſe eò veniſſet, Rex juſſit: ne ſcilicet Simonis morte audita, novos in Apulia motus conciret. Ipſe cum ingenti deinde exercitu fretum trajecit, perque Brutios progreſsus, Brundusium venit: ut Græcos à Laureṭano Comite evocatos Apulia expelleret. Hi, quoniam Roberti co-

piæ

piæ nondum advenerant, pugnam detrectabant. Gulielmus eos in caſtris adortus, vel invitos pugnare coëgit: atrox principio certamen, ac dubium fuit; tandem & numero, & virtute Græci ſuperati, caſtriſque exuti fuere: plures in acie ceciderunt, reliqui vivi in noſtrorum poteſtatem venerunt, quos Rex Panormum unà cum Ducibus miſit; ea dein victoria lætus, ad obſidendum Barium proceſſit. Barienſes, qui eo motu, arce exciſa, defecerant, cum ſe impares tum viderent, armis depoſitis ſupplices obviam Regi proceſſerunt, multiſque lacrymis veniam precati. Gulielmus urbem ingreſsus, cum dirutam arcem videret, ira accenſus, juſto, inquit, judicio cum vobis agam: & quando ædibus vos meis non peperciſtis, nec ego veſtris parcam; datoque biduo, ut univerſi cum ſuis ſarcinis urbe exirent, aliòque ad inhabitandum commigrarent, oppidum à fundamentis evertit, quaſi non ſua etiam civitas eſset, eaque exciſa, non ſe nobili ſede privaret, ſed plus ira apud impotentem Principem, quam utilitas valuit. Barii excidium tantum Roberto, aliiſque Proceribus terrorem incuſſit; ut ſtatim, relictis oppidis, quæ occupaverant, regni finibus exceſserint, fuga ſibi ſalutem quærentes. Quod ubi Robertus Surrentinus cognovit, & ipſe Capuam reliquit, dum verò Lirim trajicere parat, à Riccardo Comite, præter datam fidem (nam unus ex conjuratis erat) captus, Regique traditus, à quo Panormum ad Majonem miſſus, ibiq; oculis in carcere privatus eſt. Riccardus ea infamia veniam à Gulielmo obtinuit.

Porrò Gulielmus, Græcis ex Apulia ejectis, perduellibus perdomitis, rebuſque ejus Provinciæ ex voto compoſitis, victor Panormum reverſus, ibi in reliquos cœpit animadvertere: nec deerat Majo, qui, ut ſuæ cupiditati ſerviret, Regem ad tollendos Proceres continuò inſtigabat. Gotifredo oculos eruit, ac perpetuo carceri damnavit. Simonem Squillacenſem, qui Buxento ſubſtiterat, ad ſe, ut capite plecteret, evocavit: in itinere meliori fato eſt perfunctus. Ex reliquis Procerum Gulielmus Aleſinus, Boëmundus Tarſenſis, Robertus Bovenſis, Tancredus, & Gulielmus Rogerii Ducis ex non juſta conjuge filii, Panormi in vinculis habebantur, inque illos nullum crudelitatis genus erat, quod Majo non exerceret, cujus tamen animus ſummopere angebatur, quod Eberardum, qui unus reſtabat, nondum perdere potuiſſet, in quem cum juſtam criminandi cauſam non haberet, ad calumniam ſe convertit, inque omnes occaſiones intento, oblata tandem eſt una, qua ſtatim uſus, fraudem inſtruxit. Eberardus cum paucis ex urbe venatum exierat, inque vicinos lucos profectus erat: id ſimul ac Majo cognovit, Regem adit: & quaſi novam conſpirationem detexiſſet, illum ſollicitè admonet, Eberardum Comitem cum armatorum

multitudine ſuo injuſſu urbe exceſſiſſe; ut nimirum defectionis conſilium maturaret; quocirca tempeſtivè conſuleret, ne, ſi ille novos ſibi ſocios aſciviſſet, novam ſeditionem excitaret: propenſas ad novas res gentes eſſe, nec niſi Ducem, quem ſequantur, expectare. Gulielmus pro certo habens, quod à Majone fingebatur, armatos mittit, qui Comitem ab itinere revocent. Panormum deductum, indicta cauſa, in vincula conjicit: inde oculos innocenti eruit: mox linguam etiam, ne ſuam teſtari innocentiam poſſet, immani crudelitate præcidit. Uſque adeo in tyrannos degenerant Principes cum crudum, ac ſuſpicacem animum alieno verſandum arbitrio permiſerunt.

At Majo fortibus, ac Principibus viris, qui ſibi impedimento eſſe poterant, fraude ſublatis, ad maturandum facinus, quod diu meditatus, variaſque ob cauſas diſtulerat, animum adjecit. Ut verò populum ad ſuas partes facilè traheret, cunctorum animos partim largitionibus, partim beneficiis ſibi devincit: Italos, Longobardos, ac Normannos milites, quorum opera indigebat, ut voto potiretur, qua comitate, qua muneribus ad ſe allicit. Stephanum fratrem claſſi præficit: Simonem Regiæ menſæ Præfectum affinem ſuum Apuliæ, & Campaniæ Ducem imponit. Mox Roberto Lauretano, qui continuis populationibus Apuliam vexabat, iterum pulſo, fœdereque inter Emanuelem, & Gulielmum icto, quaſi jam omnia integra, atque expedita eſſent, alacer ipſe ad rem perficiendam factus: ut verò populo Regem inviſum redderet, quæcumque ille ſuo hortatu duriſſima edidiſſet, palam carpebat, atque edicto ab ſe lato, reſcindebat: ut ſic ipſe vulgi favorem promereretur.

Dum verò Gulielmus ſuis malis ſupinus indormiret, & Majo ſibi viam ad tyrannidem quam expeditiſſimam ſterneret, Africa nobiliſſima Carthaginienſis Provinciæ urbs, quam Rogerius I. acquiſiverat, magno Chriſtianorum damno amiſſa eſt. Abdul Mauritaniæ Rex, qui à Mediterraneo mari ad Atlantem uſque longe, latèque imperitabat, ingenti Saracenorum exercitu coacto, & valida ſexaginta longarum navium claſſe adornata, Marochio, ubi regni ſedem habebat, præmiſſa claſſe, ipſe per Numidiam movit: additiſque ſibi in itinere plurimis Maurorum, Numidarumque copiis, ad Africam caſtra poſuit; eamque terra, marique arctiſſimè obſedit. Gulielmus, ne munitiſſimam urbem, quæ toti Africæ frenum erat, ac Siciliæ propugnaculum, amitteret, claſſem CLX. roſtratarum ex Hiſpania revocavit, ac ferre obſeſſis auxilia præcepit: præerat claſſi Petrus quidam Eunuchus, qui, etſi Chriſtianam Religionem nomine profiteretur, re tamen vera Maumethanæ ſuperſtitioni addictiſſimus: hic Regis juſſu accepto, in Africam navigavit. Maurus, inopinato Chriſtianæ claſſis adventu perterritus, ſtatim in caſtra

caſtra militem coëgit, naveſque ne in hoſtium poteſtatem venirent, in terram ſubduxit, longoque aggere communivit. Tanta trepidatio barbarorum fuit, ut minimè dubium, quin deleri tum potuiſſent, ſi Petrus uſus fortuna, hoſtem invaſiſſet. At hic certam Chriſtianis victoriam invidens; cum urgere barbaros, ac fundere nullo negotio valuiſſet, ultro, ac mirantibus cunctis, ſe cum prætoria in fugam conjecit, quem aliæ naves vel invitæ Ducem ſecutæ, altum, non ſine ignominia, petierunt. Saraceni id Petri dolo factum rati, reſumptis animis, illico naves in mare deduxerunt, ultimum agmen aſſecuti, ſeptem naves ceperunt, reliquæ turpiter Siciliam petierunt, indignantibus cunctis, ac maledictis Regem proſcindentibus, quod evirato, atque infido homini claſſem, ac tantam expeditionem commiſiſſet. Saraceni ea victoria audaciores facti ad oppugnandam urbem curas acrius intenderunt. Chriſtiani etſi proditos ſe à Duce intelligerent, nihil tamen de priſca fortitudine remittentes, ad defendenda mœnia vires omnes contulerunt, quin etiam eruptione identidem facta, hoſtium ſtationes aggreſſi, magna ſemper clade affecerunt: nec niſi victores, plurimiſque victorum ſpoliis onuſti in urbem redierunt. Tanta verò illorum virtus, conſtantiaque fuit, ut barbarus Rex ſolvere obſidionem meditaretur, quod & feciſſet, ni transfuga ad eum retuliſſet, ſumma obſeſſos inopia premi, reque omni frumentaria conſumpta, ne immundis quidem animantibus perpeciſſe: mutato igitur conſilio urgere obſidionem inſtitit, utque militum animos tentaret, dupla illis ſtipendia promiſit, ſi tradita urbe, apud ſe manere vellent; ſin minus liberos ſe cum faſcibus in Siciliam trajecturum, quod ubi præſidiarii intellexerunt, XXX. dierum inducias ad deliberandum petiverunt, quibus impetratis, Legatos in Siciliam ad Gulielmum mittunt, eumque vehementer orant, ne fortiſſimos viros deſereret; neque vellet munitiſſimam urbem, quam ipſi tanto labore, ac ſanguine defendiſſent, amittere; ſibi non vires, non animos, ſed unum tantum frumentum deeſſe, quod ſi tranſmitteret, ſervaturos ſe eam arcem, quæ ipſi tutam ab incurſionibus Siciliam reddebat: ſciret tanta ſe fame laboraſſe, ut ne ab immundiſſimis quidem ſpurcitiis abſtinuiſſent: ne faceret, ut fruſtra tantam conſtantiam, tantam virtutem oſtendiſſent. Gulielmus, Legatis auditis, opem obſeſſis ferre in animo habebat. At Majo, cui non ſuccurrendæ Africæ, ſed invadendæ tyrannidis ſtudium unum, & conatus erat, ſe triticum in annum obſeſſis tranſmiſiſſe, ajebat: ideoque neſcire ſe, cur tanta fame laborarent. Cæterum unam Africæ urbem majores opes haurire, quam univerſam Siciliam: nec dubitare, quin plus damni ab ea Regio Ærario inferretur, quam commodi, imo expedire eo ſe onere liberare; ſiquidem ea pecunia, quæ ad tuendam

arcem illam ſingulis annis impendebatur, integram claſſem ali poſſe, qua tutius tueri Siciliam, ac barbaros invadere potuiſſent. Gulielmus hac Majonis oratione impulſus, re infecta, Legatos dimiſit: obſeſſi cum nihil ſupereſſe ſpei viderent, urbem Mauro Regi tradiderunt: ipſi navigiis ab eodem acceptis, in Siciliam navigarunt, & ſic Africæ poſſeſſio, quam tanta virtute Rogerius acquiſiverat, Gulielmi ignavia eſt amiſſa. Id autem ingens Majoni odium conciliavit, qui eò temeritatis proceſſerat, ut regia ſibi inſignia fecerit, ac palam oſtenderet: tantus autem cunctis timor inerat; ut nemo ad Regem accedere, facinuſque indicare auderet; nam Eberardi Comitis caſus adhuc præ oculis univerſorum obverſans mirum in modum animos perterrefaciebat. Non tamen aliquot in Apulia Proceres defuerunt, qui clandeſtinis inter ſe colloquiis habitis, in Majonis necem conjuraverint. Hi erant Jonathas Comes, Riccardus ab Aquila Fundanus, Rogerius Acerranus, Gilbertus Reginæ conſanguineus, quem nuper ex Hiſpania advocatum Gravinæ Comitem Gulielmus creaverat, Marius Butellus vir ſui temporis diſertiſſimus, qui oratione ad Salernitanos habita, eos ad inferendam Majoni necem ſacramento obſtrinxit. Plures præterea viri nobiles, imo & civitates, atque oppida ſe conjuratis adjunxerunt; ictumq; cum illis fœdus jurejurando firmarunt. Hæc dum ji moliebantur, Andreas Rupis Canninæ, quem regno Gulielmus expulerat, non mediocri exercitu coacto, Aquinum primum, inde Caſſinum, aliaque oppida occupavit: verum mox ab jiſdem populis, à quibus ultra exceptus fuerat, circumventus, vix ſe fuga ſubduxit. Adeo lubrica eorum eſt fides, qui mobilitate animi, non maturato conſilio ad omnem novandi occaſionem excitantur. Melphienſes conſpiratione inita, ſtatuerunt, ſe nemini in poſterum obtemperaturos, quem Majo, ſive in urbem, ſive in Provinciam Præfectum miſiſſet. Horum verò, ac Salernitanorum exemplo, tota Apulia, cæteræque Provinciæ, quæ in Italia Gulielmo parebant, in Majonem conjurarunt, atque ad manifeſtam defectionem ſpectabant. una Sicilia, in qua Majonis præſentia cuncta terrore occupabat; ac in qua Proceres fermè omnes ſublati fuerant, quieſcebat. Etenim Sylveſter Rogerii Primi Siciliæ Comitis ex filio nepos, etſi Apulorum conſilium probaret, tamen occluſum ſe domi continebat, ne vel leviſſimam ſui ſuſpicionem præberet. Rogerius Erconenſis, cujus filiam Majo conſtupraverat, injuriam patienti animo tolerabat: ne ſi ulciſci eam vellet, ſibi ruinam maturius accerſeret. Adeo miſera populorum conditio, cum ignavi Principes in alios imperium tranſmiſerunt. At Majo cum univerſam fermè Italiam in ſe conjuraſſe animadverteret, Procerumque in ea vires quotidie augeri, ad Amalphitanos, Surrentinos, Neapolitanos, Tarentinos, aliaſque

gen-

Digitized by Google

gentes, quæ nondum apertè defecerant Regias literas miſit: quibus, ut in fide manerent, hortabatur: nec perditorum hominum inſtigationibus corrumpi ſe ſinerent, qui, ut privatam cupiditatem explerent, omnem regni pacem evertere conabantur. Verum cum illi certò ſcirent eas literas non à Rege, ſed ab ipſomet ſcriptas, neutiquam acceperunt. Tum eam ſolicitudinem incaſſum recidiſſe videns Stephano fratri Apuliæ Præfecto mandat, ut duplicata ſtipendiorum largitione militum ad ſe animos alliciat, atque in Robertum Comitem ducat, ejuſque conatus vanos faciat. Sed cum neque hoc modo quidquam effecisset; & Simonem Maris Præfectum in quandam Apuliæ arcem metu conjuratorum ſe recepiſse intelligeret, ad alias ſe artes convertit; aliamque inire viam conſtituit. Mazarienſem Præſulem Legatum Melphiam, & ad reliquos Apulos miſit; ut qua authoritate, quà eloquentia, earum gentium animos placaret, & ad Regis obſequium reduceret: verum ſua illum opinio fefellit. Nam Præſul, qui ſecreto Majonem odio perſequebatur, ita apud eas gentes illius vitia, ac manifeſtam proditionem exageravit, ut ad ſumenda in eum arma vehementius incitaverit. Brutii, qui ad id tempus quieverant, auditis Apulorum turbis, agitari & ipſi cęperunt, quæ res magnum Majoni terrorem incuſſit, verebatur ne vicino eo incendio, pariter Sicilia conflagraret: ne igitur latius ſe ignis extenderet, maturè occurrendum cenſuit. Erat tum Panormi Matthæus Bonellus vir & genere, & plurium oppidorum dominatione inter Siculos conſpicuus: huic ipſe filiam adhuc parvulam deſponderat. At Bonellus inconſtans animo juvenis, ut ſunt plerumque Siculi, cujuſdam Rogerii Regis ex pellice filiæ, quæ Ugoni Moliſino nupſerat, forma captus, deſponſatam ſibi Majonis filiam tanquam ignobilem abhorrere cęperat. Majo ne filia ab eo repudiaretur, cuſtodiri ædes Comitis juſſerat, ne ad illas Bonello aditus pateret, quod ille iniquè tulit, etſi rem palam diſſimularet. Majo ea ſimulatione captus, Legatum illum in Calabriam miſit, ut eam provinciam tot hactenus procellis inconcuſſam in fide contineret. Bonellus alacri animo legatione ſuſcepta, è Sicilia in Brutios trajecit, earumque gentium optimatibus ad concionem vocatis, plurima de Majonis innocentia, atque incorrupta in Regem, regnumque fide diſſeruit: vix autem dicendi finem fecit, cùm Rogerius Marturanus, magnæ tum apud Brutios authoritatis, omnium nomine Bonello reſpondit: haud facile ſibi in animum inducere Matthæum Bonellum, virum cæteroqui tum ingenio, tum prudentia præditum nondum Majonis nequitiam perſpexiſſe, quem tamen Siculi omnes tanquam Regis proditorem, affectatoremque tyrannidis ſummopore oderant; & capite etiam damnatum vellent. An unus ipſe neſciret, quod toti Siciliæ, Apu-

liæ

liæque notiſſimum, vulgique ſermonibus paſſim jactabatur? Nec credere ſe illum cum nequiſſimo homine, à quo injurias etiam accepiſſet, ſocietatem iniviſſe; quando inter cæteras ipſius virtutes, fides maximè elucebat; quocirca Majonis amicitiæ renunciaret, ſe reliquis, qui in illius caput conſpiraverant, adjungeret, proditoremque de medio tolleret: penes ipſum aſſertæ libertatis gloriam, ac decus futurum. Bonellus his, & aliis hujus generis permotus, in contrariam ſententiam deſcendit; Majoniſque amicitia renunciata, ſe illum certa die occiſurum promittit: datoque ſacramento jis, qui tum in conventu erant, ſuam fidem obfirmavit, ſtatimque ad perficiendum facinus in Siciliam reverſus. Nec minor interea ſolicitudo Majonem tenebat, quoque modo Regem interficeret, continuò meditabatur. Cum autem dicta parricidio dies appropinquaret, de Regiorum puerorum cuſtodia, de theſaurorum diſtributione inire cum Ugone conſilia cępit, de quibus cum non ſatis inter eos conveniret, orta altercatio eſt: uterque enim ſibi eam curam dari volebat. Majo cum cedere adverſario nollet, pęnitere ſe cepti affirmavit: indignumque ſe ducere ea in Regem moliri, quæ antea præcipiti conſilio expedire arbitrabatur. Ugo etſi optimè intelligeret, Majonem non ex animo loqui, ſed ſimulationem eam eſſe, ut eadem arte adverſarium caperet, pęnitere ſe etiam concepti facinoris dixit, & ſic conſpiratio utrique diſſolvi ad ſpeciem viſa eſt, infeſtoque animo uterque diſceſſit. Majo, ut de Ugone ulciſceretur, Reginam induxit, ut magnam ab eo pecuniam extorqueret, quod hic adeo acerbè tulit, ut vindictam injuriæ ſumere apud ſe ſtatuerit, quique obſtricti prius fędere ſe mutuo diligebant, nunc inteſtino odio perſequebantur. Nempe nulla firma eſt amicitia, quæ non ex virtute, ſed improbitate coaleſcit. Majo veneno Præſulem, Præſul populari tumultu Majonem tollere pro viribus conabatur. Dum hæc illi mutuis ſibi odiis ſtruunt, Nicolaus, qui Brutiis pro Rege præerat, literis ad Majonem datis, omnem ei Bonelli conſpirationem aperuit. Majo, qui perſpectam ſe hominis fidem habere arbitrabatur, haud adduci principio potuit, ut id perſuaſum haberet; mox cum ab aliis rem intelligeret, & plurima pariter indicia afferrentur, ita in Bonellum exarſit, ut nihil niſi illius cædem cogitaret. At Bonellus, qui è Brutiis digreſſus, Thermas appulerat, ubi Majonis conflatum in ſe odium per fidum ſibi militem cognovit, non prius ſibi Panormum procedendum duxit, quam Majonis animum per literas tentaret; ne eadem ipſe fraude opprimeretur, quam in adverſarium inſtruxerat. Nuncium cum literis ad eum mittit: quibus compoſitas à ſe Calabriæ turbas ſignificat, Proceresque omnes, & Rogerium Marturanum in primis ad ipſius amicitiam revocatos, paratoſque quidquid juſſiſſet, pro viri-

ribus facere; ideoque rogare ſe eum, ut pro tanto beneficio filiæ nuptias ne differret; ſeque Panormum redeuntem uti generum amplecteretur. Majo his literis acceptis, Bonelli in ſe fidem conſtare ſibi facile perſuaſit: quæ in contrarium evulgata, æmulorum invidia conficta ea eſſe, neque enim veriſimile ducebat, eum qui filiæ conjugium expetebat, ſibi mortem meditari; ideoque mutata ſententia, illum ad ſe venire jubet, curaturum ut ſuo voto potiretur. Bonellus, reſponſo accepto, ſtatim Panormum progreſſus, ibique à Majone benignè complexus eſt, à quo vix digreſſus, ad Ugonem, qui à febri ægrotabat, ſe clam deduxit: quæque ipſe apud Brutios egiſſet, ad aures tulit. Ugo, qui ira magis, quam febri æſtuabat, Bonellum ad maturandum facinus vehementer adhortatus eſt. Hic ſe Majonem è medio ſublaturum, cum ſe prima occaſio obtuliſſet, ſpopondit, nec ea quærenti defuit. Majo Ugoni propinari venenum curaverat: quod tamen ille fraudem ſuſpicatus minimè exhauſit. Majo inefficax venenum ratus, quod nondum occubuiſſe audiverat; præſentiſſimam ſecum cicutam ferens, decumbentem inviſit: dum autem illi pharmacum, quod ſalutare ipſe expertus fuiſſet, ut ſumeret perſuadere conatur; & ille ſtomachi vitium cauſaretur, atque in longum colloquia duceret, admonitus ab eodem eſt Bonellus, tempus tollendi hominis adveniſſe; quocirca, conſilium exequi ne tardaret. Bonellus, re cognita, illicò cum armatis advolat; & viarum anguſtias, per quas rediens Majo tranſiturus erat, præoccupat: qui ab Epiſcopo, re infecta, digreſſus ad eum locum una cum Meſſanenſi Antiſtite obequitans ſimul ac venit, à ſuis admonitus, paratas ſibi à Bonello inſidias eſſe: quo nuncio vehementer perculſus primo hæſit, mox reſumpto animo, Bonellum clara voce accerſiri ad ſe jubet. Tum Bonellus obviam progreſſus: En, adſum, inquit, ò proditor, quem requiris, ſceleribus tuis finem impoſiturus, ſtrictoque eum enſe percuſſit. Majo dextera deflectens ictum evitavit: ſimulque datam ſibi fidem, generique nomen repetens, veniam precabatur. Bonellus nihil precibus motus, ſecundo eum ictu confecit, qui ſtatim in terram prolapſus occubuit, reliqui, qui in illius comitatu erant, quà potuere, fuga dilapſi. Bonellus de Regis animo dubius, ne forte primo impetu ſe ad ſupplicium quæreret, cum ſociis Caccabum, quod ſuæ ditionis oppidum erat, ea ipſa nocte ſeceſſit, ibi pro tempore conſilium capturus. Cæterum Majonis corpus per univerſa urbis loca pertractum ludibrio populo fuit, qui in illud ferociter deſæviit: membratimque conciſum per omnes fermè vias diſperſit: ſevitum etiam in illius conſanguineos, quorum domus direptæ, atque incenſæ, plurimaque in illis ſtrages edita, atque in hunc modum viliſſimus homo nimiæ impotentiæ pœnas luit.

Ma-

Majonis nex acerba principio Gulielmo fuit; nec induci potuit, ut patienti animo eam ferret. At cum inde Sylveſter Marſici Comes hominis perfidiam, ac certam conſpirationem apertis illum argumentis docuiſſet, aliquantulum quievit; tamen ut Bonello parceret, nullo modo adduci potuit; niſi cum tandem in Majonis domo regalia inventa ſunt, quibus illum regnum affectaſſe tum demum ſibi perſuaſit, revocarique Bonellum juſſit de ſe, regnoque ſuo in ea perduellis nece optimè meritum: uterque Stephanus Majonis alter filius, alter germanus illicò comprehenſi, pariterque in vincula Matthæus Notarius, quo adminiſtro plurimum Majo utebatur conjectus eſt: theſauri in proditoris domo reperti in Regium Ærarium illati. Verum Bonellus etſi parum Regi fideret, nec tutum ſæviſſimo ſe homini committere arbitraretur, fretus nihilominus populi ſtudio, ac nobilium favore, qui illum unicè amabant, Panormum venit, mœnibus appropinquanti tota obviam effuſa civitas occurrit, eumque uti patriæ, Regiſque ſervatorem ingenti plauſu, lætitiaque excepit, & ad regiam uſque ovantium more proſecuta: ibi non minori gaudio, ac benevolentia à Rege acceptus; plurimiſque regiæ munificentiæ argumentis donatus: à quo tandem dimiſſum univerſa multitudo ad illius ædes comitata. Tantam verò ex Majonis cæde ſibi gloriam Bonellus comparavit; ut ejus nomen non in Sicilia tantum, ſed in Apulia pariter, Calabriaq; magnis laudibus celebraretur. Verum cum ita natura comparatum ſit; ut creſcentibus fortium virorum laudibus, & gloria rerum geſtarum, æmulorum etiam invidia, atque odium creſcat, non diu hæc Bonelli fortuna permanſit. Regina, cujus ſibi Majo gratiam miro modo conciliaverat, non ceſſabat quotidie viro perſuadere, cuncta, quæ de Majone tanto rumore jactabantur, à Bonello conficta, atque ejuſdem aſſeclis eſſe; ut juſtam peractæ cædis cauſam prætexerent: cæterum veram, ac germanam invidiam, qua, vehementer flagrabant, & rerum novarum cupidinem, extitiſſe, atque hæc, & hujus generis alia identidem repetens, acerrimè in Bonellum invehebatur. Non ſecus Athenulphus, qui adminiſter Majonis fuerat, regiæque domus Eunuchi: qui etſi ipſi cum Majone pariter conjuraſſent; nihilominus ſuſpectam Bonelli potentiam habentes, omnem conatum adhibebant, ut fictis criminationibus in illum Regem accenderent, quibus à Bonello compertis, ſapientis eſſe duxit, ſibi tempeſtivè conſulere, & qua valuiſſet arte, induſtriaque imminentem ſuo capiti ruinam amoliri. Matthæo à S. Lucia conſobrino ſuo, aliiſque nobilibus, quos ipſe per hemerodromos Panormum acciverat, rem omnem aperuit: Reginæ nimirum in ſe odium, Spadonum fraudes, abalienatum ab ſe Regis animum, cujus maximum illud argumentum habebatur, quod vetus debitum, quo obſtri-

ctus

ctus in curiam erat, perſolvere juſſiſset; cum cæteroqui ob ſervatam ei vitam, ac regiam majeſtatem, regnoque quietem, ac tranquillitatem aſsertam, magnis afficere muneribus debuiſset. His ab eo expoſitis, viſum cunctis in re tanti momenti maturè conſulere, placuitque Simonem Comitem nothum Regis fratrem, & Tancredum nepotem, qui jandiu Regi infenſi erant (nam uni Tarenti Principatum abſtulerat; alterum jure affinitatis exutum, diu in palatio cuſtodiri juſserat) in conſilium adſciſcere, in quod Abellini Comes Regis affinis eſt etiam admiſsus. Poſtea vero quàm fœdus inter ſe ſacramento obfirmarunt, maturè rem diſcuſserunt: itaque inter eos convenit, ut Regem in carcerem conjicerent; nam atrox, quod expeditius erat, parricidium eſt viſum, eoque vincto, Rogerium Apuliæ Ducem majorem natu ex Regiis pueris Regem ſalutarent, qui cum vix novum annum attingeret, in ſe Regni adminiſtrationem venturam arbitrabantur: illud verò pergratum populo futurum; quando non privato commodo, aut ſtudio vindictæ, ſed publici boni gratia factum cenſere potuiſsent. Quia verò ſine Malgerii ope, qui CCC. Prætorianis præerat, haud facilè præmeditata exequi rebantur, illius animum ſibi tentandum duxerunt: ſed cum ſeverioris ingenii hominem eum eſse recogitarent, nec tutum de illius animo periculum facere, eo omiſso, illius Vicarium, qui eo abſente, ad cuſtodiam palatii excubabat, & Gavarectus vulgò appellabatur, adiverunt, magnaque ſibi pecunia obſtrinxerunt. Dein de hominis fide certi, omnem ei conjurationem aperiunt, cui poſtquam ſuum ille nomen dedit, ac ſuam jurejurando fidem obſtrinxit; ita cum eo conventum; ut dicta die, & ad certam ejuſdem diei horam, ad quam conjurati adfuturi erant, vinctos omnes è carceribus educeret, armiſque eis traditis ſibi ad perficiendam rem ſocios adjungeret. His in hunc modum conſtitutis, Bonellus optimum factu duxit, ſi Amalfræ Arcem, quæ ſuæ ditionis erat, & armis, & commeatu muniret; ut in ea, quicumque futurus caſus eſset, ſe commodè reciperet: incertum ſemper rerum eventum eſse; ideoque & adverſis etiam maturè providendum. Ad eam igitur arcem muniendam ipſe progreſsus; ne ſi aliis negotium demandaſset, ſuſpicionem de ſe faceret. Diſcedens iterum, iterum ſocios conſpirationis admonuit, ne rem alicui communicarent; nec aliquid tentarent, priuſquam ipſe rediiſset; nihil enim his rebus nocere, quàm vel leviſſimum ſuſpicionis indicium; ex quo facile, quæ ſecretò agerentur, conjici potuiſsent. At quia ſic ſunt homines, ut quæ ipſi in animo habeant, haud diu contineant: nativaque linguæ lubricitate laborant univerſi; quidam ex conjuratis militi cuidam ſibi amico rem prodit, hic ad alterum, qui, eo ignorante, unus ex conjuratis erat, rem illico detulit: hic autem

cum reſciri jam rem intelligeret, milite laudato, quod in tantum facinus non conſenſiſſet, ſocios ſtatim adit: eoſque rem proditam docet: nec multum temporis præteriturum, quin ad Regis aures perveniat. quo comperto, maturandum confeſtim conſilium decernunt, & quando acciri Bonellus non poterat, ipſi ad opus ſe viriliter accingerent. Gavarectus igitur admonitus, ut in ſequentem diem tertia ab ortu hora, qua Gulielmus agere cum Ariſtippo de regni negotiis ſolitaverat, omnia in promptu haberet: ipſis reliqua, uti conſtitutum erat, diſpoſituris. Secuta die ad dictam horam Gavarectus nobiles omnes, quos vinctos habebat, è cuſtodia emittit, armis induit, conjurationis admonet, & conjuratorum etiam nomina docet: eiſque Simonem Comitem, qui univerſas regiarum ædium vias, & cubicula probè noverat, Ducem imponit, ſimulq; reliquos conjuratos in palatium admittit. Simon per univerſa conclavia excurrens, in ſecretius pervenit, in quo Rex cum Ariſtippo, quem Majonis loco ſuffecerat, de negotiis agebat. Rex ubi Simonem, & Tancredum vidit, vehementer indignatus, quod eos homines ad ſe admiſiſſent: mox multitudine cum armis conſpecta, ſuſpicatus, quod erat, ad inferendam nimirum ſibi vim eos veniſſe, fugam arripere conatus: verum conjuratis ſupervenientibus, ſiſtere gradum coactus, captumque ſe tradere. Cum autem Gulielmus Aleſiæ Comes, & Robertus Bovenſis, nudis in eum enſibus irrumperent, humili prece eos, qui illum comprehenderant, rogavit; ne ſinerent, ut ab illis occideretur, ſe regni adminiſtrationi ſponte ceſſurum. Tum Riccardus Mandra, ea Regis prece commotus, illorum impetum continuit, & ne Gulielmus necaretur, imperavit.

Rege capto, fidæque cuſtodiæ tradito, conjurati in penetralia introgreſſi, theſauros univerſos, quos Rogerius reliquerat, & Gulielmus ipſe tanto ſtudio, atque vi coacervaverat, è veſtigio diripuerunt, ut nimirum male parta, male etiam diſſiparentur. In Eunuchos inde impetum faciunt, eoſque ad unum omnes necaverunt, quibus uti prima victima occiſis, ad Saracenos, qui in urbe erant, converſi, plurimos eorum occiderunt; cunctorumque ferme domos deprædati, immenſas divitias coëgerunt. Hac prima tragediæ parte abſoluta, Rogerium Regis filium, jam Ducem Apuliæ à Patre dictum, ab arce educunt, alboque equo impoſitum, tanquam Regem per univerſam urbem circumducunt, ac feſtis acclamationibus Dominum, Regemque ſalutant, inque bonum omen vertentes, quod Rogerii Avi nomen haberet, futura omnia illi fauſta promittunt, eumque in ſequentem diem coronaturos profeſſi, cum Bonellus totius ſcenæ artifex, Amaſtra Panormum veniſſet. Verùm cum elapſo jam triduo Bonellus non adeſſet, tumul-

mul-

multuari plebs cœpit; inque conjuratos acerbe invehi, nec deerat; qui pluribus apud multitudinem verbis exagerarent; quod regiam majeſtatem apud incultiſſimos etiam barbaros venerandam tanta ignominia affeciſſent, atque id, quod paucorum quidem ſcelus eſſet, in communem infamiam vertendum: malè apud exteras gentes Siciliam omnem audituram, apud quas non pauci homines Regi injuriam intuliſſe, ſed Panormitanus populus, totaque Sicilia diceretur. Hæc cum principio à paucis jactarentur, dein à multis exagerarentur, tandem effecerunt, ut multitudine ad arma incitata, tumultus concitaretur. Cuncti igitur armati, ac Ducem veluti quendam divinitus ſecuti, effuſo agmine in palatii forum conveniunt: circumque ſparſi aditus omnes occupant, Regemque ſibi vivum, ac liberum dari magnis vocibus poſcunt, quod ni extemplo faciant, ſe conjuratos univerſos tanquam patriæ proditores, ac Majeſtatis reos trucidaturos, minitantur. Tum conjurati multitudine perterriti, & ſaxorum jactu, & baliſtis plebem è muro ſubmovere adniſi ſunt. Sed fruſtra pauci ſe multis opponunt, nec teneri multitudo poteſt, quæ magnorum inſtar torrentium, ubi exundare cœperit, limiteſque ſupergreſſa eſt, univerſa corripit, ac pervaſtat. Id conjurati intelligentes, vi depoſita, ad preces, & lenia verba converſi; quibus placari multitudinem ſperabant: orant, atque obſecrant, ut iram mitigarent; expectarentque parumper, donec Bonellus rediret: cujus conſilio, cuncta ad ſalutem regni, ac publicam felicitatem moliti erant. At incaſſum iſtæc data, ubi enim in iram multitudo exarſit; quodque æquum ſibi viſum petere inſtitit, flecti nullatenus poteſt. Inſtare igitur tum precibus, tum minis pergunt, ut ſaltem Regem oſtenderent, non ſe diu toleraturos, ut illum carcere incluſum contineant. Conjurati cum cohiberi multitudinem non poſſe animadverterent, Regem adeunt, qui viliſſimi inſtar capitis, in obſcuro, ſordidoque carcere ſqualebat: ſeque eum liberaturos ſpondent, ſi & ipſe promitteret, incolumes eos, ac liberos dimiſſurum. Gulielmus, qui atrociora expectabat, facile in eam conditionem deſcendit: neque enim quid populus moliebatur, reſciverat. Eductum ad palatii feneſtram ducunt, plebique oſtendunt, quem cum univerſa multitudo in ea calamitate ſordidum aſpiceret, tumultuari acrius cœpit: reſerarique palatii fores vehementiſſimè poſtulavit, ut ſupplicium de conjuratis illico ſumeret. Tum Rex digito ſilentium indixit; utq; arma deponerent, domumque redirent, imperavit: ſatis ſe de eorum fide ſecurum eſſe. Dicto Regis plebs paruit, & in ſuam quiſq; domum reverſus. Tum apertis palatii foribus conjurati liberi dilapſi, & Caccabum non longè ab urbe oppidum ſeceſſerunt.

Hæc autem Gulielmi calamitas, rerumque tanta, & tam re-

pentina varietas, plurima regiæ domui, totique regno incommoda attulit, quibus diu laboratum; nam præter plurimam nobilitatem amiſſam, magna pars theſaurorum, quos in extremos caſus Rogerius aſſervaverat, & Gulielmus ipſe ſummoperè auxerat, uno die diſſipata: quod quidem minimò mirum videri debet, ſi quis animo reputaverit eam pecuniam Eccleſiarum expilatione, privatorumque direptione partam fuiſſe: quæ verò ſacrilegio, rapiniſq; congeſta ſunt, ſervari diu non poſſunt. Rogerius puer Apuliæ Dux dum imprudentius è feneſtra Piſanæ turris multitudinem inſpecturus caput effert, à Dario quodam ictu ſagittæ percuſſus eſt, quod vulnus etſi lethale nō eſſet, tamen quia cum puer Patri gratulaturus occurreret, hic iratus quod eum ſibi conjurati prępoſuiſſent, tam vehementi ictu pedis ejecit, ut puer cum impetu rueret; atque obductum pene vulnus recrudeſceret, quo tandem infelix puer omnium dolore extinctus eſt. Quo facto, Gulielmus oſtendit, quid impotens ira poſſet: quę dum ſęvire in externos nequit, in domeſticos vehementius invehitur. Ea mox ſedata, tantum ex filii fato dolorem concepit, tantum ex præterita ignominia mœrorem, ut regia majeſtate depoſita, męſtus, ac ſolus domi ſederet, ancepſque conſilii in quam ſe partem in tam inſigni mutatione fortunæ converteret, ignoraret. Fores patere univerſis juſſit, vetuitq; milites de more excubare. Hinc factum ut cunctis in palatium aditus diu, noctuque nulla perſonarum acceptione pateret, plurimiq; ad eum confluerent, quos ipſe humaniter excipiebat, eiſque non ſine lacrymis ſuas miſerias enarrabat: eoſdem ad miſericordiam, ac fletum provocabat. Quique illum vehementer oderant, magis flectebantur. Doctus ipſe ſua calamitate humaniorem præ ſe animum erga populos gerere: & hi dejectione majeſtatis humanas vices contuentes, miſericordiam in Principem concipiebant. Tandem à Præſulibus, ac Proceribus, qui ad eum inviſendum quotidie confluebant, admonitus, in palatii atrium deſcendit; ubi plebs coacta expectabat: ibi univerſorum fidem, & quam erga ſe obſervantiam exhibuiſſent, pluribus laudavit: eoſque hortatus, ut in ea quemadmodum cęperant, permanerent: cæterum ſe ſcire eam calamitatem, quam à ſuis perpeſsus fuerat, juſtè meruiſse, quod Divinam Legem neglexiſset, ſuæ fidei commiſsum à Deo populum acerbè vexaſset, de inimicis atrociter vindictam ſumpſiſset, atque Eccleſiam, & Summos Pontifices parvi fecisſet. At curaturum ſe, ut in poſterum mores emendaret: præteritorumque pęnitentiam ageret, cumque ubertim lacrymæ proſilirent; ut proferre ulterius ſermonem nequiret, Syracuſanus Antiſtes, ejus vicem ſubiens, plura ad plebem diſseruit: quibus Regis mentem, ac benevolum erga eos animum expoſuit; qua oratione Panormitani deliniti melius

lius ſperare Regem juſserunt, ſeque in illius auxilium in omnem caſum præſto futuros ſpoponderunt. Atque hæc ubi acta ſunt, Rex in ſecretius conclave, reliqui ad ſua conceſserunt.

Non multo poſt quam hæc Panormi geſta ſunt, nunciatum Regi conjuratos unà cum Bonello, Tancredo, Simone Comite, Rogerio Sclavo ejus filio, Gulielmo Aleſino, & Alexandro Comberſanenſi, ad Caccabum plurima armatorum manu conſediſse. Quo cognito, Legatum ad Bonellum mittit, ut ab eo peteret, quorſum tantam apud ſe multitudinem in armis haberet? num nam ipſe etiam unus ex conjuratis eſset? Bonellus ad Regis poſtulatum reſpondit, ſe nihil omnino de conjuratione ſciviſse: mirari ſe tamen, inquit, quod ipſe tot Proceres, ac conſanguineos ſuos ad extrema compuliſset, tot etiam populos, tot urbes, qui ab eo non leviter offenſi, ad vim confugiſsent, atque in deſperationem acti violenta conſilia cepiſsent, tam immaniter exaſperaſset. Cæterum leges adeo inſolentes, atque iniquas, & antiquis omnino contrarias, quas ipſe tulerat, & eam vel maximè, qua jubebat, ne parentes inſcio Principe, filias nuptui darent, à populo tam culto, ac bellicoſo, quem continere ipſe in officio non potuiſset, haud tolerandas eſse. Quod ſi eas leges, ac ſtatuta, quæ tyrannidem ſapiebant, aboleviſset; illaſque ſolum teneri, quas Guiſcardus, & Rogerius tulerant, contentus eſset, fieri poſse, ut pacatum regnum obtineret. Hæc poſtquam Regi renunciata, reſponderi Bonello mandavit, ſe nihil ipſorum timore abrogaturum. Si verò arma deponerent, & pacifici ad ſe venientes cauſas conjurationis exponerent, & quas tanti motus rationes habuiſsent; ſe ea, quæ minimè probarentur, emendaturum. Hæc Regis reſponſio haud grata conjuratis fuit: inque Bonellum invehi cœperunt, quaſi nimia cunctatione omnem rei eventum corrupiſset. Bonellus his ſociorum querelis irritatus ſtatim copias Panormum ducit, atque in conſpectu urbis caſtra poſuit. Gulielmus, re cognita, Meſsanam ad illius urbis Præfectum, Strategum græco vocabulo vulgus appellat, ſcripſit, ut roſtratas, quæ in eo portu erant, cum militibus, & commeatibus Panormum illico tranſmitteret. Interea Bonelli adventu adeo turbatæ Panormi res ſunt, tantus populo timor incuſsus, ut minimè dubium, quin, ſi urbem intraſset, Regem iterum vinctum habuiſset. Verum quia varia ſemper conjuratorum conſilia, novoque ſemper ſuperveniente æſtu agitantur; ille neſcio quo caſu mutatus, urbe omiſsa, Caccabum reverſus eſt. Non multo poſt è plurimis inſulæ locis ingens armatorum multitudo Panormum ad ferendam Regi opem confluxit, quibus ille animos reſumpſit; conjuratorumque vires dejectæ. Quocirca facile per Robertum Canonicum Panormitanum pax cum Bonello his conditionibus compoſita; Ipſe tam-

quam

pentina varietas, plurima regiæ domui, totique regno incommoda attulit, quibus diu laboratum; nam præter plurimam nobilitatem amiſſam, magna pars theſaurorum, quos in extremos casus Rogerius aſſervaverat, & Gulielmus ipſe ſummoperè auxerat, uno die diſſipata: quod quidem minimè mirum videri debet, ſi quis animo reputaverit eam pecuniam Eccleſiarum expilatione, privatorumque direptione partam fuiſſe: quæ verò ſacrilegio, rapiniſq; congeſta ſunt, ſervari diu non poſſunt. Rogerius puer Apuliæ Dux dum imprudentius è feneſtra Piſanæ turris multitudinem inſpecturus caput effert, à Dario quodam ictu ſagittæ percuſſus eſt, quod vulnus etſi lethale nō eſset, tamen quia cum puer Patri gratulaturus occurreret, hic iratus quod eum ſibi conjurati præpoſuiſſent, tam vehementi ictu pedis ejecit, ut puer cum impetu rueret; atque obductum pene vulnus recrudeſceret, quo tandem infelix puer omnium dolore extinctus eſt. Quo facto, Gulielmus oſtendit, quid impotens ira poſſet: quę dum ſęvire in externos nequit, in domeſticos vehementius invehitur. Ea mox ſedata, tantum ex filii fato dolorem concepit, tantum ex præterita ignominia mœrorem, ut regia majeſtate depoſita, męſtus, ac ſolus domi ſederet, ancepſque conſilii in quam ſe partem in tam inſigni mutatione fortunæ converteret, ignoraret. Fores patere univerſis juſſit, vetuitq; milites de more excubare. Hinc factum ut cunctis in palatium aditus diu, noctuque nulla perſonarum acceptione pateret, plurimiq; ad eum confluerent, quos ipſe humaniter excipiebat, eiſque non ſine lacrymis ſuas miſerias enarrabat: eoſdem ad miſericordiam, ac fletum provocabat. Quique illum vehementer oderant, magis flectebantur. Doctus ipſe ſua calamitate humaniorem præ ſe animum erga populos gerere: & hi dejectione majeſtatis humanas vices contuentes, miſericordiam in Principem concipiebant. Tandem à Præſulibus, ac Proceribus, qui ad eum inviſendum quotidie confluebant, admonitus, in palatii atrium deſcendit; ubi plebs coacta expectabat: ibi univerſorum fidem, & quam erga ſe obſervantiam exhibuiſſent, pluribus laudavit: eoſque hortatus, ut in ea quemadmodum cęperant, permanerent: cæterum ſe ſcire eam calamitatem, quam à ſuis perpeſsus fuerat, juſtè meruiſse, quod Divinam Legem neglexiſset, ſuæ fidei commiſsum à Deo populum acerbè vexaſset, de inimicis atrociter vindictam ſumpſiſset, atque Eccleſiam, & Summos Pontifices parvi fecisset. At curaturum ſe, ut in poſterum mores emendaret: præteritorumque pęnitentiam ageret, cumque ubertim lacrymæ proſilirent; ut proferre ulterius ſermonem nequiret, Syracuſanus Antiſtes, ejus vicem ſubiens, plura ad plebem diſseruit: quibus Regis mentem, ac benevolum erga eos animum expoſuit; qua oratione Panormitani deliniti melius

lius ſperare Regem juſſerunt, ſeque in illius auxilium in omnem caſum præſto futuros ſpoponderunt. Atque hæc ubi acta ſunt, Rex in ſecretius conclave, reliqui ad ſua conceſſerunt.

Non multo poſt quam hæc Panormi geſta ſunt, nunciatum Regi conjuratos unà cum Bonello, Tancredo, Simone Comite, Rogerio Sclavo eius filio, Gulielmo Aleſino, & Alexandro Comberſanenſi, ad Caccabum plurima armatorum manu conſediſse. Quo cognito, Legatum ad Bonellum mittit, ut ab eo peteret, quorſum tantam apud ſe multitudinem in armis haberet? num nam ipſe etiam unus ex conjuratis eſset? Bonellus ad Regis poſtulatum reſpondit, ſe nihil omnino de conjuratione ſcivisſe: mirari ſe tamen, inquit, quod ipſe tot Proceres, ac conſanguineos ſuos ad extrema compuliſset, tot etiam populos, tot urbes, qui ab eo non leviter offenſi, ad vim confugiſsent, atque in deſperationem acti violenta conſilia cepiſsent, tam immaniter exaſperaſset. Cæterum leges adeo inſolentes, atque iniquas, & antiquis omnino contrarias, quas ipſe tulerat, & eam vel maximè, qua jubebat, ne parentes inſcio Principe, filias nuptui darent, à populo tam culto, ac bellicoſo, quem continere ipſe in officio non potuiſset, haud tolerandas eſse. Quod ſi eas leges, ac ſtatuta, quæ tyrannidem ſapiebant, abolevisſet; illaſque ſolum teneri, quas Guiſcardus, & Rogerius tulerant, contentus eſset, fieri poſse, ut pacatum regnum obtineret. Hæc poſtquam Regi renunciata, reſponderi Bonello mandavit, ſe nihil ipſorum timore abrogaturum. Si verò arma deponerent, & pacifici ad ſe venientes cauſas conjurationis exponerent, & quas tanti motus rationes habuiſsent; ſe ea, quæ minimè probarentur, emendaturum. Hæc Regis reſponſio haud grata conjuratis fuit: inque Bonellum invehi cœperunt, quaſi nimia cunctatione omnem rei eventum corrupiſset. Bonellus his ſociorum querelis irritatus ſtatim copias Panormum ducit, atque in conſpectu urbis caſtra poſuit. Gulielmus, re cognita, Meſsanam ad illius urbis Præfectum, Strategum græco vocabulo vulgus appellat, ſcripſit, ut roſtratas, quæ in eo portu erant, cum militibus, & commeatibus Panormum illico tranſmitteret. Interea Bonelli adventu adeo turbatæ Panormi res ſunt, tantus populo timor incuſsus, ut minimè dubium, quin, ſi urbem intraſset, Regem iterum vinctum habuiſset. Verum quia varia ſemper conjuratorum conſilia, novoque ſemper ſuperveniente æſtu agitantur; ille neſcio quo caſu mutatus, urbe omiſsa, Caccabum reverſus eſt. Non multo poſt è plurimis inſulæ locis ingens armatorum multitudo Panormum ad ferendam Regi opem confluxit, quibus ille animos reſumpſit; conjuratorumque vires dejectæ. Quocirca facile per Robertum Canonicum Panormitanum pax cum Bonello his conditionibus compoſita; Ipſe tam-

quam

quam à crimine immunis in Regis gratiam reciperetur: reliqui conjurati liberi extra Siciliam regiis navibus tranſducerentur. Pace utrinque firmata, Bonellus ſumma populi gratulatione, lętitiaque in urbem receptus, reliqui in Italiam tranſvecti. Abellino Comiti ob affectam ætatem Gulielmus pepercit. Riccardus Mandra Panormi retentus, & militibus præfectus eſt.

Dum hæc Panormi agebantur, Rogerius Sclavus unà cum Tancredi Ducis filiis, qui antequam Bonellus reduceretur, ab eo diſceſſerant, jis copiis, quas ipſi coëgerant; Plutiam urbem, Buterium, aliaque Longobardorum oppida partim vi, partim deditione acceperunt. Inde in Saracenos, quorum ingens adhuc numerus in Sicilia habitabat, iram effuderunt: hi ad auſtralem inſulæ partem confugientes, ſalutem quæſivere. Leontinos ſubinde campos depopulati, Catanam, & Syracuſas uſque magno earum gentium terrore excurrerunt, Regii Duces conjuratorum armis perculſi obviam procedere non auſi. Nec minor in Regis animum timor injectus, qui ratus illa non ſine Bonelli conſilio fieri, in palatium de more venientem comprehendi imperavit: captumque in tetrum carcerem conjecit. Itaque prudens vir uti primum calamitatem ab ſe avertere ſtuduit, ita nimia mox fiducia accerſivit. Neſciebat, injurias haud obliviſci Principes: & ubi levis occaſio daretur, acrius exarſuros; novoque prætextu vetus odium ſaturaturos: ſed cœca mortalium mens pręſenti felicitate capta, futuri providentiam deponit. At Panormitana plebs, quæ miro Bonelli ſtudio tenebatur, ubi captum illum cognovit, in iram vehementer exarſit: inq; Regem ingens tumultus excitatus: facto mox agmine armati in palatium progrediuntur, Bonellum è vinculis erepturi. Verum Prætoriani milites, ſimul ac id præſenſerunt, portam occluſerunt. Id ſuſpicacem Regis animum magis accendit, & ne periculum in mora eſſet, immane conſilium, ac præceps cepit: Bonello oculos eruit, nervoſque ad talos præcidit. Quo barbaro more Normanni Græcos imitati frequenter uſi ſunt. Joannem Romanum, Matthæum à S. Lucia, & Rogerium Martoranum, quos ſuſpectos pariter habebat, oculis orbavit, atque in vincula conjecit, neque ulli ex conjuratis, qui ad manus venerunt, pepercit. Hoc peracto de conjuratis ſupplicio, animos reſumpſit: vires mox comparat; accurrente ad eum multitudine, quæ leviſſimæ inſtar auræ, mutata jam erat; urbe tandem cum armatis egreſſus, in hoſtes movet. Et primum impetum in Plutiam urbem fecit, quæ cum modico præſidio teneretur, nullo labore cepit, captamque evertit. Inde Buterium, quò ſe conjurati, comperto Regis adventu, cuncti receperant, copias duxit, munitumque licet oppidum eſſet, ſtatim obſedit. Rogerius, & Tancredus tum milites, tum oppidanos ad

de-

defendendum fortiter oppidum vehementer hortati, ipſi inter primos pro mœnibus ad repellendum hoſtem aſtiterunt. Et quidem tanto animi ardore muros, & ſitu, & munitione validos tutati, ut difficile expugnatu oppidum eſſet. At cum deficiente ſenſim annona laborari cepiſſet, nec inferri novi commeatus poſſent, ad deditionem oppidani pendebant. Id Proceres intelligentes, & ipſi ea conditione deditionem fecerunt; ut oppidum Regi traderetur, ipſi liberi, quò vellent, abirent. Gulielmus Buterium funditus evertit, atque edicto habitari in poſterum vetuit: conjurati navibus conſcenſis in Græciam navigarunt.

Dum verò civilibus motibus Sicilia jactabatur, haud quieta Apulia, Calabriaque fuit. Robertus Laureti Comes non omittendam occaſionem ratus, copias in Apuliam induxit: ad Orgeolum plures ſibi Proceres, qui ob Majonis ſuperbiam infenſi Gulielmo erant, adjunxit, quorum auxiliis ſuffultus, magnam ejus provinciæ partem occupavit. In Calabria Cariathenſis domina, virilis animi mulier Tabernam munitiſſimum tum oppidum præſidio, & commeatu adverſus Regem firmaverat. Gulielmus his tumultibus permotus, Buterio capto, ac Sicilia pacata, illico in Italiam trajicere, ne hoſtes ad ſe muniendum tempus haberent, conſtituit. Milite navibus impoſito, brevi in Calabriam curſu pervenit: copiaſq; Tabernam movet. Oppidum ad Silæ montis radices edito in loco poſitum, haud facilem oppugnati aditum præbet, ideoque Regii Duces eam oppugnationem in opportunius tempus transferendam cenſebant: inque Apuliam, ubi major belli moles erat, ſigna convertenda. At Rex turpe ducens ſe ab una fœmina ſuperari, expugnare oppidum conſtituit: nec ab eo niſi victor diſcedere. Magno igitur militum ardore expugnari cœptum. Cohors veteranorum ut proximum urbi collem occuparent immiſſa, reliqui muros aggreſſi. Oppidani adeò fortiter Regios excepere, ut plurimis primo aſſultu deſideratis, pedem referre coacti ſint. Quo viſo, qui collem occupaverant, ſuorum ſtrage cognita, ad caſtra redierunt. Gulielmus nihil de ſententia mutatus: invadi iterum oppidum jubet; ſignumque militi facit. Primi, qui in hoſtem vadunt, tumulum quendam modica planitie extentum, muriſque propinquum occupant, dein ſcalis admotis, mœnia, quæ negligenter ex ea parte ſervabantur, magno niſu conſcendunt; urbemque ingreſſi capiunt, ac diripiunt. Loci Domina una cum Matre, Alpherio, & Thoma avunculis capta, & ad Regem deducta. De viris ſupplicium ſumptum: fœminæ carceri addictæ. At Robertus poſtquam captam Tabernam, ac deletam audivit; etſi & numero, & virtute ſuperiores Regiis copias ſub ſignis haberet, quia vero plurimi in exercitu Longobardi erant, quorum dubia ſemper fides habita, veri-

ſus,

tus, ne ſe relicto, ad Gulielmum transfugerent, ſatius duxit prælio abſtinere; præſentique fortunæ cedere, quam incerto unius pugnæ eventu in ultimam ſe ruinam conjicere. Ex itinere Tarentum redivit: ibique præſidio relicto, per Daunios, ac Samnites magnis itineribus in Frentanos reverſus. Gulielmus per Metapontinum agrum Tarentum movit; ſtatimque oppidum dedentibus ultrò ſe civibus recepit. Robertiani milites ſuſpendio extra portam necati. Tarento tam brevi recepto, cuncta loca, quæ ad Robertum defecerant, ad Regis obſequium redierunt, quibus ille, ut theſaurorum direptionem reſarciret, magnam cunctis pecuniam imperavit. Reliqui Comites, Jonathas Compſanus, Riccardus Fundanus, Rogerius Acerranus, Marinus Burellus, adventu Regis perterriti fuga ſalutem quęſiverunt. Abellinenſis, quod Regis injuſſu Phœniſſæ Sanſeveriniæ filiam duxerat, reus habitus, fuga pariter Gulielmi iram evitavit. Porrò Gulielmus, Apuliæ rebus compoſitis, in Picentinos deſcendit, ac Salernum Principem earum gentium urbem cum exercitu venit. Ex Salernitanis, qui defectionis authores fuerant, comperto Regis adventu, urbe exceſſerunt; inque varia loca dilapſi è præſenti ſe ruina ſubduxerunt. Primores verò ex reliquis obviam Regi proceſſerunt, eumque vehementer rogaverunt, ut urbem in gratiam reciperet: nec quod paucorum crimen fuerat, in communem culpam verteret: illos ſuamet conſcientia damnatos fugam arripuiſſe. Gulielmus, qui nihilo mitior tot calamitatibus evaſerat, accedere ad eos vetuit: atque extra urbem conſedit, eamque à fundamentis evertere conſtituit, ut quemadmodum Barium in ſupero mari, ita in infero Salernum ſuæ ſęvitiæ exemplum eſſet. Quod & feciſset; ni Riccardus Epiſcopus Syracuſanus deſignatus, & Sylveſter Comes Matthæi Notarii precibus moti Regem adjiſſent: eumque vehementer rogaſſent, ne ſineret tam præclaram urbem everti, quæ celeberrimi Principatus ſedes tot annos extitiſset. Rex horum tandem precibus victus urbi pepercit: adduci tamen omnes ad ſe voluit, qui participes conjurationis fuiſſent, eoſque illico ſuſpendio ſuſtulit. Notarius, ut eo prætextu privatam injuriam ulciſceretur, quendam adduci tanquam conjurationis caput, imperavit, qui præter jurgia, quæ cum Notarii conſanguineis, nihil omnino criminis commiſerat: ſumptum tamen de innocente ſupplicium, quod non inultum Deus reliquit. Nam cum ſerenum prius cęlum eſſet; & nulla prorſus nubium veſtigia extarent, tam vehemens ex improviſo coorta tempeſtas eſt, ut univerſa penè caſtrorum tentoria, & Regium vel imprimis dejecerit, magnumque cunctis terrorem incuſſerit; eoque turbine Notarii ædes, in quibus neptis ſuæ ſponſalia celebrabantur, & Matronarum, Procerumque refertæ erant;

re-

repente convulſæ corruerunt, earumque ruina puella unà cum LX circiter nobilibus viris, ac matronis oppreſſa. Quo exemplo cavere cæteri poſſunt ne publicæ ultionis prætextu privatis odiis deſerviant.

Porrò Gulielmus Salerno in gratiam recepto, Apuliaque omni, Calabriaque pacata, in Siciliam victor reverſus, cumque vacuum hoſtibus regnum videret (nam Robertus cum plurimis ex Proceribus ad Germanicum Imperatorem; Tancredus cum reliquis ad Græcum confugerat) curas omnes belli depoſuit, iterumq; domi abditus totum ſe otio conceſſit. Non multo poſt Sylveſtro Comite è vivis ſublato, Syracuſanus Antiſtes, & Matthæus Notarius ſoli univerſa adminiſtrabant, additus mox tertius Comes Gaytus Petrus Eunuchus, qui Camerarii munus obibat. Verum Notarius, cujus ſagacior mens erat, potentia aliis præſtabat, qua tandem abuti, ut plerique mortales ſolent, palam incepit, Majoniſq; artes imitatus, illius apud Regem locum affectabat; idque ut facilè aſſequeretur, æmulos officiis, Regem adulatione delinire ſummo ſtudio conabatur. At Gulielmus etſi otioſus ageret, anceps tamen, pavidusque ſemper animo erat, ſibique ab omnibus timebat; idcirco ut tutior viveret, plures arces ædificavit; quaſi verò his, & non populorum benevolentia, regna ſervarentur. Inter cæteras duæ Neapoli extructæ, una in inſula Lucullana, quæ ab eadem nomen obtinuit, minores ab ovo, cujus figuram imitatur, nomen indiderunt, altera ad eam urbis regionem; quæ Capuam ducebat, ideoque Capuanum caſtrum nuncupatum; ubi noſtra ætate Tribunalia inſtituta, magnoque Litigantium concurſu jus dicitur. Per id tempus inopinus caſus accidit, quo non parum Gulielmi quies agitata, in Regii Palatii carcere vincti quidam variis de cauſis detinebantur, qui veniam commiſſorum deſperantes, ſi quo modo evadere poſſent, audaci facto tentandum ſibi decreverunt. Cuſtodibus pecunia corruptis, ubi opportunum tempus nacti, impetu capto, in palatii portam irrumpunt, Anſaldum Præfectum ad eam ſedentem occiſuri. Anſaldus ſimul ac ruentes in ſe homines vidit, celeri ſaltu extra interiorem ſe conjecit, eamque quam maximo potuit niſu ad ſe attraxit, atque occluſit, ſeque in tuto collocavit: illi ea ſpe fruſtrati ad interiorem palatii ingreſſum ſe converterunt, ſive ut ad Regem pergerent, ſive ad Scholam, ubi Regii pueri à Gualterio inſtruebantur, qui tumultu cognito ſtatim eoſdem pueros in Campanariam turrim, quæ ad meridiem obverſa in angulo palatii erat, ſolicitè induxerat. Interea Oddo Stabuli magiſter cum plurima armatorum manu occurrens tumultuantes ad unum omnes occidit: eorumque cadavera canibus objecit, & ne ſepelirentur Rex vetuit. Ne verò tertium ſibi, ſuiſque peri-

periculum oriretur, vinctos in Maris Caſtrum, ita Panormitanam arcem vulgò vocant, transferri in poſterum juſſit. Ne vero ſibi otium turbaretur, ſeria regni negotia, quæque injicere animo curas valuiſſent, deferri ad ſe prohibuit. Verum quamvis invito ſummum ei negotium fata attulere. Nam dyſenteria correptus, poſtquam duos cum ejus morbi genere menſes cōflictatus eſſet, viſus ex Medicorum ſententia convaleſcere; at brevi ab eadem lue iterum invaſus, ſupremum diem obivit: ætatis ſuæ anno XLV., Regni XVI., ab orbe inſtaurato MCLXVI. Antequam è vivis excederet, Regni Proceres ad ſe vocari juſſit, & Salernitanum, & Rheginum Præſulem in primis; & coram his teſtamenti tabulas condidit. Gulielmum filium hæredem regni inſtituit, Henricum natu minorem Capuæ Principem, quo jam honore inſignìverat, eſſe juſſit. Regni adminiſtrationem in Margaritam uxorem tranſtulit; eamque tenere quoad filii adoleviſſent, quorum major Gulielmus undecimum tum annum attigerat. Statuit ut Syracuſanus Epiſcopus deſignatus, & Gaytus Petrus Eunuchus, quos ipſe à conſiliis adhibuerat, eadem dignitate, officioque apud Reginam manerent. Cadaver regia pompa elatum; inque æde Principe conditum, quod poſtea à Margarita uxore in Templum Regii Montis ingenti ſumptu à filio extructum, translatum eſt. Titulus tumulo ex porphyrite facto non eſt additus, quia fortaſſe illo dignus non habitus. Gulielmus uxorem duxit Margaritam Garſiæ II. Navarrei Regis filiam: ex qua tres liberos ſuſcepit, Rogerium Apuliæ Ducem, qui Patri præmortuus, Gulielmus, qui ei ſucceſſit, & Henricum Capuæ Principem. Hic obiit anno MCLXX., inque eadem æde Regii Montis juxta fratris tumulum conditus. Hos juxta Matris inde ſepulchrum anno MCLXXXIII., quo hæc è vivis exceſſit, extructum eſt. Cæterum ex Gulielmi fato ingens Panormi luctus, cujus mortem non ante Margarita evulgavit, quam ea, quæ ad novum Regem inaugurandum neceſſaria erant, præparata forent; ne quid interea gentes novaſſent: illis verò diſpoſitis ad juſta marito perſolvenda proceſſit.

HI.

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ

LIBER DECIMUSQUARTUS.

POſteaquam Regio more Gulielmo eſt parentatum, ejus filius hujus nominis II. ingenti gaudio Rex ab univerſo populo ſalutatus: cunctiq; magnam ex eo ſpem conceperunt. etenim præclara in adoleſcente indoles prælucebat: & judicio, prudentiaque ætatem præcurrens, eam præ ſe gravitatem ferebat, quam maturo in viro vix inveniſſes. Non Patris vitia, ſed Avorum virtutes, ac geſta æmulari ſtudebat, quo circa nihil ex parente, niſi genus traxiſſe videbatur: quod uti in hominibus rarum, ita ſummopere laudabile. Siquidem ea hominum natura eſt; ut facilè in parentum mores filii tranſeant: inque vitia magis, quam virtutes ſuopte ingenio delabantur. His verò tantum ſibi gentium amorem conciliavit, ut ab omnibus unicè amaretur. Ut vero politioribus literis imbueretur, Petrus Bleſenſis ſui temporis diſertiſſimus è Gallia evocatus, qui deinde Neapolitanus Præſul deſignatus, eam dignitatem conſtantiſſimè reſpuit, veritus ne Siculorum conjuratione, qui in Stephanum Perticenſis Comitis filium, ac univerſos Gallos conſpiraverant, & ipſe opprimeretur: pluris eruditum otium, animique tranquillitatem, quam honores vel maximos faciens. Quocirca, eo Præſulatum recuſante, Sergius III.

Civis Neapolitanus Præſul ab Alexandro III. anno MCLXXI. creatus eſt, vir eo honore perquam dignus, ejuſque plurima in ſibi commiſſæ utilitatem Eccleſiæ geſta in annalibus memorantur. Anno MCLXXIX., vel ut alii contendunt MCLXXX. in Lateranenſi Conventu ſub eodem Alexandro habito, inter Patres conſedit.

Dum hæc in Sicilia, atque ulteriore Italia, quæ ſub Apuliæ nomine comprehendebatur, tum temporis agerentur, citerior, & Friderici bello, & Germanorum Præfectorum avaritia, atque immanitate ita miſerè vexabatur; ut dura quamvis Longobardorum tempora expetenda afflictis populis viderentur. Fridericus, qui Alexandro Paſchalem Pſeudopontificem oppoſuerat, totis eum viribus tuebatur, pluribuſque quà vi, quà præmiorum ſpe, ad ſuas partes pertractis, pernicioſo Eccleſiam diſſidio lacerabat. Alexander, qui ut eam abſe procellam averteret, tempeſtivè in Galliam confugerat; redire tandem ad Principem urbem, ſedemque ſuam repetere conſtituit; ut Romanos, alioſque populos Friderici, Germanorumque inſolentiæ pertęſos, in fide contineret: & ut propior acciſis rebus aliquo modo ſuccurreret. Eo conſilio capto, Sveſſione, ubi ſedebat, in Provinciam, ac Peſſulanum Montem venit, inde ad mare profectus roſtratas à Ludovico Rege miſſas conſcendit. Cardinales Dromonem Jeroſolymitanum cum fortibus viris ſubierunt, jactiſque in altum anchoris, Pontificem expectabant. Interea piratæ ea litora circumvecti Dromonem invadunt. Pontifex cum id animadvertiſſet, Megalonenſem in portum confugit: Cardinales piratis vi pulſis, & ſecundum ventum nacti, non expectato Pontifice, in Siciliam navigarunt. Alexander altera navi, quæ parata ad navigandum erat, proſpero curſu ad eandem inſulam pervenit. Hic à Gulielmo honorificè exceptus, perq; dies aliquot munificè tractatus, navibus dein ab eo Rege acceptis, Salernum, ac Romam ſubinde eſt delatus, ſummaque lętitia ab omnibus ordinibus exceptus.

Porrò Gulielmus cùm jam adultior regni adminiſtrationem ſubjiſſet, ea virtute Principatum auſpicatus, à qua Pater magnoperè alienus fuerat: ea verò liberalitas, ac munificentia fuit: quaſi vitia Patris emendare ipſe voluiſſet, ſtipendia militibus auxit, & vectigalia civibus diminuit, aſſerens eum Principem ditiſſimum, ac potentiſſimum eſſe, cujus populi divitiis affluerent: honeſtatem adeo coluit; ut in juvene Principe prope miraculum fuerit: tanta comitate præditus, ut cum æqualibus agere, non cum ſubditis crederetur, invidiamque virtute, quod perarduum eſt, ſuperavit: quibus regiis animi dotibus tantam ſibi gloriam, atque exiſtimationem apud gentes conquiſivit; ut Avorum glorioſum cæteroqui nomen facile adequaverit; nec Robertus, nec Rogerii, quos unus ipſe refe-

rebat,

rebat, amplius deſiderabantur; illudque facilè obtinuit, quod pauci admodum adepti ſunt, ut ſcilicet Boni cognomine denominaretur. Ut autem populorum de ſe judicium comprobaret, ſimul ac regni gubernacula ſuſcepit, aperiri carceres juſſit, atque univerſos, qui vincti detinebantur, liberos dimitti, intolerabilem eam multam, quam pater Redemptionis titulo impoſuerat, omnino ſuſtulit: exules revocavit; eiſque bona, quibus ob majeſtatis, aliave crimina, exuti à parente fuerant, reſtituit: ea oppida, quæ vel rebellaverant, vel ultro ſe in rebellium poteſtatem tradiderant, in gratiam accepit; oneribuſque, quibus ſupra modum gravabantur, levavit. Inter primas verò novi Regis curas, Catholicæ Religionis fuit, quæ ſi deſit, haud diu teneri regna, ac pace frui poſſe optimè intelligebat: inque Romanum Pontificem obſequentiſſimum ſe præbuit, domeſtico exemplo doctus ærumnas omnes, ac calamitates, quibus genitor toties penè oppreſſus, ex eo ortas, quod Romanos Pontifices, non uti par erat, coluiſſet: vique ea extorquere maluiſſet, quæ modeſtia, obſervantiaque, quæ virtutes vel in Regibus commendabiles, non difficile impetraſſet. Idcirco ſtatim ac regnum ſuſcepit, Legatos ad Alexandrum III. miſit, qui profiterentur eum Eccleſiæ vectigalem, ejuſque regni poſſeſſionem, quam majores obtinuiſſent, & ipſum habere peterent: futurumque in Pontificis fide; auxiliaque in Eccleſiæ hoſtes exhibiturum. Quod facilè obtinuit: cumque & Friderici armis, & Paſchalis factione premi Alexandrum videret, duas ad eum roſtratas cum ingenti pecunia miſit, ſeque, ſuaque omnia in ſuppetias exhibuit. Alexander, pecunia accepta, quam jis diſtribuit, qui Eccleſiæ partes tuebantur, naves cum duobus Cardinalibus remiſit: juſſitque eos Gulielmum conſulere, quid ſibi in ea temporum difficultate agendum potius eſſet. Tanta prudentis Regis opinio apud Pontificem erat. Gulielmus, cognito Friderici conatu, quo urbem capere moliebatur, cum Romani à Tuſculanis cæſi jam pene de ſalute deſperaverant, Alexandrum hortatus, ut urbe excederet: quod vel ex eo conducere arbitrabatur, quod Fridericus dolo uſus, jubebat, tollendarum litium prætexu, tum Alexandrum, tum Paſchalem ſe Pontificatu abdicare: tertiumque eligi, quem univerſi Pontificem admitterent. Alexander Gulielmi conſilium, quod optimum pro tempore viſum, ſtatim ſecutus, depoſitis inſignibus, nocte intempeſta Terracinam, mox Circejos, Cajetam tandem pervenit, ibi iterùm inſignia aſſumpſit, pluribuſque comitibus ſtipatus, Beneventum ſe recepit. Sequenti anno, qui centeſimus ſexageſimus octavus ſupra milleſimum fuit, Tranſpadani, qui Pontificis partes tuebantur, quorum Principes Mediolanenſes, & Placentini erant, inter Haſtam, & Dertonam novam

ad

ad Tanarum urbem ædificarunt: eamque in Friderici contemptum ab Alexandro Pontifice Alexandriam nuncuparunt. At Papienſes Friderico obſtricti Cęſaream vocari volebant, quod nomen cum non reciperetur, Palearem Alexandriam, quo cognomine ad hæc uſque tempora inſignitur, per jocum dixerunt.

Porrò Fridericus, cognita Pontificis fuga, edicto cavit, ne qua urbs Italiæ illum reciperet: minatus ſe eam à fundamentis everſurum, ſi vel tranſeunti tectum tribuiſſet. Neſciens ejus curæ Numinis Pontificem eſſe, ſub cujus poteſtate omnis amplitudo terrarum eſt: cujus ipſe beneficio non tectum modo, ſed & cœlum, cujus hauſtu viveret, haberet. At efferatus furor, & vindictæ ſtimulus hominis mentem, ne pręſentia reſpiceret, obcęcaverat. Per eoſdem dies Emanuel Orientis Imperator, Friderici, & Alexandri diſſentione comperta, oblatam ſibi occaſionem ratus, qua aboleri in Occidente Cęſarum nomen poſſet, atque in ſe unum omnem Imperii majeſtatem, qua exuti prædeceſſores fuerant, iterum transferret; Legatos Beneventum ad Pontificem miſit: qui ſe Græcam Eccleſiam Romanæ adjuncturum, eaque moleſtia, quà à Friderico vexabatur, omni conatu liberaturum, magnamque ei ſimul pecuniam, qua uti eo tempore ad bellum poſſet, tranſmiſſurum ſponderent; ſi ipſe Occidentis Imperium, ex quo jure, meritoque Fridericus exciderat, ad ſe transferret, & tum Orientis, tum Occidentis Cæſarem appellaret. Alexander cum videret eam petitionem, nec Reipublicæ, nec Eccleſiæ utilem, honeſtamque eſſe, imò majorum diſſentionum cauſam futuram, ex Cardinalium ſententia rejecit. Quæ dum Beneventi agebantur, Romæ Paſchalis diem obivit, cui ſtatim Fridericiani, Pannonem hominem, quem Paſchalis Tuſculanum Epiſcopum vitio creaverat, illicò ſuffecerunt, & Caliſtum III. nuncupaverunt.

Gulielmo nondum pubertatem ingreſſo, Gentilis Agrigentini Præſulis, & Syracuſani deſignati ambitione turbatæ Panormi res ſunt. Hi, ut ſunt plerumque homines, propriis infulis minimè contenti, Panormitanæ, quæ Ugonis morte vacua adhuc erat, aviḋiſſimè inhiabant. Agrigentinus, ut ęmulum tolleret, Reginam; ac Salernitanum, qui in aula erant, unà cum Matthæo Notario adverſus Syracuſanum irritavit: omnique cum illis arte egit, ut è Curia pelleretur. Id cum ipſi efficere haud facile poſſent, Petrum Eunuchum, penes quem regni adminiſtratio erat, ad ſocietatem adduxerunt, imò Margaritam Reginam, & Joannem Cardinalem Neapolitanum, qui per eos dies in urbe verſabatur, & eandem ſibi dari infulam præoptabat, ad ſe pellexerunt. Dum Syracuſanus tot hoſtibus premeretur, Gilbertus Gravinæ Comes Panormum venit; regiaque affinitate fretus ſibi dari publicarum re-

rum

rum adminiſtrationem, Petro, cæteriſque ſubmotis, petebat. Syracuſanus fulciri ſuas partes hujus authoritate commodè poſſe animadvertens, ſtatim ei unà cum reliquis Proceribus adhæſit. Eunuchus tot ſe peti hoſtibus videns, arma experiri ſtatuit, militeſque donis ad ſe allicit, novoſque amicos comparat. At neque his adventantem procellam excutere poſſe intelligens, fuga ſalutem quæſivit. cum domeſticis, ac divitiis, quibus abundè affluebat, paratam navim clam ſubjit, inque Africam urbem ad Saracenorum Regem confugit. Regina cui Eunuchi fuga gravis accidit, Riccardi Comitis conſilio, Gilbertum è Sicilia removere ſtatuit, prætextuque Germanici belli capto, quod Fridericus in Apuliam meditari ferebatur, illum cum exercitu trajicere in Italiam juſſit, ut hoſti occurreret. Gilbertus, etſi ablegari ſe ſpecie honoris probè intelligeret; veritus tamen, ne prævalente æmulorum potentia, à Regina expelleretur, Apuliæ, Campaniæque præfectura ſuſcepta, unà cum Beltrando filio, quem Regina Andriæ Comitem creaverat, è Sicilia diſceſſit. Gilberti locum Riccardus Moliſii Comes occupavit, omnemq; negotiorum curam in ſe tranſtulit. Tum qui in Syracuſanum conſpiraverant, rati Gilberti diſceſſu, nullum opponi jam objicem poſſe, quo ab incepto retardarentur, æmulum opprimere totis viribus adniſi. Joannis Cardinalis commento evulgant, Pontificem Reginæ juſſiſſe, ut deſignati Epiſcopi, quàm primum ſe Romam conferrent, ut ſacro oleo more majorum inungerentur. At Syracuſanus, cognita illorum fraude, amicitiam cum Riccardo injit, quo deinde in Reginæ gratiam receptus; & ſic inanes reddidit adverſariorum artes: atque in hunc modum ortus ſuperiore anno tumultus omnino quievit.

At quoniam nullis contineri terminis mortalium ambitio poteſt, nova turbarum occaſio eſt data. Margarita Stephanum Petricenſis Comitis filium conſobrinum ſuum, quem è Gallia advocaverat, Tabulariis Principem dedit: inque illum magnam publicarum rerum adminiſtrationis partem tranſtulit. Canonicis Panormitanis poteſtatem fecit, ut quem vellent, Præſulem eligerent. Hi poteſtate uſi, eundem Stephanum ſibi Antiſtitem impoſuerunt. Id Matthæus Notarius, qui eam præfecturam Vicario à ſe nominè adminiſtratam, diu ambiverat; & Syracuſanus deſignatus, qui Panormitanæ inſulæ ardenter inhiabat, acerbè tulerunt. Proceres, qui iniquo animo ferebant, tantam in externo homine potentiam, tantoſque honores congeſtos, ſpecie, quod nimia ſeveritate magiſtratum gereret, vulgus in eum commovere nitebantur. Stephanus tum comitate, tum muneribus allicere adverſarios conatus; at cum nihil perficere intelligeret, & non uti Reginæ conſanguineum, ſed tanquam adulterum haberi, unà cum Rege, ac Regina

Digitized by Google

gina Panormo Meſſanam profectus eſt, ibi gratiam apud Meſſanenſes ob id ipſum invenit, quod à Panormitanis odio haberetur. Verum Henricus Canoſii Comes Reginæ germanus, Regiſque avunculus cum ſe Stephano poſthabitum vidiſſet, in eum conſpiravit: plurimis tum ex Siculis, tum ex Calabris ſibi ſacramento adſtrictis ad certam diem illum de medio tollere conſtituit. Regina conjuratione cognita, Henricum in carcerem, mox in Hiſpaniam unde venerat, ablegavit. Riccardum Moliſii Comitem conſpirationis ſocium Taurominitana in arce occluſit: in reliquos conjuratos, ultimo ſupplicio animadverſum. His actis, Regina unà cum Rege Panormum redjit. Hic Matthæus Notarius, Agrigentinus Præſul, & Riccardus Cubicularius, nihil conjuratorum nece territi, facinus, quod ſemel cum reliquis machinati in Stephanum fuerant, perficere adorti, condictumque inter eos eſt, ut eo dominico die, qui Palmarum celebritate ſolemnis, dum Rex unà cum Proceribus, ædibus egrederetur, Eccleſiam aditurus, Tabularium opprimerent. At paulo ante, quam ea ſolemnitas haberetur, detecta conſpiratio; conjuratique vinculis addicti, inque arcem D. Marci tranſportati.

Per idem tempus Oddo Querellus, quem Regina, quod ſe conjuratis adjunxiſſet, Sicilia excedere, atque in Galliam reverti juſſerat, dilata ad tempus profectione, rumores in vulgus ſpargit: Reginam jam Stephano nupſiſſe; itaque cum eo agere, ut Græcis tota Sicilia expulſis, eorum bona Franci advenæ obtinerent; quibus rumoribus ingens Meſſanæ ſeditio eſt ſuſcitata, quæ, ſparſa ab eodem authore Gulielmi morte, magnum ipſo in exordio incrementum cepit. Quæ ubi Panormum delata Regina ad Præfectum ſcripſit, falſos eos rumores eſſe, & à ſeditioſis de induſtria confictos, ut populum ad res novas incitarent: Gulielmum non ſolum vivere, ſed integra uti valetudine; cunctiſque illum conveniendi poteſtatem fieri. Dum verò ad populum in æde Principe convocatum literas Præfectus legeret, quidam è multitudine mortuum Gulielmum alta voce proclamavit: eaſque literas à Tabulariorum Principe, jam Rege facto confictas fuiſſe: alii verò non illum, ſed fratrem Gotifridum, cui Conſtantia deſponſa erat, novum Regem futurum: ideoque Oddonem in Galliam deſtinatum. His dictis, plebs in furorem verſa, ſpreto Præfecti imperio, in carcerem convolant. Comitem educi, ac liberum eſſe jubent. Inde impetu in Oddonem facto capiunt, nudant, aſinoque imponunt, capite ad beſtiæ clunes obverſo, perque urbem circumducunt. Tandem ad civitatis portam pluribus vulneribus confodiunt, membratimque conciſum in cloacas projiciunt. Mox quaſi ſigno dato, Græci populares Francos omnes, ac Tranſalpinos ad unum

tru-

trucidant. Conſcientia deinde patrati facinoris non ſibi ſatis ſecuri, urbem communiunt, ut Regiorum impetum ſuſtinerent. Neq; his contenti Taurominium, & circumpoſita oppidula partim vi, partim pecunia occupant; Riccardumque Comitem ex Taurominitana arce educunt. Quæ ubi Panormum ad Regem delata, Senatus habitus, de cujus ſententia copiæ ſtatim inſtructæ, ut primi rebellium motus opprimerentur: naves, quæ Catanæ erant in mare deductæ, atque armatæ; juſſæque, ne commeatus Meſſanam inferre permitterent. Interea Rogerius Comes audita Meſſanenſium defectione, & ipſe ab Rege defecit, alioſque ad defectionem induxit. Neque Panormus in ea rerum perturbatione quieta fuit, plures enim, quos lucri ſpes audaces faciebat, ſocietatem inter ſe ineunt, ut cum primum à multitudine ad arma conclamaretur, ipſi in Tabularii domum irrumperent, ut congeſtas in ea divitias primi raperent, atque inter ſe partirentur. Id ille cum ab Oddone Stabuli magiſtro reſciviſſet, ſe domi cum armatis ad vim repellendam continuit. Conjurati hac ſpe fruſtrati unà cum Conſtantino ipſorum Duce, plebem ad arma invitant, impetuque concepto, in Tabularii domum irruunt: Herveum unà cum Abellini Comite obviam factum ex equo dejiciunt, ac pluribus ictibus confodiunt: Comitem fugientem inſequuntur, & ni Rex è feneſtra eos iratus increpuiſſet, procul dubio occidiſſent. Inde in Tabularii ædes irrumpunt, qui cum obſiſtere illis nequiret, in vicinæ Eccleſiæ Campanariam turrim unà cum fidis ſibi Proceribus confugit: ſeditioſi domum ingreſſi, cuncta diripiunt. Rex, cognito Stephani periculo, magnam Prætorianorum partem ſub Rogerio Tyronenſi, in ſubſidium mittit: conjurati cuneo facto, in Regios vadunt, eoſque unà cum ipſo Duce Stabuli Comite, in fugam compellunt. Quibus repulſis, ad obſidendam turrim, ex qua ſe Stephanus cum ſuis egregiè defendebat, revertuntur. Interea Notarius, & Riccardus, carcere diffracto, erumpunt, priſtinumque ſibi honorem aſſerentes reliquis ſe conjuratis adjungunt, tubiſque, ac tympanis, præcinentibus ante Stephani domum obequitant. Cives, & præcipuè Saraceni rati ſignum Regis juſſu factum per Eccleſiæ fores vi apertas in Tabularii domum intrant, cunctaque ſubvertunt, ac rapiunt; inde cum expugnare facilè turrim nequirent, faſces aggerant, eam incenſuri. Gulielmum, ne ipſe ad ferendam opem prodiret, Notarius, periculi timore propoſito, abſterruit, nec tutam amplius Majeſtatem futuram, ſi ſemel irata multitudo, non debitam ei reverentiam exhibuiſset. Tandem nunciis utrinque miſſis, his conditionibus ab armis diſceſſum. Stephanus cum Gallis liber ex inſula faceſſeret: Siculi ſine noxa manerent: quæque antea poſſederant, jure retinerent; venia univerſis concederetur. Dum his

turbis Regia occupabatur, Henricus Montis Canoſi, & Riccardus Moliſii Comites, aliique ex Meſſanenſibus Panormum cum roſtratis veniunt, ut Regium magiſtratum pro ſuo arbitrio conſtituerent. Quod in ea rerum perturbatione facilè obtinuerunt.

Anno MCLXXI. (alii in alium id annum referunt) Prid: Nov: Feb: univerſa pene Sicilia cum proxima Calabria horribili jactatione eſt concuſſa. Catana urbs tota ferre corruit, ædibus cunctis ſubito caſu procumbentibus, XV. circiter hominum millia tectis oppreſſa, inter quos Præſul fuit, qui eam ſibi necem meritò acceſſiſſe viſus eſt; ut qui à Gulielmo Malo eam ſibi dignitatem pecunia comparaſſet. Leontini magnopere vexati, plurima ejus tractus oppida ſubverſa, terra pluribus in locis dehiſcens novos fontes aperuit, veteres obſtruxit. Ætna Mons Siciliæ altiſſimus, non nihil ſubſediſſe viſus: Syracuſis celeberrimus fons Arethuſa, ex liquido repentè turbidus evaſit, mariſque ſalſedine admixta dulcorem exuit. Tajus amnis, qui juxta Saracenorum oppidum è montis crepidine profluit, ad duas horas aquas, curſumque continuit: magno ſubinde impetu erumpens per horam ſanguineum laticem emiſit. Meſſanæ principio mare quam longè ab litore receſſit; mox magno æſtu, ac vi refluens, ſenſimque aſſurgens, metaſque transgreſſus, in civium domos violentus irrupit. Quæ prodigia à Gulielmo, & univerſo populo ſolemni ſupplicatione, ac multis hoſtiis procurata.

Dum hæc in Apuliæ, Siciliæque Regno gerebantur, Fridericus Legatos ad Alexandrum miſerat, Bambergenſem Epiſcopum, qui unus ex Germanis Præſulibus cum Alexandro conſentiebat, & Ciſtercienſem, ac Clarevallenſem Abbates, qui ſe rem cum Alexandro compoſituros ultrò promiſerant. Pontifex comperto Legatorum adventu, Benevento Verulos proceſſit: ibique Senatu dato, Bambergenſem de pace loquentem benignè audivit, ſed cùm conditiones, quas Fridericus poſtulabat, è re Federatorum, qui arma pro Eccleſia ſumpſerant, non eſſent, ſibi admittendas non duxit, ideoque re infecta, Legatos dimiſit. Tandem poſt varias clades, ac rerum eventus, quos ſingulos perſequi, non eſt ſuſcepti inſtituti; quia pax haud componi poſſe videbatur, niſi Fridericus, & Alexander ad colloquium venirent; placuit, ut Mutinam ille, hic Bononiam ſe conferret. Quibus conſtitutis, Alexander Anagnia ubi degebat, Beneventum comitantibus Gulielmo Rege, Romualdo Salernitano Præſule, Rogerio Andriæ Comite, aliiſque Proceribus proceſſit, Benevento Trojam, ac Sipontum, poſtremo Veſtiam petivit. Sita hæc ad Gargani montis radicem, qua Orientem Solem, & Adriaticum ſpectat: ſtationemque habet navibus commodam. Hic roſtratæ aliquot à Gulielmo, ab Infero ad Su-

pe-

perum mare tranſmiſſæ, expectabant, quas Pontifex VII. Kal:. Mart: conſcendit, Venetias navigaturus. Verum coorta in ipſo ſuſceptæ navigationis principio ſæva tempeſtate, Jaderam delatus: mari deinde mitigato, ſecundoque vento perflante, Venetias tenuit, qua in urbe à Duce Sebaſtiano, univerſoque Senatu grandi honore ſuſceptus, inque Patriarchæ ædes infinita pene multitudine circumfuſus eſt deductus. Prima die Dominica magni jejunii in Baſilica D. Marci ſacra fecit, & ad Ducem cum Senatu aſtantem orationem habuit. Quarta, cum Roſam de more ſacraſſet, Duci obtulit, qui honor ſummus ducitur. Paſchate, quod eo anno in III. Nov: Aprilis incidit, univerſis Chriſtifidelibus, qui eo die S. Mariæ ædem piè, religioſèque adiviſſent, plenam omnium noxarum remiſſionem indulſit.

Hæc illo agente, Friderici Oratores Mutina Venetias venerunt, Senatuque eis dato, ſuſpectam colloquiis Bononiam ſe putare dixerunt: ideoque alium ad conveniendum locum deſignandum. Tum Alexander Ferrariam ſtatuit, eòque ipſo die una cum Duce, univerſoque Nobilium cœtu ſub Aprilis finem in eam urbem progreditur: cum vero novæ difficultates obortæ eſſent, & alia à Legatis loca poſtularentur, utrique parti honeſtum, ac tutum eſſe viſum, ſi Venetiis congrederentur. Id poſtquam ex utriuſque partis ſententia conſtitutum, Alexander exeunte Majo, ſecundo Pado, Venetias revectus, loco condicto ſacramenta data, atque accepta: Alberti Marchionis filius, Cæſaris Cubicularius coram Alexandro, & Germanis Principibus tum ſacris, tum profanis, in hæc verba juravit: *Juro in animam Friderici Imperatoris, ipſum poſtquam Venetias venerit, omni quæſtione ſepoſita daturum pacem Eccleſiæ ſicut per Cardinales, ac Principes ſuos tractata, & tranſacta eſt*. Pacem, Gulielmo Siciliæ Regi in annos XV., & inducias Longobardis ad ſexennium: & eam jurejurando confirmari juſſurum à Principibus ſuis Mandeburgenſi, Colonienſi, & Moguntino Archiepiſcopis, uti in pacis, atque induciarum tabulis continetur. Sacramento dato, Fridericus, uti jam conſtitutum inter eos erat, Ravenna Clodiam proceſſit: ex qua ad D. Nicolai cœnobium ſe deduxit. Eo loci ipſe, & univerſi Præſules, ac Principes diſſidio, ac Pſeudopontifici renunciarunt: deinde per Antiſtites ab Alexandro ad id conſtitutos ſacro ritu expiati, atque Eccleſiæ redditi. Expiatione peracta, à Duce, omnique populo, ad eam rem accito, magnificè ſuſceptus, inque ipſius Ducis palatium Regius Hoſpes deductus. At priuſquam palatium ſubiret, ad ædem Principem D. Marco ſacram deflexit, ubi ex compoſito Alexander Cardinalibus, ac Præſulibus multis circumſeptus, ac Pontificali habitu indutus ſedebat. Cæſar ædem ingreſſus, eam quam CHRISTI Vicario obedientiam debebat,

humilis exhibuit: pronuſque veneratus, ſacros etiam pedes eſt deoſculatus. Pontifex ſacro illum oſculo excepit: & uti totius Eccleſiæ Patrem decebat, benevolè complexus eſt. Dextrum ſubinde Pontificis latus tegens ædem inivit. Clero interea D. Ambroſii Canticum concinente, Deoque pro tanto beneficio in Chriſtianum Orbem collato gratias agente, cum eo ad maximam aram proceſſit, ac preces de more effudit: poſtremo ad Ducis ædes hoſpitio excipiendus ſe contulit. Atque in hunc modum firmata pax, diſſidiumque abolitum. Caliſtus ad ejuſdem Alexandri pedes venit, eoque honore, quem injuſtè occupaverat, ſe abdicavit: eique Pontifex benignè indulſit. Quæ vero ab aliis de hac re traduntur, & pictura etiam publica Venetiis exprimuntur, minus certa ſunt, nec à gravioribus Authoribus memoriæ mandata: Ajunt enim Pontificem à Cęſare penè oppreſſum coqui habitu Venetias profugiſſe: inque ſordida ea veſte diu latuiſſe: mox agnitum à Duce, eo, quo par erat, honore exceptum, deinde petente Friderico, ut ei Pontifex vinctus traderetur, & negantibus Venetis ſe CHRISTI Vicarium prodituros, conflatum inter eos bellum: atque ingentes utrinque claſſes adornatas: Ducique ad bellum eunti enſem Alexandrum dediſſe, & annulum item, quo Adriatici maris imperium, dotale veluti munus tribuebatur: atque ortam hinc eam ſolemnitatem eſſe, quæ quotannis die Servatori in Cœlum aſcendenti ſacra, magna Venetiis pompa celebratur: poſtea commiſſum prælium; victum Fridericum, & ad Pontificis pedes deductum: quos dum deoſcularetur, Pontificem calcato illius collo, illa Regii vatis uſurpaſſe: *Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem*, eique ſuperbè Ænobarbum, quo cognomento Cæſar à rufa barba denominabatur, repoſuiſſe *Non tibi, ſed Petro*. Addidiſſe contra Alexandrum: *Et mihi, & Petro*: quæ uti dicebam ab Authoribus inferioris notæ referuntur: ne vero quidem ſimilia pro commentis haberi graviores viri volunt, quando nec claſſes tum Fridericus habebat: nec ei tutum eo prælii genere confligere, cum terreſtribus copiis ſuperare Venetos facile potuiſset: ſed utut illa ſe habeant, credat quiſque quod velit, per me licet: ipſe certis ex argumentis firmare ea non auſim.

Alexander, pace Eccleſiæ reddita, roſtratis longis, quas ei Veneti obtulerunt, Sipontum venit, ibi navibus grandi munere, & commeatu remiſſis, ipſe Trojam proceſſit, & mox Beneventum, ubi rebus ejus ditionis compoſitis, Caſſinas cœnobium inviſit, ex quo Anagniam ſe contulit; ibique ſubſtitit. Non enim tutum è veſtigio Romam adire arbitrabatur. At Romani turpe ſibi ducentes non eum Pontificem admittere, quem Cæſar depoſitis odiis, veneratus eſſet: eundemque CHRISTI Vicarium profeſſus, hu-

milis

milis ad pedes accidiſſet; ſeptem ad eum Legatos, Primores civitatis, de componendis controverſiis miſerunt; & licet primum non convenirent, confecta tandem pax eſt; atque omnium ordinum gratulatione Pontifex Romam ingreſſus. Per hæc tempora Joanna Henrici Regis Britannici Gulielmo deſponſa in Italiam venit; & Genuam primum devecta, in quam urbem à Genuenſibus magnificè ſuſcepta. Genua ad virum in Siciliam ſplendido comitatu deducta, regiaque munificentia, quæ utriuſque Regis majeſtatem decebat, nuptiæ celebratæ. Verum quanta lætitia ea pompa peracta, tanto deinde mœrore Regia repleta eſt; nam nullos ex ea liberos ſuſcepit; quæ res diuturni mox belli, multarumque calamitatum cauſa fuit.

Porrò Alexander, poſtquam cuncta Romæ compoſuerat, multis ſtipendiis emeritis diem ultimum obivit: magnumque de ſe ob egregias virtutes deſiderium reliquit. Ejus locum, comitiis ſtatim habitis, Lucius III. occupavit. Per id tempus Emanuel vita exceſſit, filiumque Alexium hæredem Imperii reliquit, tutoremque Andronicum ei dedit; qui humani, divinique juris oblitus juvenem, dum in navicula animi gratia ſpatiatur, ſubmergi juſſit, eoq; ſublato, Imperium invaſit, cunctoſque Latini nominis, qui pupilli fautores erant, & Catholicorum partes tuebantur, impotenti tyrannide vexare cœpit. Gulielmus ubi hæc ab Oriente per ſuos accepit, haud inultam injuriam Latinis illatam, atque innocentis pueri necem ſe paſſurum ſtatuit: & tum Roberti, & Rogerii Avorum, tum Gulielmi patris exemplo incitatus, bellum tyranno inferre decrevit. Multarum navium claſſem comparat, militem ſcribit, commeatus cogit, cumque omnia adornata eſſent, proſperum ventum nactus Conſtantinopolim navigat, tantumque ſuo adventu timorem populis incuſſit; ut jam tumultus in urbe excitarentur; quam certè facilè occupaſſet, ſi audacia, qua res magnæ ſæpè confectæ ſunt, illico uſus fuiſſet. At tutius ſibi duxit, ſi validam prius urbem; portumque, in quem claſſem reduceret, in poteſtatem redegiſſet. Conſilio cum ſuis habito, Theſſalonicam Principem Macedoniæ urbem, in intimo Strymonii ſinus receſſu ſitam, invaſit; eamque machinis adortus brevi labore vi cepit. Exin vicina Thraciæ oppida depopulatus, ingentem ex illis prædam aſportavit. Andronicus, qui ſuorum odio, quorum præcipuos occiderat, ſummopere flagrabat, veritus, ne, ſi infelici prælio pugnaſſet, à ſuis interciperetur, obviam Gulielmo ire non eſt auſus. Id Conſtantinopolitani iniquè ferentes, conjuratione inita, impetuque in eum facto, interfecerunt, ſtatimque Iſacium Peloponneſium, regio genere ortum, Cæſarem ſalutarunt. Hic ſimul ac Auguſtalia accepit, fœdus cum Gulielmo percuſſit, Latinos recepit, Romanæ Eccleſiæ

obe-

obedientiam profeſſus eſt. Lucio dein Pontifice vehementer inſtante, inter Iſacium, & Gulielmum in Saracenos ictum eſt fedus: conſtitutumque inter eos eſt, ut ſoci atis armis barbaros in Palæſtina, ubi in Chriſtianos ſęde ſęvicbant, invaderent. At ſecuta mox Lucii mors rem infectam reliquit. Nempe mulctare Deus Chriſtianos volebat, qui propter vitiorum multitudinem, ac fęditatem & Deo, & barbaris ipſis odio erant. Orientali fędere diſſoluto, arma Gulielmus in Africam convertit, quæ quoniam Siciliæ propinquior, commodius bellum illud, atque utilius futurum videbatur. In eam cum exercitu ingreſſus Marochii Regem obviam cum magnis copiis habuit, qui nihil moratus aciem inſtruxit. Non ſegnior Gulielmus ſuos explicuit: eoſque hortatus, ut eam gloriam, quam ſub Rogerio Avo, majores in ea provincia tot ſibi victoriis comparaverant, ne ipſi obſuſcarent: ſed augere potius, atq; illuſtrare fortibus auſis ſatagerent: reputarent animo eos barbaros illos eſſe, quos è Sicilia expulerant: & quibus devictis, libertatem ſibi pepererant. Signum deinde pugnæ militibus fecit, commiſſumque illico prælium eſt, in quo tanta Siculis vincendi fiducia, tantus ardor pugnandi fuit; ut barbari impetum non ſuſtinentes terga converterint: inque fugam effuſi noſtris victoriam reliquerint: capta caſtra cum omni præda, in qua ipſius Regis filia fuit; eam pater pecunia repeti juſſit, miſſo ad Gulielmum caduceatore, qui nunquam ſe eam redditurum affirmavit, ni Afrodiſium à Rogerio Avo belli jure captum redderetur, quam urbem poſtquam barbarus reſtituit, multo honore, ac munere puella eſt remiſſa: ea victoria, & Afrodiſio recepto, magnam ſibi gloriam apud Chriſtianos Principes Gulielmus eſt adeptus, atque immenſis undique laudibus à populis celebrabatur.

Interea in Oriente Saladinus Saracenorum Rex, Hieroſolymis expugnatis, Tyrum obſedit: machiniſque quotidie urgebat. Id ubi Gulielmus cognovit, XL. roſtratas armari juſſit, & veterano milite, commeatuque abundè inſtrui: claſſe cum exercitu adornata, Margaritonem rei maritimę ſcientiſſimum expeditionis Ducem conſtituit: atque in Syriam quam citiſſime navigare, ut opem obſeſſis maturè inferret, imperavit. Poſt felicem curſum claſſis in Syriam pervenit: hic milite refecto, in conſpectum obſeſſæ urbis ſe explicuit. Ea conſpecta, veritus Saladinus, ne eruptione facta deleretur, obſidionem ſolvit: non tamen ſine ignominia, & cæde receſſit; etenim noſtri ex urbe egreſſi, ac poſtremum agmen aſſecuti, plurimos barbarorum occiderunt.

Dum hæc à Gulielmo proſpero eventu & in Africa, & in Aſia gerebantur, Lucius Pontifex, qui rebellantes Romanos averſatus, Veronam ſeceſſerat; ibique præſente Imperatore, conventum ce-

le-

lebraverat, curis tandem confectus naturæ jura perſolvit. Ei Patres comitiis habitis, Lambertum Mediolanenſem Antiſtitem, qui adlectus inter Purpuratos fuerat, ſuffecerunt: & ſacro ritu inunctum Urbanum III. appellarunt. Hic Lucii exemplo Veronæ ſubſtitit, donec Romæ tumultus componerentur: dum verò Ferrariam ſe confert, tantum ex Syriacis cladibus dolorem accepit, ut animi mœrore confectus XIV. Kal: Nov: ſupremum diem obiverit. Cardinales illius mortem multis lacrymis deflerunt, juſtiſque perſolutis, Albertum Cardinalem civem Beneventanum, Pontificem renunciarunt, & Gregorium VIII. dixerunt, qui Pontificatum vix duos menſes tenuit: ideoque, quæ magna in Saracenos inchoaverat, imperfecta reliquit. At Fridericus, qui Lucio invito, Henricum filium Italiæ Regem creaverat, & Mediolani regiis inſignibus ornaverat, Conſtantiam Rogerii Siculi filiam uxorem à Gulielmo obtinuit, nuptiæque regio apparatu celebratæ: ut Sigonius author eſt, qui plures ejus temporis Scriptores refert: quæ tamen res aliter ab aliis tradita, ut ſuo loco dicetur. Gregorio interea mortuo, Clemens III. ſucceſſor datus. Hic vix, inito Pontificatu, magno in ſacrum fœdus conatu inſtitit. Fœderi ſua nomina dederunt Fridericus Ænobarbus Imperator, Philippus Rex Galliæ, Riccardus Angliæ, Otho Dux Burgundiæ, & Gulielmus Siciliæ Rex. Huic ea cura data, ut ſuis claſſibus, quibus tum maris imperium obtinebat, prædones perſequeretur, ne commeatus, naveſque interciperentur, & ut frumentum ex Apulia proficiſcentibus ſuppeditaret. Verùm hi magni conatus mutuis fœderatorum diſcordiis diſſipati: probatumque novo, & veteri exemplo, Nihil unquam magni ab iis armis confectum, quæ variæ, ac diſcordes manus, animique tractarent. Gulielmus cum præcludi viam ad bellum illud animadverteret, ad ſacra animum tranſduxit, & opportuna quidem materia eſt ſuppeditata. Forte fortuna factum, ut dum locus quidam in palatio effoderetur, ingens patris theſaurus ſit repertus; quia verò pro certo habebat, eam à patre pecuniam non juſtè quæſitam, in ſacros uſus impendere conſtituit. In colle, qui quatuor paſſuum millia Panormi abeſt, magnificam Eccleſiam ædificavit: eamque muſivo opere egregiè laborato exornavit: & Virgini Matri ſolemni ritu dedicavit. Cœnobium juxta extruxit, ac Benedictinis Monachis donavit: immenſos agros, ac divitias attribuit. Cùm verò ſæpius Rex unà cum Proceribus eò loci ventitaret, plurimæ ad inhabitandum ibi ædes excitatæ, caſtellum brevi, mox oppidum, urbs tandem evaſit, & Archipræſulatus honore inſignita, ejuſque Cœnobii Abbas Antiſtes creatus; à Rege authore Regius Mons appellata, in quam Panormo ampliſſima ſtrata eſt via, & fontibus, arboribuſque adornata. Plurimam præ-

terea

Digitized by Google

terea pecuniam Gualterio Panormitano Præſuli elargitus, qua ille & Principem Eccleſiam inſtauravit, & Sancti Spiritus Cœnobium inſtruxit, quod Ciſtercienſibus Monachis ad incolendum attribuit.

Porrò Gulielmus perſuaſum animo habens, fore, ut nullos ex uxore liberos ſuſciperet, tempeſtivè hæredem inſtituere ſtatuit: ne, ſi id ſerò feciſſet, novarum rerum occaſiones præberet: genteſque ad tumultuandum pronæ, motus excitarent. Idcirco Tancredum Rogerii Ducis filium, qui apud Græcos exulabat, unà cum uxore revocare ſtatuit. Legatum Athenas ad eum miſit, qui illum in ſpem regni venire ad ſe juberet. Hic, ut Robertus ſcripſit, ſub cœnobitica veſte, ore deformato, ne agnoſceretur, per Pannoniam in Italiam redivit. Ego facilè crediderim è Græcia in Calabriam navigaſſe: dein trajecto freto Panormum veniſſe, ibi peramanter à Rege exceptus, & Luſpienſis Comes, Magnuſque Regii Stabuli Præfectus creatus. Tancredus gratiis Regi perſolutis, ne ingratus Numini ob tantum collatum in ſe beneficium argueretur, ædem in ſua ditione ædificavit: Diviſque Nicolao, & Cataldo, quos ipſe ſingulari pietate colebat, dedicavit. Cœnobium ædi adjunxit: multiſque ſubinde prædiis auctum Monachis Divi Benedicti donavit. Ratus facilem gradum ad alia beneficia obtinenda, gratam præteritorum memoriam eſſe.

Anno centeſimo octogeſimo nono ſupra milleſimum maximo bonorum omnium dolore Gulielmus cognomento Bonus annos natus XXXVI. fato functus eſt: poſtquam ex illis tres, & viginti regnaverat. Ejus immatura ſanè mors & Siculis, & Apulis, ſacroq; fœderi plurima incommoda attulit: ideoque ex omnium oculis lacrymas elicuit, ac mœrorem cunctis injecit. In ædem Montis Regii ab ſe conditam ſolemni pompa eſt elatus; ibique magnificè ſepultus. Nullas teſtamenti tabulas condidiſſe plures tradunt: alii Conſtantiam Henrico copulatam hæredem inſtituiſſe: atque hinc conflatum bellum, quo Siciliam dotale munus Henricus repetebat. Fuit Gulielmus Normannorum Principum optimus, & talis, qualem diu habere ſubjecti illius imperio populi non merebantnr: vir ad pietatem, morumque probitatem unicè factus, pudicitiam tanquam nobiliſſimam virtutem perpetuò coluit: munificentiam uti peculiarem dotem, benevolentiam tanquam Regi maximè convenientem adamavit: neminem ad ſe accedere paſſus, quem non lætum, votique compotem dimiſerit. Præſules religiosè obſervavit; ſummamque ſacris reverentiam exhibuit: divitias quæſivit, ut effunderet; & tum divitem Regem putabat, cum ſubditi bonis affluerent: amari à ſuis ſummopere cupiebat, ratus magnum Principum munimentum benevolentiam populorum eſſe: uxorem, etſi nullos ex ea liberos ſuſceperit, unicè dilexit, non illius id vitium,

ſed

ſed naturæ eſſe dicebat. Imò eam conſolabatur, quod eo gaudio caruiſſet, quo fœminæ vehementer afficiuntur, ac votis omnibus expetunt. Plurima bella geſſit, & proſpero eventu, Ducíſque partes omnes explevit.

Ad viciniora tempora, quæ uti clariora, ita uberiorem nobis materiam ſuppeditabunt, gradum facientes, luctuoſus Normannorum exitus accipit, quem non diu duraturus Svevorum Principatus eſt ſecutus, quo tanta Siciliæ, Apuliæque damna, imo & univerſæ Italiæ illata, ut non plura, nec graviora à barbaris acceperit. Sed ita illius fatum ferebat, ut poſt Romani Imperii occaſum, nunquam pacata quieſceret. Nempe, ut capitis ſortem ipſa etiam membra paterentur, & ut quemadmodum ſinguli illius populi libertatem affectantes inter ſe dimicaverant; ita alieno univerſi imperio ſubjacerent, atque illud inviti jugum ſubirent, quod concordes facilè excuſſiſſent. Gulielmo poſtquam Siculi parentarunt, Tancredum ab eodem jam Regem deſignatum feſtis acclamationibus ſalutarunt, & eo promptius, quod illi jure deberi regnum cenſebatur. Nam etſi pater Rogerius, priuſquam nuptiæ celebrarentur, obiviſſet; tamen annuente Avo, jam ratæ habitæ fuerant; eamque, quam nuptiarum ſpe ipſe oppreſſerat, juſtam haberi conjugem voluerat: Cauſæ verò, quibus adducti Sicilienſes Tancredum præ Conſtantia eligerent, hæ fuiſſe perhibentur. Saraceni Gulielmi morte tumultuantes, jam ad novandum excitati, plures etiam arces occupaverant; quocirca illico Rege opus erat, qui illorum ſe conatibus opponeret. Præterea Germanos, quibuſcum plurima in Apulia bella geſſerant, vehementer oderant: gratamq; ſe Pontifici rem facturos arbitrabantur, qui ab Henrico ob Patris in Eccleſiam geſta, & ea, quæ ipſe ex patris mandato fecerat, alienus putabatur. Ut igitur renunciatus à Siculis Tancredus Rex fuit, unà cum parvulo filio, quem habebat, & cui Rogerio nomen, petentibus populis ſe coronari permiſit. Pauci tamen Tancredo infenſi eam electionem minimè probavere: horum præcipuus Gualterius Panormitanus Antiſtes fuit. Sunt, qui ſcripſerunt, haud placuiſſe Clementi Siculorum electionem, ut qui extincta Gulielmi ſtirpe, ad ſe pertinere Siciliæ regnum arbitraretur, & ad Inſulam armis repetendam ſe accinxiſſe: imo & bellum intuliſſe, à quo Syriacis primum cladibus; deinde morte avocatus.

Interea anno MCXC. Riccardus Angliæ Rex, cujus ſoror Joanna conjux data Gulielmo fuerat, & Philippus Francorum Rex cum ingenti claſſe Meſſanam appulerunt. Hi, inſtante Clemente, Syriacam expeditionem ſuſceperant, eoque anno ad ferendam Chriſtianis opem cum magnis copiis navigabant, & quoniam æſtate circumacta, importuna ad navigandum tempeſtas appetebat, celebri

eo in portu hyemare ſtatuerant. Tancredus conſanguineum Regem magno apparatu ſuſcepit, & munificentiſſimè tractavit. Mox cum hic Joannæ viduæ dotem repeteret; veritus ne eo prætextu ſibi bellum inferret, & Clementis partes ſequeretur, munita inſulæ loca præſidiis firmat; conſilia clam cum Meſſanenſibus injens eis perſuadet, ut Riccardum ab inſula maturè diſcedere cogant. Intereà Angli licentius per urbem excurrentes ab inferenda civibus injuria non abſtinebant. Meſſanenſes datam ſibi occaſionem nacti, arma capiunt, inque infeſtos ſibi hoſpites irruunt, nec ſine cæde urbe ejiciunt, portiſque occluſis ad vim repellendam ſe apparant. Riccardus haud æquo animo ferens hoſpitii jura violata, ad arma conclamari jubet, urbemque invadi. Tancredus urbi timens Legatos ad Riccardum mittit, qui eum doceant, non ſuo, non Meſſanenſium conſilio rem geſtam, paucorum illud facinus fuiſſe, in quos animadverti juſſurum. Philippus Rex ſuam pariter authoritatem interponens plurimum ad ſedandam Britannici iram valuit. At Meſſanenſes dubii de Riccardi animo intra ſe mœnia continebant, pacemque componere differebant, expectabantque ut maturo vere Riccardus ex inſula ſolveret. Riccardus poſtquam ſibi verba dari, contemnique intellexit, muris ſcalas admovit, omnibuſq; machinis capere urbem aggreſſus eſt, tantuſque Anglorum impetus fuit, ut etſi fortiter Meſſanenſes dimicarent, capta tamen urbs ſit, inque cives cede ſævitum: tandem ſupplicum precibus permotus ſuos à cæde continuit. Non multo poſt dies Tancredus Panormo affuit, pecuniaque à mercatoribus mutuò accepta, dotem Anglo reſtituit, novoque affinitatis vinculo pacem cum eo firmavit. Arturo Regis filio filiam deſpondit, nec Riccardus eas nuptias reſpuit. Verum hyeme jam circumacta Ver affulſit, quo Philippus primum, mox Riccardus aſſumpta Joanna ſorore, in Syriam navigavit.

Per id tempus, Clemente extincto, Hyacinthus Cardinalis civis Romanus, Pontifex cooptatus, & Celeſtinus III. appellatus. Novo Pontifice creato, Henricus in ſpem venit, Auguſtalia ab eo inſignia obtinendi, quæ à Clemente petere non auſus; cum enim alienum ab ſe duceret, repulſam ſe paſſurum rectè arbitrabatur. Legatos ea ſpe animatus Romam miſit, qui Celeſtino Pontificatum ſuo nomine gratularentur: ab his inde admonitus propenſioris in eum animi Celeſtinum eſſe, ſtatim Romam venit. Vix urbem aſſecutus, ut Pontificis animum demereretur, Tuſculum reſtituit, quod illicò à Romanis, qui odio in Tuſculanos vehementer ardebant, à fundamentis everſum: lapideſque Romam tranſlati, ut reſtituendæ urbis ſpes omnis tolleretur. Contra Pontifex ſacro illum oleo inunxit, Imperiique inſignibus decoravit, grandique lætitia

Cæ-

Cæſar ab univerſo populo ſalutatus. Plures Scriptores Siculi tradunt id temporis Celeſtinum Conſtantiam propè quinquagenariam è Cœnobio D. Salvatoris à Gualterio Antiſtite ſuo juſſu eductam ſacro caſtimoniæ voto abſolutam, Henrico in conjugem datam; ut ſic Siciliæ regnum dotis nomine ad illum perveniret: & Tancredus, ejuſque filius excluderetur, quem habere regnum Pontifici non placebat. An verò Sigonio fides, an Siculis, proximæque memoriæ Scriptoribus habenda ſit, definire non eſt promptum. Scio tamen, gravi cæteroqui Auctori, Briettio id fabulæ loco habitum. Utut fuerit noſtro malo factum;ut nimirum perpetuis bellis agitaremur, atque externorum injuriis peteremur.

Henricus, ſolemnitate peracta, XV. poſt dies in Campaniam exercitum induxit: & cuncta ea oppida, quæ Neapolim uſque erant, facili negotio occupavit. Neapolis, quæ & ſitu, & opere munita erat, & valido etiam præſidio tenebatur, omnem Germanorum impetum fortiter excepit, eorumque conatus retardavit. Henricus impatiens, quod cæteris deditis, una Neapolis obſiſteret, arctiſſimam illam obſidione præcinxit: adituque omni intercluſo, ſpem omnem novi ſubſidii, & commeatus accipiendi præcidit. Interea Conſtantiam Cajetæ ſedere juſſit, ut ſecura in omnem eventum foret, & ſua præſentia populos ad ſuas partes pertraheret. Dum autem ipſe omnes ad expugnandam urbem machinas adhibet, & vim experitur, Junio menſe ad ferventiſſimum Solis æſtum gravius cęlum effectum, quo ingens in exercitu peſtilentia eſt coorta: quæ ita graſſari in caſtris cœpit, ut brevi magnam juventutis partem abſumpſerit: ob id in maximas difficultates adductus, inopſque conſilii, quid potius ageret, non ſatis intelligebat. Auxit ejus timorem, atque univerſi exercitus Sol, qui IX. Kal: Jul: cum maximè peſtis ſęviret, per tres ſolidas horas tenebris præter morem obductus, terris non viſus, quo portento pręnunciari Principibus mala vulgus mortalium credit. Hoc oſtento perterritus, & peſtilentia afflictus poſt tres menſes non ſine ignominia Neapoli receſſit, cujus circumfuſæ paludes magnum æſtate munimentum: quo ſi uti populares ſcirent, inacceſſa ex ea parte hoſtibus foret.

Dum hæc ab Henrico improſperè adminiſtrabantur, Genuenſes, qui Italicæ libertatis nullam rationem habentes pro eodem ſtabant, claſſe quatuor, & triginta longarum navium in Campaniam vecti, ad Stabiarum caſtrum appulerunt: hic cum falſum rumorem accepiſſent, Henricum peſtilentia ſublatum, cum occupare ea loca poſſent, curſum retro, unde venerant, flexerunt. Tantum in bellis momentum falſi rumores, ac de induſtria diſſipati afferre poſſunt. Ad Circeos dum redeunt, in Tancredianam claſſem in-

Digitized by Google

ciderunt. Margharitho, qui eam ducebat, cum navibus hoſtes ſuperaret, Genuenſes prælio præoccupavit: Ligures, etſi impares, pugnam non detrectarunt, inſtructaque illicò claſſe ad certamen ſe accinxerunt. Margharitho cum præter opinionem paratos ad prælium Genuenſes videret, flexo curſu Ænariam petivit. Genuenſes ſe Centum Cellas receperunt. Conſtantia, quia Cajetæ affecta à latronibus contumelia fuerat, Henrici juſſu Salernum adducta, ibi à civibus comprehenſa Panormum ad Tancredum delata. At Henricus cùm Germaniam repetere decreviſſet, Diepoldum in Italia, qui bellum continuaret, Ducem reliquit: ipſe Genuam profectus. Diepoldus multis in Campania rebus ex ſententia geſtis, Salernum etiam recepit. Mox Tancredo cum exercitu ſuperveniente, ex Campania pulſum quidam Scriptores memoriæ mandarunt. Tancredus, hoſte ſuperato, Neapolim victor ingreſſus. Hic à ſuis admonitus haud ſatis tutum ejus imperium Neapoli futurum, ſi civitas in tres tantum regiones, ſeu plateas, ut populares vocant, divideretur: in majorem numerum diſtrahi oportere, ut diviſis ea ratione animis, vires etiam minuerentur. Quocirca in quatuor, & viginti regiones urbem diſtribuit; ideoque Frezza Juriſconſultus Neapolitanam urbem à quatuor, & viginti Decurionibus, ipſe Conſules vocat, antiquitus regi ſolitam memoriæ tradidit. Horum verò Conſulum, quibus noſtra ætate nuda Magiſtratuum vocabula remanſerunt, magna priſcis temporibus authoritas fuit.

Porrò Tancredus, rebus Neapoli ordinatis, in Siciliam reverſus, Rogerio filio, quem in ſpem regni alebat, Irenem Iſacii Imperatoris filiam uxorem dedit: ut & Imperatoris affinitate, & nova prole regnum firmaret. Nova nupta Conſtantinopoli Panormum vecta, magna pompa, ac celebritate excepta; parique deinde ſolemnitate, ac munificentia nuptiæ ſunt peractæ. Sed ea rerum humanarum eſt conditio, ut vices perpetuò patiantur, & lætis interdum triſtia ſtatim ſuccedant. Paucis poſt diebus Decembri menſe anni MCXCIV. immaturo fato Rogerius occubuit; & ſecum ſpem parentis, & gaudia abſtulit, qui magno ex filii morte dolore concepto in febrim incidit: quæ cum maligna eſſet, eum brevi interemit. Panormi in æde Principe regia pompa ſepultus, & ab univerſa Sicilia, Apulia, Calabriaque defletus eſt; tantam enim de ſe, atque in filio ſpem dederat, tanta prudentia, manſuetudineque regnum adminiſtrabat; ut felices ſe populi ſub illius Principatu futuros arbitrarentur. Regnavit Tancredus annos V. uxorem habuit Sibiliam unicam Jacobi Luſiniani Athenarum Ducis filiam; Villanus Florentinus Emanuelis filiam illam fuiſſe ſcripſit. Quinque ex ea liberos ſuſcepit, Rogerium, qui unà cum patre regnavit,

eumq;

eumque fato præceſſit: Gulielmum Apuliæ Ducem, quem regni hæredem teſtamento inſtituit: Albiriam, Conſtantiam, & Madoniam: Fazellus primam Alteriam vocat, & Gulielmum à Rogerio non diſtinguit, ut reliqui omnes Scriptores, quos ſequi malim. Fuit Tancredus vir vel inter adverſa fortiſſimus, & tum conſilio, tum manu promptus: conjurationis contra Gulielmum Malum præcipuus author, & Majonis hoſtis acerrimus, quæ cum infelicem nacta eventum eſſet, ultro in exilium ire maluit, quam impotentis victoris iram experiri. Ita apud Græcos vixit, ut ab univerſis amaretur: revocatus regium animum oſtendit: itàque regnum auſpicatus; ut eum elegiſſe Siculos non pœniteret. Suſcepto in Henricum bello conſtantia Neapolitanorum victor, & ſuperaturus hoſtem, ſi diutius vixiſſet.

Per hæc tempora Chriſtiani Principes, qui Syriam tenebant, comitiis habitis, Joannem Brennæ Comitem Hieroſolymitanum Regem crearunt. Hic uxorem duxit Mariam Iſabellæ filiam, Sibiliæque Reginæ majorem natu ſororem, ad quam ejus regni jura pertinebant. Joannes ſimul ac ſalutatus Rex fuit, multis copiis auctus, multiſque Principibus ſociatus, qui ſacro fœderi ſua nomina dederant, ad regnum à barbaris vindicandum movit. Præcipui, qui ad ſacrum bellum ivere, Andreas Pannoniæ, & Fridericus Dux Auſtriæ. Peluſium primo impetu expugnatum, ignobiliora dein aliquot oppida in deditionem accepta: poſtremo cum Ægypti Rege, qui obviam cum exercitu proceſſerat, diu fortiter utrinque pugnatum. At mox cum igne ab hoſtibus jacto Joannes pene ambuſtus, recedere ab acie eſt coactus, atque inducias cum barbaro paciſci, quibus pactis in Italiam navigavit, filiamque Friderico Cæſari dedit, ex qua Sicilienſes, Neapolitanique Reges jura ad Hieroſolymitanum Regnum; cujus vel nunc titulum gerunt, acquiſivere, quæ inferius fuſius referentur.

Tancredo elato, Sibilia Regina ita cum Panormitanis egit; ut hi Gulielmum filium hæredem à Patre relictum illicò Regem ſalutaverint, qui hujus nominis III. fuit, V. Normannorum. At Henricus cognita Tancredi morte, ratus haud multum cum puero ſibi negotii futurum, invadendæ Siciliæ occaſionem non omiſit. Cum inſtructiſſima Genuenſium claſſe, qui propriæ libertatis ſpecie capti, toti ſe Italiæ jugum imponere non animadvertebant; ad Auguſti Id: Genua ſolvit: acceptiſque in itinere Piſanorum roſtratis, proſpero uſus vento, Cajetam venit, quam urbem facilè in deditionem accepit: præſidio impoſito, Neapolim navigat. Gulielmus ut Henricum Genuenſium, Piſanorumq; navibus vectum in Campaniam venire intellexit, terra, marique muniri Neapolim juſſit; quo ab Henrico per exploratores comperto, memorque præteritæ

cla-

cladis, eam oppugnare non auſus. Fraude circumvenire Gulielmum adoritur. Ad eum Legatos mittit, pacemque hac conditione offert: ut ſibi Siciliam concederet, ipſe Gulielmus Apuliam, Calabriamque, & ea, quæ in Italia Normanni poſſidebant, pacificè haberet. Conditione accepta, Panormi Prid: Kal: Decem. Henricum exceptum fuiſſe, omniumque ordinum acclamatione Regem ſalutatum Siculi Scriptores tradunt. Dum verò Gulielmus ſe ad navigandum in Italiam accingit, ut avitæ dominationis poſſeſſionem acciperet, exeunte Januario ſequentis anni, dolo malo ab Henrico captus; unaque cum matre, ac ſororibus in vinculis habitus. Gulielmo vincto, inque cuſtodiam tradito, reliquæ Provinciæ in Svevorum poteſtatem pervenerunt. Comprehenſos eodem tempore plures viros nobiles, quorum Henricus potentiam formidabat, & ſuſpectos habebat, iidem authores memoriæ conſignarunt: illorum præcipui fuerunt, Romualdus Guarra Salernitanus Antiſtes, & Margaritho ejus frater maris Præfectus, qui in Germaniam ablegati perpetua cuſtodia detenti, immo & Præſulis fratrem obcæcaſſe, & Gulielmum Regem immanitate pluſquam barbara, & Ænobarbi filio digna, oculis & virilitate privaſſe memoriæ proditum. Atque hoc pacto infelix Juvenis, cum vix annum regnaſſet, captivus in exteram terram deductus, ærumnis, ac fletibus confectus vitam finivit, & humanæ viciſſitudinis, & barbaræ crudelitatis, qua in fraude circumventos uſus eſt Henricus, inſigne exemplum. Nec ſatis cupido homini viſum regno innocentem exuiſſe: luce etiam, & vita privare voluit; ut deleta Regia ſtirpe, ſecurus regnaret. Sigonius rem aliter narrat, aſſeritque Neapolitanos primos Henrici imperata feciſſe, eorumque exemplo cætera loca in Germanorum poteſtatem veniſſe: Kal: inde Septembris claſſe in Siciliam devectum Meſſanam occupaſſe, Catanam deinde, & Syracuſas. Sibiliam Reginam, cum ſe imparem hoſti videret, Legatos ad Henricum miſiſſe, ceſſuram ſe regno ſi Tarentinum Principatum filio concederet: qua conditione ab Henrico accepta, eos, quos diximus, in manus habuiſſe: capta mox Panormo pactis non ſtetiſse, in omnes durè ſævisse: ne ipſis quidem Genuenſibus amicis pepercisse, qui ſuo exemplo docti nihil iis ſperandum ab exteris eſse, qui arma in ſuos vertiſsent.

Sunt etiam qui ſcribunt Tancredi, & Rogerii corpora refodiſſe, mortuiſque coronas detraxiſse, ut nimirum ridiculè in mortuos deſæviret; inde univerſa Sicilia direpta, Tancredi theſaurum centum quinquaginta juvencis impoſitum in Germaniam deportaſse.

* * * * * * *

HI-

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ

LIBER DECIMUSQUINTUS.

NOrmannis extinctis, Svevi in Siciliæ poſſeſſionem venerunt, non diu & ipſi regnaturi: ſiquidem inſtabiles mortalium res ſunt, nec firma ea eſse imperia poſſunt, quæ innocentium populorum ſanguine comparantur. Normanniorum verò in Apulia Imperium CXX. annos Ducatus nomine ſtetit: Regio deinde titulo annos LXVI. Siciliam occupavit, qui populares jam facti, & noſtro cœlo aſsueti, & Italorum diſcordia, & Conſtantiæ nuptiis, noſtro malo ſublati ſunt, verumq; fuiſse compertum Joachimi preñūcium, eam ſcilicet fęminam magnum in Italia incendium ſuſcitaturam: quod nec toto quidem Normannorū ſanguine eſt extinctum. Henricus igitur, primus Svevorum Principum, qui Siciliæ regnum, & Apuliam tenuit, Ænobarbo genitus fuit, qui tot annos Catholicæ Eccleſiæ hoſtis acerrimus, ac Pſeudopontificum fautor, quibus Chriſtianus Grex miſerè dilianiatus: & alterius Friderici pater, qui non multo melior Avo diu Eccleſiam, Italiamq; vexavit. Hunc illi Conſtantia, quam, Panormo occupata, è cuſtodia emiſit, (alii prius Henrico redditam Pontificis opera tradiderunt) enixa eſt. Quo in lucem edito, ac rebus Siciliæ compoſi-

tis, ipſe in Germaniam conceſſit. Hic cum videret, magno ſe apud Chriſtianos odio flagrare; cunctarumque gentium maledictis proſcindi, quod Riccardum Angliæ Regem ex ſacra expeditione redeuntem comprehenderit; & non niſi immenſa pecunia redemptum dimiſerit, ut eam maculam deleret, expeditionem in Paleſtinam ſuſcipere conſtituit. Conventu igitur Vormatiæ habito, Germaniæ Principes ad ſacrum bellum invitavit, crucemque tum ipſe, tum reliqui Dynaſtæ à Pontificis Legato acceperunt. Mox ſuorum, qui Principi adulantes, magis expedire Reipublicæ, ajebant, ſi Domi maneret, neceſsariaque ad bellum ſubminiſtraret, perſuaſione permotus, profectionem omiſit: & ad ſtabiliendum Friderico filio Imperium curas omnes intendit, domeſticę potius utilitatis, quam publicę Chriſtianorum ſolicitus, ex Germania in Italiam reverſus, Panormum navigavit; filiumque Sicilię Regem renunciavit, eique tradi inſignia curavit, Irenem, quę Rogerio nupſerat, & Panormi invenerat, Philippo fratri uxorem dedit: ne ſi eam uti reliquos injuriam afficeret, Grecorum in ſe arma concitaret, Conradoque altero fratre mortuo, Sveviæ Ducem conſtituit. Ipſe non multo poſt ex nimia venatione in febrem incidit, qua III. Kal. Octobris anni MCXCVII. Meſsanę è vivis ſublatus: ejus cadaver Panormum translatum, regiaque pompa majori in Eccleſia tumulatum. Eo mortuo, Philippus frater in Germaniam, relicta Etruria, ad aſserendum ſibi Imperium contendit, ea maximè ſpe adductus, quod apud ſe Henricus Imperii inſignia reliquerat. Romę Cęleſtinus ſupremum diem obivit, cui ſimul ac juſta more majorum perſoluta, Cardinales comitium ingreſſi, Lotharium Anagninum ex Canonico Regulari Cardinalem Pontificem concordi ſuffragio cooptarunt, & Innocentium III. nuncuparunt, qui & doctrinæ, & prudentię laude, animique magnitudine ea dignitate digniſſimus habebatur. Novi Pontificis ea in primis cura fuit, quę eum maximè ſolicitabat, & honeſtiſſima videbatur, omnes ſcilicet conatus adhibere, ut captivi Siculi, & precipuè Salernitanus Præſul, liberi emitterentur. Idcirco ad Argentoratenſem, ac Spirenſem Antiſtites ſcripſit; ut Vecilum monerent, ne diutius Archiepiſcopum Salernitanum cum Sibilia Regina, alioſque captivos in cuſtodia haberet. Legatos etiam ad id in Germaniam ire juſſit, Sutrinum Epiſcopum, & S. Anaſtaſii Abbatem: eiſque vehementer injunxit, ut illum è piorum communione ſejungerent, ſi ſuę authoritati parere recuſaſſet. Denunciari item Germanis Principibus, ut Reginam unà cum filiis è carcere emiſsam ad ſe Romam venire permitterent: quod ſi juſſis obedire renuiſsent, ſacro omnes fulmine perſtringerent. Inter primos Philippus Dux admonitus, qui quoniam Eccleſiæ bona occupaverat, jam infernis diris devotus fuerat, ut ſi

ab-

abſolvi eo piaculo vellet, eos vinctos Pontifici redderet. Philippus cum turbidas in Germania res videret, & Othonem regni ęmulum haberet; ut ſibi Pontificis benevolentiam conciliaret, Præſulem, & Reginam una cum aliis (Gulielmus Rex jam è vivis exceſſerat) clam è carcere emiſit, qui cum capti luminibus plerique eſſent, omneſque ſqualore ſordidi, fędum Romæ Germanicæ crudelitatis exemplum præbuerunt. Sibilia Innocentium ſupplex adiit: & ut filiarum ſuarum patrocinium ſuſciperet, Albiriæque natu majori, ad quam Siciliæ regnum pertinebat, conjugem daret, virum fortem, ac potentem, qui illud armis repeteret, vehementer rogavit. Innocentius, qui Friderici pueri tutelam ſuſceperat: & Conſtantiæ Imperatrici, ac Friderico filio novo regnum diplomate adjudicaverat, eam paternè conſolatus, ad Philippum Galliæ Regem remiſit. Albiria cum nihil in Pontifice ſpei eſſe intelligeret, Galliam petivit, & Philippo Regi ſuas calamitates expoſuit. Eam Philippus ſumma benevolentia excepit, benèque ſperare juſſit: curaturum ſe pro viribus, ut afflictis rebus opem ferret. Ea dimiſſa, ſuorum Procerum concilium advocavit, quibus in unum coactis, ita diſſeruit: Si Regium eſt, Proceres, afflictis opem petentibus pro viribus ferre, eoſque à potentiorum injuria vindicare, id certè pluſquam regium, ac penè divinum eſſe dixerim, cum feminis, ac pręcipuè Reginis, quæ ob ſexus imbecillitatem ſe tueri ab aggreſſoribus, ac vindicare nequeunt, ferenda auxilia ſunt; quippe quò major facti honeſtas, eò major & gloria & laus eſt. Scitis equidem Sibiliam Siculorum Reginam unà cum regiis natis ad me rogaturam opem veniſſe, quæ filio amiſſo, quem Henricus in deditionem acceptum contra humana omnia, divinaque jura exauthoravit, vinctumque lumine, virilitate, quod ne barbari quidem feciſſent, immani crudelitate orbavit, magniſque confectum ærumnis mori coëgit: uſurpatoriſq; titulo non contentus, tyranni etiam nomen affectavit: quæ, inquam, tam miſerè filio amiſſo, ad noſtrum regnum, ad tutum veluti aſylum, confugit: noſtramque opem expoſcit, eique filiam nuptum ſpondet, & dotale munus Siciliam, atque omnem ulteriorem Italiam, quæ Apuliæ nomine appellatur; qui eam repetere armis, illataſque ulciſci injurias confidit. Ipſe quando regni curæ ad tam juſtum, ac glorioſum bellum venire non ſinunt, militem, & commeatum ſuppeditabo. Nec quiſquam veſtrum difficile id bellum futurum exiſtimet: facilè enim duco, & brevi tempore feliciter abſolvendum. Nam & Siculi, & Itali tot ab Henrico injuriis affecti, & à Germanis ob vinoſam crudelitatem alieni, antiquiſque dominis ſummopere addicti, nihil niſi Ducem, & regium ſignum, quem ſequantur, expectant. Utinam hanc ipſe ſuſcipere expeditionem poſſem, irem ultor Regum, redemptor pu-

pulorum, ac tyrannidis vindex, eamq; gloriam pluris ducerem, quam Galliæ regnū: unaq; ea laude me univerſos ante me Principes ęquaſſe arbitrarer. Hæc ubi Philippus magno animi ardore habuit, Gualterius Brennenſis Comes, Joannis Regis Jeroſolymitani germanus in hunc modum loqui cępit: Si mihi, Philippe, eæ opes, ac vires eſſent, qualis eſt animus, ſperarem fore, ut brevi Sibiliam Reginam, ac Regias filias in paternum Principatum reſtituerem, at ſi tuis auſpiciis, auxiliiſque, ut generosè promittis, res geratur, non defecturas opes, non vires confido. Quare ſi nihil aliud eſt, quod expeditionem moretur, tuum jubere Rex erit, meum juſſis parere. Philippus, qui Gualterii fortitudinem jam perſpectam habebat, annuente Sibilia, ei Albiriam Sponſam dedit, plurimam inde pecuniam, & M. pedites, ac D. equites adjunxit, exiguam quidem manum ad florentiſſimum regnum potentiſſimo ab hoſte vindicandum: alias tamen ſe copias miſſurum Philippus ſpopondit, & ſpes certa erat his auxiliis gentes commovendas, quæ ſi ad Gualterium defeciſſent, proſperum bellum illud futurum putabatur. Gualterius; uxore jam fœtu plena in Gallia relicta, Alpes trajecit, & Romam magnis itineribus venit. Hic cum nulla auxilia à Romanis obtinere potuiſſet, in Apuliam ingreſſus Luſpienſes ſocios habuit; aliæ gentes cum exiguam eam manum viderent, ab armis quievere, prudenter veritæ ne nimia temeritate ſibi calamitatem aſciſcerent, neque enim ſperari poterat, ut omnes uno, eodemque impetu agerentur. Gualterius etſi ſpe fruſtratus, cum iis copiis, quas habebat, cum munitis Apuliæ locis ſedere, & temporis uti beneficio potuiſſet, præcipiti conſilio, quod gentis eſt vitium, in Campaniam movit. Ibi Diepoldum cum tribus armatorum millibus obviam habuit, ſigniſque collatis ſecundo prelio fudit: eoque victoriæ impetu plurima loca occupavit, hoſtemque in Sarni arcem, in quam ſe è prælio receperat, obſedit. Diepoldus turpe ducens ab ea parva manu clauſum in arce teneri; primo mane ſuos ad delendam acceptę cladis ignominiam adhortatus, eruptionem in hoſtium caſtra fecit, tantoque impetu aggreſſus, ut ſuſtinere eum Galli nequiverint. Gualterius, qui adhuc in lecto jacebat, ad tumultum excitatus, dum ſurgit, atque arma capit, Diepoldus præciſis funibus, quibus tabernaculum fulciebatur, eum implicuit, vinctumque in poteſtatem habuit. Dum verò ſe accerrimè defendit, plurima vulnera accepit. Diepoldus humaniter eum tractavit, ſummaque diligentia curare vulnera ſuos juſſit. Ea vero curatione demeruiſſe ſibi illius animum ratus, ita eum alloquitur: Quando te, Gualteri, regnandi cupidum video, & regio, quo es animo, & uxoris titulo dignus ſanè regno es; efficiam ipſe, ut illud tibi in manus tradam, ſiquidem penes me, ut probè noſti, illius eſt regimen. Cun-

Cta

ctæ in mea poteſtate vires, atque arma ſunt, & quod ipſe fecero; reliqui populi facturi extemplo ſunt. Unum tamen mihi ſpondeas volo; ut nimirum, quæ in præſentia habeo, in poſterum poſſideam. Cui Gualterius plus iræ, ingenitæque ſuperbię, quam rationi, atque utilitati tribuens: Ex tua, inquit, hominis adeo abjecti manu, ne totius quidem Italiæ Imperium velim. Uſque adeo difficile eſt moderari animo, immodicoſque naturę impetus continere. Diepoldus ea ſuperbia, atque inſolenti reſponſo irritatus: Haud equidem, inquit, veniam à victore mereſ, à quo regnum accipere noluiſti: faciam ut indigna tuis natalibus, at oppido debita ſuperbiæ morte moriaris. Quibus verbis Gualterius iratior factus, ſtultorum more, qui in ſe ipſos ſęvientes, rabidi veluti canes ſemetipſos lacerant: neo paſsus curari vulnera, nec ſumere cibum, etſi rogatus, voluit: imo diductis ſuamet manu vulneribus, miſerabile fatum oppetiit. Eo mortuo ille turbo, qui commovere univerſam Siciliam, Apuliamque minabatur, repente æſtivi inſtar venti diſſipatus eſt.

Interea Albiria uxor filium eſt enixa, qui ſacro fonte luſtratus parentis nomen accepit. At conceptam ex eo lætitiam, de patris fato nuncium in Galliam delatum ſubito excuſſit. Sibilia nihil ſpei in armis, externiſque auxiliis, quæ uti promptè exhibentur, ita etiam ſubtrahuntur, locandum animadvertens, confugere ad preces ſtatuit. Unà cum filiabus in Italiam venit; inque Siciliam tranſvecta Conſtantiam adivit: eamque ſupplex rogat; ut filiæ Albiriæ Luſpienſem Comitatum, qui ei Roberti Avi titulo debebatur, concederet: & ſic honeſtam vitam, uti ipſius natales petebant, commodè tranſigeret. Conſtantia conſanguineorum miſeratione permota, eum Albirię Comitatum reſtituit: In quem unà cum matre ſtatim conceſſit. Inde Jacobo Tricarici Comiti ſecundo nupſit: eique Simonem, & Adalitam procreavit. Jacobo extincto, illam Honorius III. Tigrino Comiti Palatino Etruſco conjugem dedit. Conſtantia ſecunda Tancredi filia Petro Zanio Venetorum Duci in matrimonium copulata. Tertia Mardonia Roberto Vicecomiti Equiti Romano juncta. Gualterius Albiriæ filius Helenam (Iſabellam alii vocant) Cypriorum Regis filiam uxorem accepit, quæ ei Ugonem peperit, qui & Luſpienſium Comes, & Sibiliæ aviæ jure Dux Athenarum appellatus. Sibilia Regina, & Albiria Luſpiis ſupremum diem obivere, inque ædem Triadi ſacram grandi pompa elatę, ac ſepultæ. Jam verò ut ad Conſtantiam ſtylum referam, poſtquam Septennis filius eſset, illum Panormi coronari curavit, adhibitoque Raynerio Comite, ſumma prudentię laude regnum adminiſtrabat. Dum verò in his curis verſatur, anno ducenteſimo quarto ſupra milleſimum acri correpta eſt febri, quam cum ingrave-

Digitized by Google

ſcere animadverteret, nec ſpem ullam in arte Medicorum eſse; ſacris Chriſtiano ritu ſe muniit. Fridericum filium Innocentii Pontificis tutelę commendavit; ut illum à tumultibus, qui oriri facilè potuiſsent, defenderet. Atque his ita diſpoſitis, naturæ debitum perſolvit, regia pompa in Principem ędem elata, ac juxta viri tumulum repoſita. Sepulchro addita epigraphe, qua illius virtutes, ac tituli commendabantur. Mulier nata in excidium ſui generis, atque Italiæ, Siciliçque ruinam: cęterum magni animi, multęque prudentię, ac indolis mitiſſimę. Creditur Henrico necem veneno quęſiſse, quod Gulielmum nepotem duro, barbaroque more multaſſet. Illius fatum in annum MCCIV. incidiſse, ætatis ſuę LX. ſepulchralis inſcriptio à Panormitanis poſita, in quorum urbe è vivis exceſſit, pro teſte eſt luculento.

Porrò Innocentius, ut Friderici ſuę fidei à Conſtantia commiſſi curam ſuſciperet, Jordanum tituli S. Adriani Cardinalem Legatum in Siciliam miſit: cui mox Gregorium Cardinalem collegam adjunxit; ut regnum adminiſtrarent. Qui vicaria cura ſuſcepta, ſumma vigilantia, juſtitiaque populos difficillimis temporibus gubernarunt. Anſelmo II., qui tum Neapolitanam Eccleſiam regebat, pueri inſtitutionem commiſit, ut eum piè, doctèque educaret. Anſelmus ita ſuo officio ſatis fecit, ut nullam deſiderari in ſe induſtriam paſſus ſit, etſi vitio naturę, quæ arte ſuperior eſt, fruſtra laborem impenderit. Cæterum Anſelmus civis Neapolitanus anno MCXCII., Sergio extincto, Pręſulatum ſibi à Cęleſtino III. delatum inivit, quo defuncto, ſucceſsori Innocentio III. acceptiſſimus fuit: qui viri doctrinam, atque integritatem plurimi faciens, ſæpe ad illum de gravioribus negotiis ſcripſit, eumque Cardinali Legato collegam dedit; ut Siciliæ regnum adminiſtraret.

Per hæc tempora Cumæ, quæ toties à Gothis, Vandalis, ac Saracenis vaſtatę, ac dirutę fuerant, tandem à Neapolitanis funditus everſæ. Excidii hęc cauſa traditur: Germani quidam, qui cum Henrico in Italiam venerant, eam urbem habitatoribus fermè vacuam, ad incolendum occuparunt, arceque reparata, in ea ſe muniverunt. Ex qua deinde prædonum ritu erumpentes vicina loca, ipſumque Neapolitanum agrum diripiebant, immo navibus etiam comparatis, piraticam exercebant. Anno MCCVIII. Averſanus Pręſul, qui Cumanam etiam Eccleſiam adminiſtrabat, Gotifridum fortiſſimum Ducem evocavit. Hic cum valida militum manu præſto adfuit, cujus pręſidio Averſanus jam potentior Cumis Germanos expellere moliebatur. Illi excidium pertimeſcentes, inſtructa acie obviam progreſſi Gotifridum, qui vicina ſe in arce muniverat, obſederunt. Averſani indignè ferentes Antiſtitem inconſultis civibus eum Ducem accerſiſse, juventutem armant,

atque

atque in illius ruinam mittunt. Gotifridus territus ne à Germanis, atque Averſanis interciperetur, Neapolim ad accerſenda auxilia nuncium mittit. Neapolitani utile fore arbitrati, ſi prædones illi delerentur, Petrum Comitem cum iis militibus, qui ſtativa ad Julianum habebant, pergere in hoſtem jubent. Petrus cum illis copiis profectus primo prælio Averſanos fugavit; Gotifrido deinde junctus Germanos prædones funditus delevit, oppidoque exciſo, incolas aliò migrare juſſit. Qui ad hæc etiam tempora, à locis, in quæ conceſſerunt, ad excolendum Cumanum agrum miræ ferocitatis conveniunt. Cumarum ruinæ, atque ingentia vetuſtatis rudera adhuc conſpiciuntur. Atque hic finis ejus urbis fuit, quæ ſui nominis celebritate non Campaniam modo, ſed univerſam Italiam implevit. Urbem editiſſimo in colle futuram Tyrrheni maris ſpeculam Chalcidienſes, & Cumei anno octogeſimo poſt bellum Trojanum, ut vult Paterculus, Mundi verò IVMCXIII., ut author eſt Euſebius, ædificarunt. Eſt autem in ſecunda Campaniæ parte ſitum, in qua Opici vetuſtiſſimæ gentes, poſt Auſones, qui primas tenebant, incoluerunt. Ad Occidentem Thuſcum mare, & Pithecuſas ſpectat: ad Meridiem Liciolam, & Acheruſiam paludes: qua parte altiſſimis turribus muniebatur: ad Boream prærupti oppidum colles circumdabant, inter quos via à natura relicta, quam ipſi Cumani porta, & turribus muniverant. Felicem Arcum vulgus noſtratium vocat, qui non ſine ſpectantium admiratione integer adhuc conſpicitur, ibique Apollinis templum, & Sibillæ antrum fuiſſe vetus opinio eſt. Cumanorum tanta felicitas, atque opulentia fuit, ut non alia ex cauſa ortam de gigantibus fabulam Phlegreis in campis, quam ob agri ubertatem, cœlique amœnitatem, in quibus certatim plurimæ ibi gentes ſedem quæſiverunt. Nomen augurio gravidæ mulieris obtinuiſſe tradunt, quam primi habitantes ex Pithecuſis navigantes dormientem in litore invenerunt. Poſtea verò quam varia fortuna ſupra Mannos Cumani floruiſſent, penitus extincti, ultique Neapolitani cladem, quam ab illis in exordio ſuæ urbis acceperunt. Tum plurima Divorum Lipſana Neapolim, curante Anſelmo, translata ſunt, & Leone ultimo Cumarum Antiſtite extincto ea Eccleſia Neapolitanæ eſt adjuncta.

Per id etiam tempus D. Andreæ corpus, quod ſumma religione Byzantii ſervabatur, Amalphim deportatum fuiſſe perhibent. Occaſio translationis hæc traditur: Petrus Cardinalis Capuanus Amalphitanus Antiſtes, dum apud Orientis populos Pontificius Legatus ageret, D. Andreæ corpus Byzantii eſſe comperit: nec ſatis tutum diu apud eas gentes, quæ ab Eccleſia Catholica identidem deficiebant, futurum intelligens; optimum factu duxit, ſi illud in Occidentem transferret. Quocirca multa mercede repertum, clam

ſu-

ſcere animadverteret, nec ſpem ullam in arte Medicorum eſſe; ſacris Chriſtiano ritu ſe muniit. Fridericum filium Innocentii Pontificis tutelę commendavit; ut illum à tumultibus, qui oriri facilè potuiſſent, defenderet. Atque his ita diſpoſitis, naturæ debitum perſolvit, regia pompa in Principem ędem elata, ac juxta viri tumulum reposita. Sepulchro addita epigraphe, qua illius virtutes, ac tituli commendabantur. Mulier nata in excidium ſui generis, atque Italiæ, Sicilięque ruinam: cęterum magni animi, multęque prudentię, ac indolis mitiſſimę. Creditur Henrico necem veneno quęſiſſe, quod Gulielmum nepotem duro, barbaroque more multaſſet. Illius fatum in annum MCCIV. incidiſſe, ætatis ſuę LX. ſepulchralis inſcriptio à Panormitanis poſita, in quorum urbe ę vivis exceſſit, pro teſte eſt luculento.

Porrò Innocentius, ut Friderici ſuę fidei à Conſtantia commiſſi curam ſuſciperet, Jordanum tituli S. Adriani Cardinalem Legatum in Siciliam miſit: cui mox Gregorium Cardinalem collegam adjunxit; ut regnum adminiſtrarent. Qui vicaria cura ſuſcepta, ſumma vigilantia, juſtitiaque populos difficillimis temporibus gubernarunt. Anſelmo II., qui tum Neapolitanam Eccleſiam regebat, pueri inſtitutionem commiſit, ut eum piè, doctequè educaret. Anſelmus ita ſuo officio ſatis fecit, ut nullam deſiderari in ſe induſtriam paſſus ſit, etſi vitio naturę, quæ arte ſuperior eſt, fruſtra laborem impenderit. Cæterum Anſelmus civis Neapolitanus anno MCXCII., Sergio extincto, Pręſulatum ſibi à Cęleſtino III. delatum inivit, quo defuncto, ſucceſsori Innocentio III. acceptiſſimus fuit: qui viri doctrinam, atque integritatem plurimi faciens, ſæpe ad illum de gravioribus negotiis ſcripſit, eumque Cardinali Legato collegam dedit; ut Siciliæ regnum adminiſtraret.

Per hæc tempora Cumæ, quæ toties à Gothis, Vandalis, ac Saracenis vaſtatę, ac dirutę fuerant, tandem à Neapolitanis funditus everſæ. Excidii hęc cauſa traditur: Germani quidam, qui cum Henrico in Italiam venerant, eam urbem habitatoribus fermè vacuam, ad incolendum occuparunt, arceque reparata, in ea ſe muniverunt. Ex qua deinde prædonum ritu erumpentes vicina loca, ipſumque Neapolitanum agrum diripiebant, immo navibus etiam comparatis, piraticam exercebant. Anno MCCVIII. Averſanus Pręſul, qui Cumanam etiam Eccleſiam adminiſtrabat, Gotifridum fortiſſimum Ducem evocavit. Hic cum valida militum manu præſto adfuit, cujus pręſidio Averſanus jam potentior Cumis Germanos expellere moliebatur. Illi excidium pertimeſcentes, inſtructa acie obviam progreſſi Gotifridum, qui vicina ſe in arce muniverat, obſederunt. Averſani indignè ferentes Antiſtitem inconſultis civibus eum Ducem accerſiſſe, juventutem armant,

atque

atque in illius ruinam mittunt. Gotifridus territus ne à Germanis, atque Averſanis interciperetur, Neapolim ad accerſenda auxilia nuncium mittit. Neapolitani utile fore arbitrati, ſi prædones illi delerentur, Petrum Comitem cum iis militibus, qui ſtativa ad Julianum habebant, pergere in hoſtem jubent. Petrus cum illis copiis profectus primo prælio Averſanos fugavit; Gotifrido deinde junctus Germanos prædones funditus delevit, oppidoque exciſo, incolas aliò migrare juſſit. Qui ad hæc etiam tempora, à locis, in quæ conceſſerunt, ad excolendum Cumanum agrum miræ ferocitatis conveniunt. Cumarum ruinæ, atque ingentia vetuſtatis rudera adhuc conſpiciuntur. Atque hic finis ejus urbis fuit, quæ ſui nominis celebritate non Campaniam modo, ſed univerſam Italiam implevit. Urbem editiſſimo in colle futuram Tyrrheni maris ſpeculam Chalcidienſes, & Cumæi anno octogeſimo poſt bellum Trojanum, ut vult Paterculus, Mundi verò IVMCXIII., ut author eſt Euſebius, ædificarunt. Eſt autem in ſecunda Campaniæ parte ſitum, in qua Opici vetuſtiſſimæ gentes, poſt Auſones, qui primas tenebant, incoluerunt. Ad Occidentem Thuſcum mare, & Pithecuſas ſpectat: ad Meridiem Liccolam, & Acheruſiam paludes: qua parte altiſſimis turribus muniebatur: ad Boream prærupti oppidum colles circumdabant, inter quos via à natura relicta; quam ipſi Cumani porta, & turribus muniverant. Felicem Arcum vulgus noſtratium vocat, qui non ſine ſpectantium admiratione integer adhuc conſpicitur, ibique Apollinis templum, & Sibillæ antrum fuiſſe vetus opinio eſt. Cumanorum tanta felicitas, atque opulentia fuit, ut non alia ex cauſa ortam de gigantibus fabulam Phlegreis in campis, quam ob agri ubertatem, cœlique amœnitatem; in quibus certatim plurimæ ibi gentes ſedem quæſiverunt. Nomen augurio gravidæ mulieris obtinuiſſe tradunt, quam primi habitantes ex Pithecuſis navigantes dormientem in litore invenerunt. Poſtea verò quam varia fortuna ſupra Mannos Cumani floruiſſent, penitus extincti, ultique Neapolitani cladem, quam ab illis in exordio ſuæ urbis acceperunt. Tum plurima Divorum Lipſana Neapolim, curante Anſelmo, translata ſunt, & Leone ultimo Cumarum Antiſtite extincto ea Eccleſia Neapolitanæ eſt adjuncta.

Per id etiam tempus D. Andreæ corpus, quod ſumma religione Byzantii ſervabatur, Amalphim deportatum fuiſſe perhibent. Occaſio translationis hæc traditur: Petrus Cardinalis Capuanus Amalphitanus Antiſtes, dum apud Orientis populos Pontificius Legatus ageret, D. Andreæ corpus Byzantii eſſe comperit: nec ſatis tutum diu apud eas gentes, quæ ab Eccleſia Catholica identidem deficiebant, futurum intelligens; optimum factu duxit, ſi illud in Occidentem transferret. Quocirca multa mercede repertum, clam

ſu-

ſuſtulit, atque apud ſe tandiu retinuit, quoad in Italiam remeavit, in quam reverſus Amalphi in ęde, quam eidem ipſe Divo dedicaverat, magna celebritate collocavit. Hujus translationis memoria, quæ in VIII. Id: Majas anni MCCVIII. incidit, quotannis grandi apud Amalphitanos pompa celebratur.

Poſt verò decem annorum interregnum, quo Philippus Sueviæ, & Otho Saxoniæ Dux, Imperii æmuli mutuis inter ſe cladibus acriter decertarunt; tandem & Germanorum Principum, & Innocentii ſuffragio Otho Imperator renunciatus: & ab eodem Pontifice ſolemni veterum inſtituto coronatus: Ipſe Carolum Magnum imitatus, tutorem ſe, ac defenſorem Eccleſiæ futurum ſacramento obſtrinxit; Pontificique equum aſcendenti ſtapedem tenuit: quo nullum Imperatore munus, ac Regibus eſt dignius. Verum non multo poſt, ut ſunt plerumque homines, ſacramenti immemor, plurima Eccleſiæ loca, eo titulo occupavit, quod Juriſconſulti quidam jura pro arbitrio in adulationem Principum interpetrantes, ad Imperium pertinere dicerent. Deinde XL. Piſanorum navibus in Campaniam vectus, contra Fridericum movit: Capuaque capta, ibidem hyemare parabat. Fridericus jam quartum decimum ætatis annum ingreſſus Conſtantiam Ferdinandi IV. Caſtellæ Regis filiam uxorem duxit: eamque in Siciliam ex Hiſpania tranſvectam magnificè Panormi excepit: plurimumque ſubinde dierum celebritate, ſuperboque apparatu, quæ Regios, ac Imperatorios Avos decerent nuptiæ celebratæ. Quibus abſolutis, animum ad bellum, quod Otho intulerat, ſedulò convertit. At Innocentius ad Etruriæ civitates, quæ ad Othonem pendebant, Gregorium Cardinalem Legatum ire juſſit, ut illas in Eccleſiæ fide contineret. Alios ad Othonem legavit, ut ab Eccleſiæ, & Friderici Provinciis abſtinere, eum juberent: ni faceret Apoſtolica in eum arma expediturum. Otho non ſolum Pontificis imperata facere recuſavit, ſed Legatos malè accepit: palamque profeſſus ſe ejus Pontificis majeſtatem, quam ſacroſanctam eſſe CHRISTUS voluit, contemptam habere. Innocentius nihil ſe paterna admonitione apud Othonem profeciſſe intelligens, ſolemnem in eum detaſtationem ſacro ritu deprompſit: contumacemque veluti filium ab Eccleſiæ ſinu ſubmovit. Principes univerſos, ac populos, qui ſacramentum in eum, uti Cæſarem, dixerant, religione abſolvit: atque ab eodem tanquam Eccleſiæ hoſte diſcedere, precepit. Hujus rei nuncio in Germaniam allato, Imperii Principes, Rex Boëmiæ, Duces Bavariæ, & Auſtriæ, Langravius Turingiæ, Moguntinus, ac Trevirenſis Antiſtites in unum convenientes, Othonem reliquerunt, Comitiiſque Auguſtalibus creando novo Cæſari habitis, Fridericum Regem Siciliæ, ac Sueviæ Ducem Imperatorem renunciarunt.

Le-

Legatos inde in Italiam ad eum accerſendum mittunt. Interea Otho Innocentii juſſa deſpiciens bellum cum Friderico in Apulia gerebat, & ignobilia quædam oppida expugnaverat. Id ubi Innocentius pro comperto habuit, illum Imperii titulo exuit; & Fridericum ſine vitio creatum Cęſarem appellavit. Otho poſtquam ſe à Pontifice in ordinem redactum cognovit, novum in Germania Cęſarem dictum, ſtatim, Apulia relicta, Bononiam, in Germaniam conceſſurus ad continendos in officio Principes, convolavit. Fridericus à Germanis Legatis ſtimulatus in Germaniam, quò tot Principum votis petebatur, proficiſci inſtitit. Ex Apulia igitur Romam venit, ubi cum Innocentio conſilia rerum gerendarum communicavit. Innocentius magno illum honore ſuſcepit: Imperii verò inſignibus ornare diſtulit; ut qui ſuſpectum vel ipſum Friderici nomen haberet, Fridericus rem pro tempore diſſimulans, Genuenſium navibus, Roma Genuam trajecit. Genua à Marchione Ateſtino, & Monſferratenſi, ac S. Bonifacii Comite exceptus Papiam valida militum manu deductus. Papienſes, armata juventute, ad Labrum amnem incolumem tranſduxerunt, quo in loco etſi Mediolanenſes, qui Othonem ſequebantur, tranſitum impedire conati ſint, tuto tamen transfretavit. Ab eo amne armati Cremonenſes ſuam in urbem induxerunt, & Mantuam inde deportarunt. Mantuani Veronenſibus ſociis tradiderunt, à quibus tandem in Germaniam delatus. Otho ei occurrere conatus, à ſuis deſertus; ideoque in Saxoniam ſe abdidit. Fridericus Aquis ab Antiſtite Maguntino, & Trevirenſi Germaniæ Rex coronatus, ac Cęſar pariter ſalutatus. Ne verò Innocentius Auguſtalia tradere moraretur, Fundanum ei Comitatum dono dedit, quo munere Pontifex captus illum Romam accerſivit. Verum dum ſe ille ad iter accingit, hic fato functus XVII. Kal: Auguſti anni MCCXVI. Cardinales Peruſiæ, ubi Innocentius deceſſerat, comitiis habitis, Cencum Sabellum Cardinalem illico ſubrogarunt, qui Romam è veſtigio movit. Hic in Baſilica Vaticana Petrum Antiſidiorenſem Orientis Imperatorem deſignatum creavit: & ſacræ expeditionis, quæ tum adornabatur, Legatum Joannem Columnam Cardinalem creavit; cujus ductu ſecuto mox anno, Cruceſignati, qui quartæ expeditioni in Orientem, ac Syriam ſuſceptæ, nomen dederant, felici curſu navigarunt, inque Ægyptum profecti, ut domi hoſtem acrius premerent, Peluſium obſederunt, quam urbem & ſitu, & opere munitam ſequenti anno MCCXVIII. nequidquam Saladino cum ſuis obſiſtente ceperunt, & ſubinde magnis conatibus Æliopolis occupata. At Fridericus Germaniæ rebus explicitis, ſub finem Auguſti Rhetias Alpes trajecit: inde Verona, ac Mantua luſtratis, à Mediolanenſibus petiit, ut ſibi regia inſignia, ſicut Patri, & Avo fecerant, in eorum

urbe

urbe traderent. Mediolanenſes, apud quos inviſum Svevorum nomen, abnuerunt. Fridericus cum eos tum ad officia revocare haud facilè poſſet, iram diſſimulavit, in opportuniorem occaſionem acrius exarſurus. Iter Bononia habens, plurimas Italiæ urbes viſit, & jura gentibus dixit, tandem magno ſuorum Principum, & Legatorum, quos honoris gratia Italicæ ad eum urbes miſerant, comitatu ſeptus, Romam pervenit. In urbem ab univerſo populo magno gaudio, ſolemnique pompa exceptus: ac X. Kal: Dec: in ęde Principe Auguſtalibus inſignibus ab Honorio indutus, ac Cæſar omnium ordinum gratulatione ſalutatus. Ipſe verò inter ſolemnia, quod omnes ante eum Cęſares ſoliti fuerant, ſacramentum Honorio dixit, tutaturum ſe jura, ac poſſeſſiones Romanæ Eccleſiæ, dein votum publicè concepit, ſe ad pręſtituendam à Pontifice diem, ad ſacrum bellum profecturum; ac pro viribus curaturum, ut Jeroſolymorum regnum reciperetur, Crucíſque vexillum ad eam expeditionem è manu Cardinalis Oſtienſis accepit. Quo facto, tanta ſingulos lętitia affecit, tanta ſpe implevit; ut jam quiſque in ſacris mœnibus humanę ſalutis ſignum ſibi videre arbitraretur. Conceptam ex ea pompa lętitiam Conſtantiæ Reginæ mors perturbavit. Hęc dum Catanę ageret, gravem in morbum incidit, ex quo poſtquam Medicorum ope vindicari haud poſſe intelligeret, ad ſacra ſe convertit: quibus Chriſtiano ritu munita, pio, erectoque animo diem obivit, VIII. Kal: Jul: anni MCCXXII. Cadaver Panormum delatum, ac majori in Eccleſia regia pompa ſepultum, addituſque marmoreo tumulo titulus perquam honorificus. Neapoli per id tempus Anſelmus Præſul, qui Friderici educationi præpoſitus ab Innocentio fuerat, naturæ jura perſolvit: in ejus locum Petrus Surrentinus anno MCCXVIII. vir & pietate, & morum integritate conſpicuus à populo ſubrogatus, qui Anſelmi veſtigiis inhærens, paſtorali ſolicitudine gregem ad ſalutis paſcua dirigere nunquam omiſit.

At Fridericus Roma in Campaniam venit, ut Riccardum, ac Thomam Soræ, & Celani Comites, quos novis ſtudere rebus reſciverat, ſtatim opprimeret. Illis facilè victis, atque è paterna ditione ejectis, in Siciliam adverſus Saracenos, qui & ipſi ſumptis armis, in Siculos ſævire cædibus inceperant, navigavit. Ibi multis eos prelis vicit, collectaſque peſſimę gentis reliquias Sicilia eduxit, atque in Apuliam tranſtulit: & Luceriam nobiliſſimum ejus regionis oppidum ad inhabitandum ſceleratis hominibus dedit; ut ſcilicet longius ab Africa ſubmoti tumultus ciere non poſſent: neſciens nulli terrarum eas plantas committendas, quę noxios fructus ſuaptè natura ferrent: quod ipſa inde experientia comprobavit. Dum verò hęc ageret, turbę inter eum, & Pontificem excitatę,

Fri-

Fridericus quoſdam Præſules, quos adverſus ſe conſilia iniviſſe cognoverat, exauthoravit, ſuiſque è ſedibus ejecit. Hi Romam profecti, querelas ad Honorium detulerunt, illiuſque opem implorarunt. Honorius haud negligendas exulum querelas ratus, Legatos ad Fridericum mittit, qui eum juberent, ejectos Præſules ad ſuas ſedes revocare: neque in poſterum eam ſibi arrogare poteſtatem vellet, quæ Romani Pontificis eſſet, cujus eſt de Epiſcoporum controverſiis inquirere, reos exauthorare, alioſque in illorum locum deſtinare. Fridericus eam legationem indignè ferens, his contumacibus verbis reſpondiſſe perhibetur: Mirari ſe quod id, quod cæteris à Carolo Magno Imperatoribus quadringentis ferme annis licuiſſet, ſibi tum denegaretur: non ſe illis, non Friderico Avo, non Henrico Patre inferiorem; ideoque ſi conceſſum illis Eccleſiaſticas dignitates conferre, ſibi pariter concedendum eſſe. Imo cum Siculi Reges, materque Conſtantia jus Præſulum eligendorum obtinuiſſent, ſuum eſſe eam ſibi poteſtatem vindicare. Neque ea tum Friderici Avi, & Henrici Patris, tum Gulielmi Regis merita in Eccleſiam eſſe, ut illam pati ipſe injuriam deberet. Quouſque tandem mea patientia Pontifex abutetur, aliaque hujus generis addidit, quæ ipſius animum & Avo, & Patre dignum oſtenderent. Honorius, eo reſponſo accepto, vehementer permotus ſacro illum fulmine perſtrinxit. Fridericus magis ea devotione irritatus quædam oppida armis Eccleſiæ abſtulit, Siciliæque rebus ordinatis in Germaniam reverſus, conventuque Herbipoli habito, Henricum filium XII. annos natum Regem Germaniæ creandum curavit, electumq; ab illius Provinciæ Principibus Aquis Colonienſis Antiſtes corona decoravit. Hanc verò lętitiam nuncius amiſſi Peluſii corrupit: eo perculſus in Italiã redivit. eam verò urbem Chriſtiani Ægyptio Regi reddere conati ſunt hoc anno MCCXXI. cum excreſcentem Nilum in eos barbarus immiſiſſet, atque ad iniquas conditiones impuliſſet.

Tum verò Joannes Brenna Rex Jeroſolymitanus, Peluſio dedito, & rebus in Syria deſperatis, in Italiam opem petiturus, navigavit. in quam vix appulſus Romam adverſo Tiberi ad Honorium Pontificem è veſtigio feſtinavit. Benignè à Pontifice exceptus, eique Senatu dato, ita illum allocutus traditur: Jeroſolymorum regno, hoc eſt omnium ſacratiſſimo exauthoratus, ſacra urbe expulſus ad te, Pontifex, nomine tantum Rex venio, & eam abs te opem depoſco, quam Pater filio, Paſtor gregi, CHRISTI Vicarius Catholicæ Eccleſiæ debet. Omnibus Chriſtianorum Principum deſtituti auxiliis, quæ fruſtra toties imploravimus, dura rerum univerſarum neceſſitate coacti, Peluſium munitiſſimum, atq; opportuniſſimum oppidum, quod ſumma vi, maximaque noſtro-

rum utilitate acquiſivimus, barbaro iterum Regi tradidimus. Quæ quoniam frequentiſſima, & rebus omnibus affluentiſſima, ac præcipua belli ſedes, ingentem cunctis mœrorem attulit, ac ſpem fere omnem ſanctæ urbis recuperandæ præcidit. Plurima pariter Paleſtinæ loca amiſimus, ut nonniſi nudum regni nomen nobis relictum ſit. Quam primi ſacrę expeditionis Duces immortalem ſua fortitudine, ſuo ſanguine gloriam pepererunt; ampliſſimum regnum, ac ſacroſanctum, quod totius penè Europæ viribus quęſiverunt, noſtra diſcordia, noſtra culpa perdidimus, quod vix ſine lacrymis, ſi ubi immenſus eſt dolor, eſt fletibus locus, referre queo. At ſupereſt adhuc ſpes aliqua, nec omnis omnino ſcintilla eſt extincta: tenemus adhuc validiſſimas aliquot arces, eaſque maritimas, quæ novas claſſes, novos exercitus excipiant. Si Occidentis Principes, depoſitis mutuis odiis, quibus ſine lucro, ſine gloria, tantis inter ſe viribus certant, ad tam ſanctum, juſtum, glorioſum, utileque bellum, ſua arma, ſuas opes convertant, ut primi ſacri fœderis Duces, tot felicibus barbaros pręliis profligarunt, tantumque terrarum adepti, ita & nos facere potiori jure, meliorique ſucceſſu poterimus: qui loca ad reficiendos milites, portus ad naves, & campos etiam ad commeatus comparandos habemus. Idque eo impenſius Occidentis facere Principes debent, quod Oriente victo, inque barbarorum manus translato, proxima Occidenti ruina imminet. Neque credant eo ſe termino barbaros contenturos: in Europam irrumpent, totque victoriis, tantarumque terrarum acceſſione audaciores facti, in hæc loca, quæ ſecura nunc putantur, arma inferent, hoſtemque, quem foris aggredi noluerunt, domi habebunt. Quia Majores (nam in promptu exempla ſunt) in retinenda Africa negligentes fuerunt, Hiſpanias, Siciliam, Sardiniam, Corſicam, magnamque Italiæ partem amiſerunt. Quin & vaſtata toties Græcia nihil niſi jugum Saracenorum, vel Turcarum expectat. Tuum igitur erit, Pater Sanctiſſime, CHRISTI Sepulchro, Eccleſiæ bono, his Provinciis conſulere; tuum Chriſtianos Principes de periculo admonere: & qua verbis, qua authoritate hortari, atque urgere; ut bellum tam glorioſum, tam pium, tam neceſſarium, maturè, atque omnibus viribus ſuſcipiant. Ne verò credant, me non publicam, ſed privatam cauſam agere, & Regno, & titulo ſponte cedam: & ſi Fridericus, quem ego unum ad tantum opus idoneum exiſtimo, contrahere mecum affinitatem velit; & Jolantam filiam, ſi lubeat, uxorem, & pro dote jus ad Jeroſolymitanum regnum concedam. Honorius, his auditis, bene eum ſperare jubet, daturum ſe omnem operam, ut afflictis rebus, quam primum ſuccurratur. Inde Purpuratorum Senatu habito; diu diſceptatum. Nam cum diris devotus jam Fridericus eſſet, haud Pontifici videbatur

batur eo ad tantum bellum utendum eſſe. At pervicit altera ſententia, quæ abſolvendum cenſebat, dummodò ea, quæ eo bello occupaverat, Eccleſiæ redderet. Accerſitus igitur è Sicilia Fridericus, quem Honorius Ferentino excepit, atque anathemate abſolvit: inde ei pluribus perſuadet, ut Jolantam cum Jeroſolymitani regni titulo ſibi conjugem accipiat, ſeque ad repetendum armis regnum accingat. Fridericus non repudiandam cum regia dote conjugem ratus, libenter annuit. Ratis igitur nuptiis, eum Pontifex, ut ſe ad iter appararet, vehementer hortatus. Fridericus, accepto Regali titulo Regis Jeroſolymorum, ejus etiam regni inſignia, à primo Rege Gotifrido uſurpata, Svevorum ſtemmati adjunxit.

Interea Jolanta è Syria accerſita Romam venit, cui Pontifex ſacri Regni coronam impoſuit, & Friderico copulavit. Cæſarea inde pompa nuptiæ celebratæ: inque ea ipſa celebritate, plurimi ad trajiciendum, ut tanti Regni poſſeſſionem Imperio adjiceret, & Avorum gloriam ſua ſuperaret, vehementer eum incitaverunt. Quod uti maximus ad ſacrum bellum ſtimulus eſſe debuerat; ita ipſe nihil permotus moras nectere cepit, & triennium etiam poſcere, pretextu ne ſi in Orientem proficiſceretur, tota ab ſe Italia deficeret, apertè inſtitit. Hortari igitur Pontificem, ut Mediolanenſium, & Bononienſium controverſias componeret; cæteroſque Italicos populos conciliaret. Quibus actis, Neapolim venit, ibique ſolitos civium conventus, ut haberi moris erat, & Decuriones creari vetuit: aſſerens minimè his opus eſſe, ubi Rex ipſe præſens, perq; ſuos Adminiſtros Rempublicam adminiſtraret. Hi verò cum plerumque Saraceni, aut his morum pravitate ſimiles eſſent, ac per ſummam injuriam jus dicerent, reſque univerſas pro ſuo arbitrio violenti verterent; Neapolitani, qui aſſueti tot annis libertati erant, ad res novas animum applicuerunt, eoque ardentius, quod multitudine in dies creſcente, atque unà urbis opulentia, ſatis virium ad tuendam libertatem ſe habere arbitrabantur. Verum timore imminentis Friderici, qui magnis copiis in Orientem trajecturus ferebatur, in meliora tempora conſilium tranſtulerunt. Prudenter rati, minimè id moliendum eſſe, quod haud tuto exequi potuiſſent: neque fidendum multitudini eſſe, ni valido illa præſidio muniatur. Friderico mortuo, Miniſtris illis ejectis, ad ſe civitatis regimen iterum adduxerunt, & annuente Innocentio IV. Pontifice, cui ſatis inviſum Svevorum nomen erat, tamquam Eccleſiæ periculoſum, priſtinam ſibi libertatem aſſerere ſunt conati. Cui tamen conatui Nobiles inter, & plebem diſcordia, conſuetum civitatibus malum, plurimum obſuit. Nobiles majorem ipſorum numerum in Magiſtratu, æqualem plebs volebat, dumque ipſi ſic diſſident, nihil omninò effectum eſt.

Digitized by Google

rum utilitate acquiſivimus, barbaro iterum Regi tradidimus. Quæ quoniam frequentiſſima, & rebus omnibus affluentiſſima, ac præcipua belli ſedes, ingentem cunctis mœrorem attulit, ac ſpem fere omnem ſanctæ urbis recuperandæ præcidit. Plurima pariter Paleſtinæ loca amiſimus, ut nonniſi nudum regni nomen nobis relictum ſit. Quam primi ſacrę expeditionis Duces immortalem ſua fortitudine, ſuo ſanguine gloriam pepererunt; ampliſſimum regnum, ac ſacroſanctum, quod totius penè Europæ viribus quęſiverunt, noſtra diſcordia, noſtra culpa perdidimus, quod vix ſine lacrymis, ſi ubi immenſus eſt dolor, eſt fletibus locus, referre queo. At ſupereſt adhuc ſpes aliqua, nec omnis omnino ſcintilla eſt extincta: tenemus adhuc validiſſimas aliquot arces, eaſque maritimas, quæ novas claſſes, novos exercitus excipiant. Si Occidentis Principes, depoſitis mutuis odiis, quibus ſine lucro, ſine gloria, tantis inter ſe viribus certant, ad tam ſanctum, *juſtum*, glorioſum, utileque bellum, ſua arma, ſuas opes convertant, ut primi ſacri fœderis Duces, tot felicibus barbaros pręliis profligarunt, tantumque terrarum adepti, ita & nos facere potiori jure, meliorique ſucceſſu poterimus: qui loca ad reficiendos milites, portus ad naves, & campos etiam ad commeatus comparandos habemus. Idque eo impenſius Occidentis facere Principes debent, quod Oriente victo, inque barbarorum manus tranſlato, proxima Occidenti ruina imminet. Neque credant eo ſe termino barbaros contenturos: in Europam irrumpent, totque victoriis, tantarumque terrarum acceſſione audaciores facti, in hæc loca, quæ ſecura nunc putantur, arma inferent, hoſtemque, quem foris aggredi noluerunt, domi habebunt. Quia Majores (nam in promptu exempla ſunt) in retinenda Africa negligentes fuerunt, Hiſpanias, Siciliam, Sardiniam, Corſicam, magnamque Italiæ partem amiſerunt. Quin & vaſtata toties Græcia nihil niſi jugum Saracenorum, vel Turcarum expectat. Tuum igitur erit, Pater Sanctiſſime, CHRISTI Sepulchro, Eccleſiæ bono, his Provinciis conſulere: tuum Chriſtianos Principes de periculo admonere: & qua verbis, qua authoritate hortari, atque urgere; ut bellum tam glorioſum, tam pium, tam neceſſarium, maturè, atque omnibus viribus ſuſcipiant. Ne verò credant, me non publicam, ſed privatam cauſam agere, & Regno, & titulo ſponte cedam: & ſi Fridericus, quem ego unum ad tantum opus idoneum exiſtimo, contrahere mecum affinitatem velit; & Jolantam filiam, ſi lubeat, uxorem, & pro dote jus ad Jeroſolymitanum regnum concedam. Honorius, his auditis, bene eum ſperare jubet, daturum ſe omnem operam, ut afflictis rebus, quam primum ſuccurratur. Inde Purpuratorum Senatu habito; diu diſceptatum. Nam cum diris devotus jam Fridericus eſſet, haud Pontifici videbatur

batur eo ad tantum bellum utendum eſſe. At pervicit altera ſententia, quæ abſolvendum cenſebat, dummodò ea, quæ eo bello occupaverat, Eccleſiæ redderet. Accerſitus igitur è Sicilia Fridericus, quem Honorius Ferentino excepit, atque anathemate abſolvit: inde ei pluribus perſuadet, ut Jolantam cum Jeroſolymitani regni titulo ſibi conjugem accipiat, ſeque ad repetendum armis regnum accingat. Fridericus non repudiandam cum regia dote conjugem ratus, libenter annuit. Ratis igitur nuptiis, eum Pontifex, ut ſe ad iter appararet, vehementer hortatus. Fridericus, accepto Regali titulo Regis Jeroſolymorum, ejus etiam regni inſignia, à primo Rege Gotifrido uſurpata, Svevorum ſtemmati adjunxit.

Interea Jolanta è Syria accerſita Romam venit, cui Pontifex ſacri Regni coronam impoſuit, & Friderico copulavit. Cæſarea inde pompa nuptiæ celebratæ: inque ea ipſa celebritate, plurimi ad trajiciendum, ut tanti Regni poſſeſſionem Imperio adjiceret, & Avorum gloriam ſua ſuperaret, vehementer eum incitaverunt. Quod uti maximus ad ſacrum bellum ſtimulus eſſe debuerat; ita ipſe nihil permotus moras nectere cepit, & triennium etiam poſcere, pretextu ne ſi in Orientem proficiſceretur, tota ab ſe Italia deficeret, apertè inſtitit. Hortari igitur Pontificem, ut Mediolanenſium, & Bononienſium controverſias componeret; cæteroſque Italicos populos conciliaret. Quibus actis, Neapolim venit, ibique ſolitos civium conventus, ut haberi moris erat, & Decuriones creari vetuit: aſſerens minimè his opus eſſe, ubi Rex ipſe præſens, perq; ſuos Adminiſtros Rempublicam adminiſtraret. Hi verò cum plerumque Saraceni, aut his morum pravitate ſimiles eſſent, ac per ſummam injuriam jus dicerent, reſque univerſas pro ſuo arbitrio violenti verterent; Neapolitani, qui aſſueti tot annis libertati erant, ad res novas animum applicuerunt, eoque ardentius, quod multitudine in dies creſcente, atque unà urbis opulentia, ſatis virium ad tuendam libertatem ſe habere arbitrabantur. Verum timore imminentis Friderici, qui magnis copiis in Orientem trajecturus ferebatur, in meliora tempora conſilium tranſtulerunt. Prudenter rati, minimè id moliendum eſſe, quod haud tuto exequi potuiſſent: neque fidendum multitudini eſſe, ni valido illa præſidio muniatur. Friderico mortuo, Miniſtris illis ejectis, ad ſe civitatis regimen iterum adduxerunt, & annuente Innocentio IV. Pontifice, cui ſatis inviſum Svevorum nomen erat, tamquam Eccleſiæ periculoſum, priſtinam ſibi libertatem aſſerere ſunt conati. Cui tamen conatui Nobiles inter, & plebem diſcordia, conſuetum civitatibus malum, plurimum obſuit. Nobiles majorem ipſorum numerum in Magiſtratu, æqualem plebs volebat, dumque ipſi ſic diſſident, nihil omninò effectum eſt.

Vu 2 Por-

Porrò Fridericus opportunam navigandi tempeſtatem nactus Neapoli in Siciliam ſolvit, ibique multis, quæ ad illius inſulæ ſtatum pertinebant, compoſitis, ſumma in Italiam celeritate rediit, cumque ad Caſſinum duo Cardinales Pelagius Epiſcopus Albanus, & Gualla Presbyter tituli S. Martini Legati à Pontifice miſſi, convenerunt, rurſumque ut ſe ſacramento adſtringeret ad ſacra Syriæ loca repetenda, compulerunt. Ipſe iterum ſacramentum dixit, ſe intra duos annos in Orientem navigaturum: ducturumque ad bellum roſtratas L. omni apparatu inſtructiſſimas, & C. armatorum millia. Cardinales ſolemnem in eum deteſtationem, ni promiſſis ſtaret, publicè protulerunt. Quibus peractis, ipſe Cremonam ad conventum agendum, ad quem ex Germania Henricum filium cum armatis evocaverat, eſt profectus. Hic autem conventus infrequens fuit, nam Italiæ fœderati venienti Henrico Alpes occluſerant. Fridericus odio Bononienſium Gymnaſium Neapolim tranſtulit, juſſitque Italiæ juventutem ad eam ſe urbem ſtudiorum cauſa conferre. At pauci admodum edicto paruerunt, tum quod inviſus ipſe Italis eſſet, tum quod non facilè erat ab antiqua conſuetudine gentem removere. Conventu abſoluto, Reatè progreſſus: ibique Honorio convento, & querelis de Italiæ populis expoſitis, Neapolim petivit; ut ex ea in Siciliam, ubi per anni tempeſtatem liceret, commodè navigaret.

Intereà Honorius XIII. Kal. Aprilis anni MCCXXVII. fato conceſſit, quo tempore magni Italiam terræmotus vexarunt. Honorio juſtis veteri more perſolutis, comitia habita, in quibus Hugolinus Cardinalis in demortui locum ire juſſus, & Gregorius IX. nuncupatus, qui ſimul ac Pontificatum adiit, ratus potiſſimam ſui muneris curam eſſe ſacram expeditionem promovere, ſtatim ad Fridericum ſcripſit; ſerioque admonuit, ut quod toties concepto voto ſpoponderat, tandem aliquando adimpleret, ſeque concepta religione abſolveret: daret maturè operam; ut eam ſibi gloriam, quam majorem nunquam adipiſci potuiſſet, compararet: eam univerſo Chriſtiano Orbi gratiam faceret; ut nimirum ex barbarorum manibus receptum CHRISTI Servatoris Sepulchrum, quod unum omnibus diu votis optaverat, tandem videret, liberumque cunctis voti cauſa cò acceſſum eſſe: relaturos univerſos ei gratias; memoremque tanti beneficii poſteritatem omnem futuram. Fridericus tam juſtæ petitioni abnuere apertè neſciens, adornare expeditionem in ſpeciem cepit, rebuſque Siciliæ ordinatis, Ravennam primum, mox Cremonam ſe contulit, ibique conventu ſuorum habito de ſacra expeditione egit, ejuſque maturandæ conſilia tractavit. Deinde Henrico filio Cæſari deſignato mandat, ut Aquis comitia cogat, inque illis de Syriaca expeditione ad Germa-

niæ Principes referat. Præſto univerſi Principes adfuerunt, ſacroque bello nomina dederunt. Dicta dies, ad quam univerſi convenirent. Dux copiarum Ludovicus Thuringiæ Dux S. Eliſabethæ vir creatus, ei collega datus Singifridus Rechbergenſis Epiſcopus, qui nihil morati exercitum in Italiam duxerunt. Joannes Brenna cum uxore Berengaria ad eam famam excitatus ex Gallia cum electa manu illicò adfuit, ut ei bello, cujus ipſe præcipuus auctor fuerat, intereſſet. Per id tempus Fridericus nunciis per Provincias univerſas miſſis, omnes Cruceſignatos, ſuaſque copias admonuit, ut ad diem Aſſumptæ in Cœlum Virgini ſacram, Brunduſium ad trajiciendum convenirent. Quo nuncio vulgato, tanta multitudine gentes confluxerunt, ut ex uno Angliæ regno LX. millia numerarentur. Sacrorum militum piam, ac generoſam alacritatem ſibi acceptam eſſe manifeſto Deus teſtari prodigio voluit; ea quippe die, qui D. Joannis Baptiſtæ feſtum præcedit, viſus CHRISTUS Dominus in aëre præfulgens, claviſque, & lancea perforatum corpus nitidiſſimi inſtar Solis omnibus viſendum exhibere, & ſe quaſi Ducem expeditionis promittere: ut Pariſius author eſt. Quod ſacrum oſtentum, cum ſumma omnes lætitia, ac proficiſcendi alacritate repleret, unum Fridericum non movit: adeo difficile ad frugem redimus, cum prava conſuetudine animus in vitiis callum obduxit. Imo acſi de induſtria prodere eam multitudinem vellet, frigidè ſe in tanta re agere, nullam comeatus curam ſuſcipere, differre dies cunctorum indignatione occepit. Quo factum ut Apuliæ æſtu ſupra modum ſeviente, tentari morbo quam plurimi cęperint: tanta dein rerum egeſtas ſecuta, ut magna pars morbo, fame, ſitique interjerit. Inter cęteros Dux ipſe Ludovicus Langravius, ac Singefridus collega, fuerunt: pars domum repetens in itinere defecit, paſſimque per ſylvas, & campos militum cadavera reperiebantur: pars reliqua, facta navigandi poteſtate, naves conſcendit, certo credens Imperatorem brevi ſecuturum, qui deinde modico comitatu navem poſtremus conſcendit, triduumque provectus, ex improviſo converti curſum imperat, litoraque Italiæ repeti, cauſatus maris jactationem, & valetudinem, qua repente oborta malè afficiebatur. Id cum illi, qui præceſſerant, & ad Laconiæ portus expectabant, comperiſſent, iiſdem navibus, quibus diſceſſerant, retro redierunt. Gregorius ubi rediiſſe Fridericum accepit, juſtam in iram exarſit, conceptumque dolorem vix tenuit. Tot enim, tantoſque apparatus, tanto labore, tantis opibus adornatos unius Friderici cauſâ periiſſe; ſpemque omnem recuperandæ Paleſtinæ funditus præciſam univerſi Chriſtifideles cum ſancto Patre jure, meritoque conquerebantur. Quocirca ex Purpuratorum Patrum ſententia Fridericum in eas execrationes,

quas

quas ſibi ipſe advocaverat, incidiſſe ſacro ritu pronunciavit; *his* verbis: *Imperatorem Fridericum, qui nec ad conſtitutum tempus tranſfretavit; nec eam, quam promiſerat pecuniam, impendit: nec eos milites, quos debebat, ad Paleſtinæ præſidium aluit, in præſcriptæ excomunicationis laqueum ſe ultroneus ingeſſit, excomunicatum, quanquam inviti pronunciamus: & mandamus ab omnibus arctius evitari, contra ipſum, ſi contumax fuerit, gravius acturi.* Fridericus eam pęnam cęteroqui meritiſſimam, quam tamen ipſe contumeliam vocabat, ferre impatiens vehementer in Pontificem accenſus: probriſque in eum jactis, quod primum iræ poculum eſt, inſidias inde moliri, ejuſque ditionem invadere aggreſſus eſt. Frangipanes ſpe, & pecunia extulit, qui Pontificem de more iterum die Dominicæ cœnæ inſigni ſacro Fridericum fulmine perſtringentem adorti, in fugam compulerunt, qui clam Roma cum fidiſſimis ſuorum evadens, Peruſiam conceſſit. Saracenos in Pontificiam ditionem, ut cuncta cędibus, ac rapinis fędarent, magna manu immiſit: bellum in Etruria movit. Ut verò Paleſtinæ conſulere videretur, Thomam Comitem Acerrarum eos ad regendos populos ire juſſit, & ut quid quid pecuniæ ex Xenodochii, Templique manſionibus poſſet, auferret, injunxit. Verum Gregorius minimè animum deſpondens: ſed ea uſus fortitudine, qua eſſe Pontifices in improbos debent, Joannem Brennam, Friderici ſocerum, quem ipſe à ſe ingratus homo alienaverat, Pontificiis copiis, & Romaniolæ præfecit: ubi rem proſperè geſſit. Interea Jolanta vita exceſſerat: hanc fuiſſe cauſam necis tradunt. Fridericus ingenuæ cuidam puellæ ſtuprum intulerat. Id conjux ægre tulit, & apud patrem conqueſta. Fridericus ob id indignatus in carcerem miſit; verberibuſque adeo affecit, ut illa interjerit. Nempe eſſe in ſuos miſericors is nequit, qui pius in Deum non eſt. Conjuge interempta, Auguſto menſe, parte copiarum in Sicilia, & Apulia, ad convellendas Eccleſias relicta, ipſe cum reliquo exercitu in Syriam anno MCCXXVIII. inauſpicato navigavit; neſciens haud feliciter eam expeditionem ceſſuram, quam ipſe contumax erga Pontificem, atque infernis devotus ſuſciperet. Sub feſtum Natæ Virginis Ancon Paleſtinæ urbem tenuit. At Gregorius ejus diſceſſu comperto, vehementer indignatus, quod modico apparatu, & à piorum ſocietate diſiunctus, tantam belli molem ſuſcepiſſet. Joannem Brennam in Apuliam contra Rayaldum Spoletini Ducis filium à Friderico contra Eccleſiam relictum exercitum ducere mandavit. Legatos ad Italiæ populos, ut eos ad Eccleſiæ partes pertraherent, prudentiſſimos viros miſit. Tum iterum in duas factiones, quarum una Eccleſiam, alia Imperatorem ſequebatur, ingenti Reipublicæ damno Italia diſtracta; ut ſic ſuiſmet viribus attereretur. Primi Guelfi, ſecundi Gibellini voca-

vocabantur, quæ factiones à Germania nuper adductæ univerſam Italiam miſerè lacerarunt. Cardinalem Columnam cum aliis copiis in Campaniam ire juſſit, qui, Fridericianis proſpero prælio fuſis, Caſſinum, & reliqua loca, quæ Capuam uſque interjacent, facili negotio occupavit. Rainaldus Campaniæ metuens, Piceno exceſſit, locumque Joanni præbuit, ut quæ oppida in ea Provincia Friderici armis tenebantur, illicò reciperet.

Interea Fridericus Raynaldum Bavarum Equitum Magiſtrum Ptolemaidam cum aliquot copiis miſit, qui, ut in mandatis acceperat, agere de pace cum barbaro Rege cœpit. Quo cognito, Templarii Equites, ac Veneti, quibus Pontificis litteræ allatæ fuerant, remque omnem reſciverant, tumultu ſtatim excitato, prodi res Chriſtianas exclamant, plebemque ad libertatem vocant. Sed Venetis urbe pulſis, ſedatus tumultus; atque ope Piſanorum, ac Genuenſium, qui hoſtes Venetorum erant, Fridericus è Paleſtina in Syriam venit: nulloque memorabili geſto, inducias ad decennium cum Ægypti Rege, his iniquis conditionibus pepigit: ut ipſe Jeroſolymorum urbem, muris nudatam, ac penè deſertam haberet; barbarus Templum ſacri Sepulchri unà cum arce, ad ſempiternum Chriſtianorum opprobrium, poſſideret; inque eo ſacra profano ritu agerentur: plurima caſtella ſemiruta, quorum barbara nomina referre operæ pretium non eſt, Friderici eſſent, arx verò munitiſſima Cariathi, quę in Arabiam vergebat, Ægyptio Regi traderetur. His pactis, ubi ratæ ab utroque induciæ, ac firmatæ fuerunt, die Annunciatæ Virgini ſacro Templum ingreſſus ex ara maxima Regiam ſibi Coronam impoſuit, miroque ſibi plauſu gratari viſus. Verum ingenti Chriſtianorum indignatione, qui eum ſacrorum locorum proditorem vocabant, meritiſque paſſim probris proſcindebant. Corruptis inde navibus, quæ Ptolemaide ad urbis tutelam ſtationem habebant, urbem expilavit; ſpoliaque ad barbarum domo miſit, ut non inducias, ſed fœdus cum eo feciſſe putaretur. Idcirco acerbiſſimæ inter ipſum, & Patriarcham, ac Templariorum Equitum Magiſtrum, iræ, atque odia exorta: omniumque maledictis, ac probris proſciſſus. Tandem nemine ſalutato, ac fugitivo ſimilis duabus roſtratis Occidentis Imperator, plus ignominiæ, quam palmarum ferens, in Europam remeavit: votoque non ſoluto, ſed novis criminibus implicatus, Brunduſium appulit. In eam urbem ſpolia Orientis ſua expeditione digniſſima Camelos, Elephantos, Pantheras, aliaſque beſtias magna pompa importavit. Nec alium ſanè exitum ea expeditio habere poterat, quam inauſpicato, ac Superis omnibus invitis, ſuſceperat. Pietate armati Reges fortiſſimis etiam barbaris terribiles; piaculo obſtricti, etiam imbecillibus ſunt contemptibiles.

In

In Apuliam reverſus oppida quædam, quæ rebellaverant, facilè recepit: quæ verò à Pontifice occupata, iram diſſimulans omiſit. Capuam inde profectus ſuorum Procerum conventum egit; ex quorum conſilio inducias à Pontifice petiit; nec niſi poſt annum Hermundo Theutonici Ordinis Magiſtro, ac Meſſanenſe Antiſtite intercedentibus, impetravit. Pacem adeptus Anagniam ad Gregorii pedes venit, ibique piaculis abſolutus, ac fidelium communioni redditus, expiatum triduum Pontifex ad convivium perhumaniter adhibuit, & magnificè tractavit. Anagnia digreſſus, Saracenos, qui in Sicilia per varia ejus inſulæ loca diſperſi habitabant, in unum coëgit; & iterum eis Luceriam, quæ ſemiruta erat, ad incolendum conceſſit. Fuere ad XX. millia capitum, ex quo adhuc Luceria Saracenorum appellatur. Nec multo poſt cum Latum Saracenorum oppidum diruiſſet, eos Nuceriam in Campaniæ finibus tranſtulit, à quibus ea etiam urbs cognomen obtinuit. His verò barbaris plurimis in bellis uſus; eorumque virtutem ſæpius commendavit.

Friderico pariter Cæſari Aquilæ, quę celeberrima in Veſtinis urbs, ædificatio tribuitur. Etenim Amiterno vetuſtiſſima earum gentium urbe, aliiſque circumpoſitis oppidis barbarorum incurſu dirutis, incolæ per varios Apennini ſaltus diſperſi habitabant. Illos congregari in unum juſſit: novamque ad incolendam urbem ædificare, eamque ab Aquila Romani Imperii inſigni Aquilam appellari, quæ deinde & ſtructura ædificiorum; atque incolentium cultu inter primas Neapolitani Regni urbes eſt habita. His ita conſtitutis, cępit Italiæ urbes circumire, conventumque pro pace Italiæ componenda celebravit; ſecumque belluas, quas ex Oriente advexerat, magnifico apparatu circumferebat, variaque populis ſpectacula exhibebat. Quibus ludicris dum ipſe otioſus occupatur, Henricus filius defecit. Nempe ut ſicut à Pontifice communi Chriſtianorum Patre tanto Reipublicæ damno defecerat, deficientem ita à ſe filium videret. Illum ut ſubito opprimeret, ne ſi lentè egiſſet, malum latius manaret, cum ingenti exercitu in Germaniam convolavit, eodemque fermè tempore, unoque veluti impetu X. oppida militari corona cępit. In horum uno Henricus filius erat: qui diffidens ſe armis tueri poſſe ad patris pedes ſe abjecit, & erroris veniam multis precibus petivit. Fridericus quanquam iratus, paterno tamen amore impulſus dedit. At veritus ne inquietum filii ingenium novi aliquid iterum moliretur, in vinculis habuit, ſecumque Vormatiam duxit: neſciens haud gratam eam veniam futuram, quę integra non eſſet. Siquidem Henricus vinculorum ignominia exaſperatus patri venenum propinari curavit, quo crimine convictum, arctius ligari Fridericus mandavit; inde Mar-

turanum Brutiorum oppidum tranſtulit, ibique adoleſcens carcerè inclusus, & tenuiſſimo victu pactus ex inedia objit. Ejus corpus Conſentiam earum gentium Principem translatum, inque majori Eccleſia ſepultum. Henrico in ordinem redacto, Fridericus Conradum filium, quem ex Jolanta ſuſceperat, Germaniæ Regem creari curavit; atque in Henrici fratris locum ſuccedere, quod facilè obtinuit. Nuptiis mox cum Iſabella Henrici Angliæ Regis filia celebratis, in Italiam reverſus. Reate Gregorium convenit, pactæque concordiæ obſidem filium dedit. Inde Auguſto menſe anni MCCXXXII. contra Romanos, qui Viterbium obſederant, Pontificis nomine movit: ea urbe liberata, illicò in Siciliam trajecit, ubi Martino Ballano authore, ingens ſeditio exorta, qua Meſſana, aliaque inſulæ loca à Friderico defecerant. Fridericus Meſſanam facili negotio recepit: Martinum incendio necavit, inde Syracuſas progreſſus in deditionem accepit: mox Nicoſiam. Centuripen, quia contumacius armis obſtiterat, captam funditus delevit, & ad Tapſum peninſulam Auguſtam urbem condidit: inque eam Centuripenſes tranſtulit. Sicilia pacata, in Italiam unà cum Conrado redivit, & Gregorium Pontificem convenit. Quoniam verò jam induciarum finis appetebat, quas cum Ægypti Rege fecerat, eum Gregorius ad reſumendum bellum hortatus; ſacramque expeditionem iterum indixit. Fridericus, cui bellum illud haud gratum erat, cauſatus Italicarum urbium inobedientiam, & arma, quibus ſe ab Imperio ſubducere ſatagebant, ſe excuſavit: aſſerens, Neutiquam prudentis viri eſſe, quę domi ſunt, omittere, ut aliena, & longe poſita ſectetur: neque feliciter externum bellum tractari poſſe, cum turbida domeſtica exiſtunt. Pontifex ratus eo prætextu, ſe Fridericum eo bello liberare velle, moleſtè tulit. Nova mox materia diſſentionis, inter ipſum, & Gregorium exorta: ea verò fuit, quod Sardiniæ partem, quæ ad Eccleſiam ſpectabat, occupaſſet; & Henricum filium, Entium alii vocant, ex concubina natum Regem Sardiniæ, inſcio Pontifice, creaſſet, & quod quædam in Sicilia Eccleſiæ jura uſurpaſſet, & civitatem Caſtellæ, ut conventum fuerat, non reſtituiſſet. Quæ cum omnia ſibi, atque Eccleſiæ reddi Pontifex petiiſſet; & Fridericus negaret, ea Eccleſiæ, ſed Imperii eſſe; ideoque illa ſe reſtituere ſalvo jure non poſſe. Gregorius iterum eum admonuit, atque Eccleſiaſticas minas interminatus: quas ubi contemni ab Imperatore animadvertit, iterum Senatu habito, ſacro eum fulmine perſtrinxit. Id poſtquam Patavii, ubi Cæſar erat, divulgatum, ipſe advocari illicò concionem juſſit: cumque pro tribunali ſediſſet, Petrus Vinea, qui illi à ſecretis erat, ita orationem exorſus.

Leniter ex animo quidquid patiare ferendum eſt;
Quæ venit indignè pęna, dolenda venit,

Quam ſententiam ad rem ſuam referens: Fridericus, inquit, non ſanè immeritò de Eccleſiæ Rectoribus conqueri poteſt, quod cum ſanctiſſimè Imperium adminiſtret, tam malè de ſe illi mereantur, qui ſi conſcius ſibi vel minimæ culpæ eſſet, ultro Eccleſiaſticas pęnas ſubiret. Cum autem expers criminis ſit, curabit, ut cunctis id palam fiat, concionemque dimiſit. Literas inde ad Romanos miſit, eoſque arguebat, quod ſe innocentem damnari paſſi eſſent: alias item ad Principes dedit, quibus ſe purgare, ac Pontificem maledictis proſcindere ſtuduit. Gregorius aperti illum mendacii convicit: contumacemque intelligens, Venetos, ac Genuenſes, qui diſſidia diù exercuerant, reconciliavit: poſtea cum ipſis, ac Circumpadanis populis fędus percuſſit, decretumque ut bellum in Gallia Ciſalpina, & Apulia contra Fridericum gereretur. Hujus verò belli magnum in Cœlo oſtentum apparuit. Nam III. Non: Julii à Meridie uſque ad nonam horam Sol *inſolitum* in morem defecit, tantaque caligine obductus, ut Stellæ in Cœlo conſpicerentur. Qua novitate mortales perculſi, inſtare Mundi finem, cunctaque in antiquum chaos reditura facile, ut eſt vulgus **hominum**, crediderunt. Idirco ad Eccleſias confugere, ſupplices precari Deum, ac Superos omnes, pectora pugnis contundere, peccata confiteri, pęnitentiam agere trepidi cęperunt: quæ ut ſubita territi formidine egerunt; ita mox excuſſis tenebris, ad priſtinos mores redierunt. Nempe haud vera ea pęnitudo, quæ ſubito periculo exprimitur.

HI:

Digitized by Google

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ

LIBER DECIMUSSEXTUS.

LUctuoſus nos annus MCCXL. ſextum decimum Hiſtoriarum Librum ordientes accipit: quo tota penè Italia,ne dum Apulia, miſerè eo bello, quod inter Pontificem, & Imperatorem gerebatur, afflicta, ac penè deſolata eſt. Ferraria, munitiſſima ad Padum urbs ope Venetorum à Pontificiis capta; validoque præſidio firmata: ſuam ad illius expugnationem Mediolanenſes, ac Bononienſes operam contulerunt. Veneti potentiſſima in Apuliam claſſe devecti: in qua quia plurimi Friderici immanitatem oderant, Eccleſiæque addicti erant, illico ad arma conclamatum. Fridericus Venetorum adventu, & Apulorum motu comperto, ſtatim in eam Provinciam feſtinavit. At non multo poſt cum ruere res ſuas in Ciſalpinis intelligeret, eò ſe deducere ſtatuit, Apuloque bello Vicariis commiſſo, ipſe Capuæ conventum egit, quo abſoluto, in Picenos movit, in tranſitu Aſculum cepit, ac diripuit. Faventiam inde progreſſus, eam urbem, quæ ſola obſiſtere conabatur, arcta obſidione præcinxit. Faventini cum jam circumagi Autumnum viderent; ideoque importunum ad obſidium id tempus eſſe, fortiter tutari muros ſtatuerunt: certi, quod ſi primum impetum repuliſſent, diſceſſuros hoſtes, ſeque ea procella liberos futuros. Sed

Quam ſententiam ad rem ſuam referens: Fridericus, inquit, non ſanè immeritò de Eccleſiæ Rectoribus conqueri poteſt, quod cum ſanctiſſimè Imperium adminiſtret, tam malè de ſe illi mereantur, qui ſi conſcius ſibi vel minimæ culpæ eſſet, ultro Eccleſiaſticas pęnas ſubiret. Cum autem expers criminis ſit, curabit, ut cunctis id palam fiat, concionemque dimiſit. Literas inde ad Romanos miſit, eoſque arguebat, quod ſe innocentem damnari paſſi eſſent: alias item ad Principes dedit, quibus ſe purgare, ac Pontificem maledictis proſcindere ſtuduit. Gregorius aperti illum mendacii convicit: contumacemque intelligens, Venetos, ac Genuenſes, qui diſſidia diù exercuerant, reconciliavit: poſtea cum ipſis, ac Circumpadanis populis fędus percuſſit, decretumque ut bellum in Gallia Ciſalpina, & Apulia contra Fridericum gereretur. Hujus verò belli magnum in Cœlo oſtentum apparuit. Nam III. Non: Julii à Meridie uſque ad nonam horam Sol *inſolitum* in morem defecit, tantaque caligine obductus, ut *Stellæ* in Cœlo conſpicerentur. Qua novitate mortales perculſi, inſtare Mundi finem, cunctaque in antiquum chaos reditura facile, ut eſt vulgus hominum, crediderunt. Idirco ad Eccleſias confugere, ſupplices precari Deum, ac Superos omnes, pectora pugnis contundere, peccata confiteri, pęnitentiam agere trepidi cęperunt: quæ ut ſubita territi formidine egerunt; ita mox excuſſis tenebris, ad priſtinos mores redierunt. Nempe haud vera ea pęnitudo, quæ ſubito periculo exprimitur.

HI-

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ

LIBER DECIMUSSEXTUS.

LUctuoſus nos annus MCCXL. ſextum decimum Hiſtoriarum Librum ordientes accipit: quo tota penè Italia, ne dum Apulia, miſerè eo bello, quod inter Pontificem, & Imperatorem gerebatur, afflicta, ac penè deſolata eſt. Ferraria, munitiſſima ad Padum urbs ope Venetorum à Pontificiis capta; validoque præſidio firmata: ſuam ad illius expugnationem Mediolanenſes, ac Bononienſes operam contulerunt. Veneti potentiſſima in Apuliam claſſe devecti: in qua quia plurimi Friderici immanitatem oderant, Eccleſiæque addicti erant, illico ad arma conclamatum. Fridericus Venetorum adventu, & Apulorum motu comperto, ſtatim in eam Provinciam feſtinavit. At non multo poſt cum ruere res ſuas in Ciſalpinis intelligeret, eò ſe deducere ſtatuit, Apuloque bello Vicariis commiſſo, ipſe Capuæ conventum egit, quo abſoluto, in Picenos movit, in tranſitu Aſculum cepit, ac diripuit. Faventiam inde progreſſus, eam urbem, quæ ſola obſiſtere conabatur, arcta obſidione præcinxit. Faventini cum jam circumagi Autumnum viderent; ideoque importunum ad obſidium id tempus eſſe, fortiter tutari muros ſtatuerunt: certi, quod ſi primum impetum repuliſſent, diſceſſuros hoſtes, ſeque ea procella liberos futuros. Sed

Digitized by Google

ſua eôs opinio fefellit; nam Fridericus cum vi urbem validè oppugnatam capere haud poſſe cognoſceret, fame oppidanos ad deditionem cogere inſtitit.

Interea Gregorius, ut afflictis Eccleſiæ rebus levamen aliquod afferret, concilium indixit, monuitque univerſos Antiſtites, ut Romam ad diem Redivivo Domino ſacram ſequentis anni convenirent; ut Friderici cauſam ipſi cognoſcerent. Id poſtquam Cæſar accepit, Henrico filio Sardiniæ Regi injunxit, ut claſſe maria obſideret, ne Patres ad conventum venirent, Piſanoſque contra Genuenſes incitavit. Inde vere jam redeunte, Faventinæ obſidioni inſtitit, quam tandem ſeptimo menſe cepit. Per id tempus cum ſumma pecuniæ inopia premeretur, multaque ad immenſos, ac continuos belli apparatus indigeret, poſtquam aurum omne, argentumque abſumpſiſſet, ex corio cudi nummos mandavit, in quibus hinc ejus effigies, illinc Aquila inſculpta cernebatur, eoſq; pro Auguſtali aureo diſtrahi, ſeveriſſimo edicto juſſit: totoque eo tempore, quo bellum illud duraſſet, tradi, atque accipi, non ſecus ac ſi vere aurei nummi eſſent. Bello finito, ſinguli, qui eôs nummos habuiſſent, ad Ærarium deferrent, totidem Auguſtales acceptūri, quod & factum deinde, ferunt. Sed jam Patres ad concilium frequentes venire cœperant. Fridericus cum illis mare intercludere non poſſet, ut per Italiam terreſtri ſe itinere deducerent, invitavit: liberum ſe iter daturum, eoſque de ſua cauſa ſincerè edocturum; quando injuſtè damnatus à Pontifice eſſet, ac prò hæretico habitus. Patres ſuſpecta infidi hominis promiſſa habentes, & eo præcipuè quod non rogatus offerret, Genuenſium claſſe trajicere conſtituerunt. Tum Cæſar ira, in quam proniſſimus, vehementer inflammatus, Entio filio mandat, ut cum roſtratis, quas habebat, & auxiliis Piſanorum, Ligurum claſſem adoriatur. Hic paternis juſſis obtemperans XX. navibus longis inſtructiſſimis, Duce Stolhio pirata rei navalis ſcientiſſimo Piſis egreſſus obviam Liguribus vadit: navalique certamine commiſſo, illos vicit. Legatos Pontificios, Præſules, Abbates, fœderatarumque civitatum Legatos partim ſubmerſit, partim captivos duxit, nonniſi paucis fuga elapſis: eos Fridericus omnibus contumeliis, atque ærumnis affectos Neapolim duci juſſit, ubi plurimi in ſordido carcere perierunt, quod ne à barbaro quidem Principe expectaſſent. Sed efferatus ira, ac vindicta animus omni barbarie, ac fœditate nequior. Hæc ſimul ac Gregorius accepit, tanto dolore eſt affectus, ut illicò in morbum lapſus: quo brevi C. annos natus jura Naturæ ferò perſolvit. Eo mortuo, vix haberi comitia poterant, nam X. tantum Cardinales Romæ erant, quocirca Patres rogandum Fridericum cenſuerunt, ut duos, quos captivos habebat, qua voluiſſet, condi-

ditionē, emitteret. Dimiſit ea ille; ut ſcilicet comitiis peractis, redirent; ni forte aliquis ipſorum renunciatus Pontifex fuiſſet. Habita dein comitia, in quibus Gaufridus Sabinus Epiſcopus in Pontificem cooptatus, & Cęleſtinus IV. nuncupatus. Verum intra paucos dies priuſquam inauguraretur, è vivis ſublatus. Patres iterum creando Pontifici comitium ingreſſi, in quo cum quidam Eccleſiæ bonum, alii Cæſaris utilitatem ſpectarent, ſoluta comitia, ipſique Patres magno Chriſtiani gregis damno, in diverſa abjerunt. Malè in eo Senatu agitur, ubi, qui liberam ferre ſententiam debent, alterius partis vel gratia, vel munere corrupti. Inſtante mox Friderico, in quem dilatorum comitiorum cauſam univerſi Chriſtifideles refundebant: permotique Cardinales, quod Saraceni Cæſaris juſſu Albanum ita expilaverant, ut ne ſacra quidem Eccleſiis relicta, Anagniæ coierunt, & Sinibaldum Fliſcum Genuenſem Pontificem renunciarunt, qui Innocentius IV. nuncupatus. Id ubi Fridericus accepit, Petrum Vineam, & Thomam Sveſſanum Legatos ad eum gratulatum miſit, eique literas perhonorificas dedit, ſeque & ſua omnia offerens. Nempè ut in Gregorium, non verò in Pontificem ſæviſſe videretur: ab illis factitari ſolitum, qui minus mali haberi ſatagunt, quando peſſimi re vera ſunt. Per idem tempus, quoniam amicus Friderico Sinibaldus extiterat, univerſæ propemodum gentes eidem per literas gratulatæ, quod amicum Pontificem obtinuiſſet: ac ſperare ſe brevi pacem inter illos componendam. At unus ipſe, qui acri ingenio præditus, quod eventurum erat longè proſpiciens, ea electione neutiquam gaudebat. Siquidem magnus timendi ſtimulus ipſa erat conſcientia: quæ ſibi male conſcia ad bonam ſpem minimè inducebatur. Imo amicis gratulantibus, ajebat, ſe amicum Cardinalem amiſiſſe, & inimicum Pontificem acquiſiſſe, ideoque juſtam doloris, non lætitiæ cauſam habere. Nec eum ſua opinio fefellit. Nam Innocentius Legatis reſpondit, ſe cum Pontificatu ſtudium pariter tuendæ Eccleſiæ ſuſcepiſſe; quare, ſi purgare crimina vellet, bona, quæ occupaverat, Eccleſiæ redderet, ſi vero in aliquo ſe læſum, aut ipſius regnum imminutum duceret, ſtaret Patrum judicio in eo concilio, quod jam Gregorius indixerat, & ipſe proximè celebraturus erat. Id Fridericus inſolenter reſpuit, intercludique Alpium aditus, ne quis hæc ad Tranſalpinas gentes nuncius proferret, ſolicitè curavit. Religioſos quoſdam viros, qui Pontificis literas, quibus Epiſcopi advocabantur, ſecum præferebant, atrociſſimis tormentis necari juſſit; aliaque in Eccleſiam aſperiora molitus: ne ſuo ſcilicet ævo Nero, aut Diocletianus ad bonorum exercitationem deſideraretur. Quod ubi Italæ urbes cognoverunt, ab illius amicitia diſceſſerunt; eumque tanquam Eccleſiæ

ho-

hoſtem, infidelium fautorem, paciſque everſorem habebant. His ille permotus eoſdem, quos gratulatum miſerat, Legatos ad Pontificem ire jubet, pacem rogatum. Innocentius Balduino Orientis Imperatori, qui, deſperatis Aſiæ rebus, tum primum in Italiam venerat, & Toloſatium Comiti pro pace inſtantibus, pacem ſe daturum dixit, ſi æquis Fridericus conditionibus ſtaret. Verùm cum hic omnes reſpueret ad quatuor menſes protracta res eſt. Tandem conſtitutum, ut ad civitatem Caſtelli colloquium haberetur, fieri poſſe, ut res pacificè tandem transigeretur. Verum cum Innocentius inſidias ſibi à Friderico, & Romanis parari certò compeniſſet, in tutum ſe deducere ſtatuit. Genuenſium navibus, quæ cum Jacobo, Alberto, & Ugone nepotibus aliò tenere curſum ſimulantes ad Centum Cellas ex improviſo applicuerant; quo & ipſe Sutrio elapſus cum Cardinalibus noctu venerat, in Galliam navigavit. Fridericus, re comperta, urbes omnes, quas armis occupaverat, validis præſidiis communivit. Deinde in Apuliam progreſſus, in eos Proceres, qui Pontifici, ad quem pertinere regni jura arbitrabantur, præſto fuerant, acerbiſſimè ſævìit. Ex his præcipuis Theobaldus, Franciſcus, & Gulielmus Sanſeverinii, Pandulphus, Riccardus, & Robertus Faſanella, Jacobus, & Godefridus Morra, & Giſulphus Maina numerati. Hi cum copiis, quas coëgerant, ad Venuſiam cum Cęſarianis congreſſi, acie victi in Friderici poteſtatem venerunt, qui eos Aprili anni MCCXLIV. variis tormentis cruciari, necarique juſſit. Quidam vivi in ignem conjecti, omnes immanem in modum occiſi. Nec ſanè mirum ſi ita is ſæviebat, qui fidem exutus ethnico ritu vivebat. Horum uxores, ſororeſque nobiliſſimas, ingenuaſque matronas, quæ Panormum ad ejus pedes veniam exoraturæ venerant, juxta Palatium in ſpeluncis occuluit, fameque confecit. Atque hinc ortum proverbium, quo ingens malum Siculi imprecantur: uti fœminæ, quæ malo omine Panormum venerunt. Ex his, ut Fazzella author eſt, duo corpora unà cum veſtibus integra anno MDXIV. à fabris cœmentariis reperta; dum Prætoris juſſu veteres carceres inſtaurant. Hoc memorabili excidio Sanſeveriniorum familia penè interiit: nec niſi unus novennis puer, cui Rogerio nomen, ope, atque induſtria Poliſenæ Celani Comitis uxoris evaſit. Hæc ſuæ domus (nam Sanſeverinia erat) miſeratione permota, ſpreto immanis Principis edicto, clam puerum ſubduxit; atque Innocentio ſervandum tranſmiſit: cujus cauſa nobiliſſima domus tantum non exciſa. Pontifex illum benignè excepit, & magna cura educari juſſit. Ubi verò adultus magnam præ ſe indolem ferre viſus, ingentemque de ſe ſpem præbere, neptem Fliſci Comitis filiam uxorem dedit. Tandem Friderico, & Conrado, è vivis ſublatis, Neapolim reduxit.

Porrò

Porrò Innocentius adverſo Rhodano invectus Lugdunum pervenerat, ibi Concilium à Gregorio IX. indictum, agere ſtatuit, ad quod ſtatim univerſos Præſules, ac per Præconem Fridericum ipſum ad certum diem evocavit. Id ubi Fridericus accepit, veritus ne quid contra ſe in eo magno Eccleſiæ conventu ſtatueretur, in ſuperiorem Italiam ire conſtituit: ne verò ſui novi quid molirentur, Caſertanum Comitem, & Capuam in gratiam recepit. Taddæum Sveſſanum juris conſultiſſimum, Lugdunum ad Concilium mittit, qui brevem moram ad colligendas ſarcinas peteret, venturum ſe propediem: quæque objecta fuerant, dilueret. At cum neque ipſe apparuiſſet: neque hic à Patribus auditus crimina, quæ Friderico obiciebantur, ſatis diluiſſet, anathemate iterum percuſſus: Imperio, ac regnis omnibus depoſitus anno MCCXLV., quinque antequam fato fungeretur. Crimina vero, ob quæ à Patribus damnatus, iſtęc fuerunt: quod ſacrilegus jura, reſque Eccleſiaſticas ubique minuiſſet; Cardinales, cæteroſque Præſules ad Concilium venientes comprehendi mandaſſet: quod hęreſeos ſuſpectus haberetur, ut qui Saracenorum Regulos, ac præcipuè Tunetani Regis Germanum Chriſtiano ritu luſtrari vetuiſſet: & Romanum Pontificem ipſum è piis ſubmovere non poſſe affirmaſſet: quod blaſphemus, tres fuiſſe impoſtores, qui ſuis Orbem terrarum præſtigiis dementaverint, Moyſem nimirum, qui Judæos, CHRISTUM, qui Chriſtianos, Maumethem, qui Maumethanos faſcinaverint: & DEUM de Virgine naſci non potuiſſe execrabili dicto protuliſſet: quod per ſummam perfidiam pacem toties cum Eccleſia pactam fregiſſet; cenſumque pro Regno Siciliæ nunquam debitè perſolviſſet. Fridericus, ut ſe in ordinem redactum cognovit, mirum in modum in Pontificem iratus, eum maledictis proſcindere, affines vexare, pagos, quæ Parmenſi in agro erant exurere, illicò cœpit: ictoque cum Burgundo fœdere, bellum in Galliam inferre conatus eſt. Verum Germaniæ Principes, ſimul ac exauthoratum Fridericum acceperunt, conventum habuerunt, in quo Henricum Landgravium Regem crearunt, qui ſtatim afflictas Eccleſiæ res in Germania erexit. Contra fremente Friderico, & injuriam vindicare cupiente, ſæviſſimum bellum exortum eſt. In Campania populi indignum rati ei parere, quem tanquam hoſtem Eccleſiæ CHRISTI Vicarius damnaverat, tumultus concitarunt, ſed ipſe mira celeritate accurrens, motus compreſſit. Verum contraria in Germania ſors fuit; Henricus Rex deſignatus ad Francofordiam die D. Jacobo ſacra ingenti prælio cum Conrado conflixit; eumque à ſuis pene deſtitutum acie vicit. At non multo poſt, dum Henricus Aquas ad Auguſtalia accipienda progreditur, Conradus, inſtaurato exercitu, occurrit. Ille etſi viribus inferior pugnam

gnam non detrectavit. Commiſſum illico prælium, diuque pari fortuna pugnatum: tandem Conradus acceptam hoſti cladem repoſuit. Henricus ſagitta vulneratus ex nimio dolore interiit. Innocentius novi Regis nece comperta, omnem curam intendit, ut Gulielmus Hollandiæ Comes Rex ſalutaretur, quod & Germani Principes facilè præſtiterunt: qui dum Aquas ad coronam de more accipiendam proficiſcitur, ſe illi Conradus oppoſuit; urbem occupavit; ac diu obſidionem ſuſtinuit. Fridericus Cremonam fidam ſibi urbem venit: ibique ſuadentium amicorum & ratione, & auctoritate victus mitiora conſilia ſequi ſtatuit, pacemque cum Pontifice facere, atque honeſtas, quas poſſet, conditiones obtinere. Ire igitur Lugdunum, ut commodius, ac maturius concordia iniretur, accingitur. Rebus ad profectionem paratis, togatorum perhonorifico comitatu ſecum aſſumpto, Auguſtam Taurinorum procedit, ibi novo conventu habito, Alpes adit. In harum tranſitu nuncius ſupervenit, receptam à Pontificijs Parmam, quo vehementer perculſus, & nova veteri ira addita mirum in modum exarſit, & ut præceps irati animi conſilium eſt, ad eam urbem illicò obſidendam regredi conſtituit. Contractis inde ex Germania, Italiaque auxiliis, & Apulorum, ac Saracenorum copiis ad LX. militum millia conflavit, quibus Entio Duce Parmenſem agrum latè inundavit. Ut verò arctius, vehementiuſque eam urgeret, novum oppidum inſpectis ex Chaldæorum obſervatione aſtris, quibus mirè trahebatur, inſtruxit. Etenim caſtra ampliſſimo ambitu comprehenſa ad urbis modum foſſa, valloque communivit: inque ea opifices tranſtulit: aliaque id genus, ut nihil ad juſtam urbem efficiendam deſideraretur. Novæ urbi Victoriæ nomen impoſuit, qua condita, ingens Parmenſes timor invaſit: quocirca, & urbem validis operibus muniverunt, & omni machinarum genere inſtruxerunt. Ad preces inde converſi, Superos, à quibus majus præſidium ſperabant, ſupplices adivere, præſentem illorum opem poſtulantes. Mox religioſius hoſtem æmulati argenteam urbem, omnibus ædificiis, templis, ac viis elaborarunt, eamque voti cauſa Virgini Matri dedicarunt: cujus patrocinio, auxilioque novam Friderici urbem ſuperbiæ, non pietatis argumentum ſe everſuros ſperabant. Verum poſtquam diu obſidionem toleraſſent, multiſque eruptionibus plurimos fortium amiſiſſent, de deditione cogitare cœperunt, eamque, ni prompta brevi ſubſidia affuiſſent, facere decreverunt. Hæc illis meditantibus, data divinitus rei benè gerendæ occaſio eſt. Fridericus ubi è morbo, quo exagitatus diu fuerat, convaluit, animi gratia cum multis comitibus venatum exiit, ab hoſte, quem attritum jam putabat, omnino ſecurus: ignorans tum maximè timendum ab inimico eſſe, cum hic in extrema deſcendiſſet.

Mon-

Montelongus Legatus vir acer, inque omnem occaſionem intentus, & Philippus Vicedominus, penes quos urbis imperium erat, haud omittendam eam occaſionem rati cum omnibus copiis, pueris etiam, & fœminis adjunctis, quæ ejus gloriç ſibi partem pariter quæſiverunt, ex improviſo eruperunt; Superiſque, & Virgine in primis, cui urbem argenteam dedicaverant, in auxilium advocatis, uno impetu victoriam adorti primos cuſtodes obtruncarunt; inde fortiſſimos quoſque invadentes occiderunt: & antequam Fridericus opem ferre potuiſſet, urbe victoria cum ingenti præda potiti ſunt: inter cætera Imperatoris ipſius corona, ex cujus jure jam exciderat, theſaurus cum omni ſupellectili, & Cremonenſium apparatus, atque impedimenta fuerunt. Captivos receperunt, plurimis hoſtium cum Taddæo Præfecto occiſis, itaque non minus, quam lætitia inflammati victoriam cremarunt. Fridericus cum in tempore ſuis ſubvenire non quiviſſet, ignominia ſordidus, Cremonam eo die eſt profectus. Tanti in bellis momenti eſt, oblata uti occaſione, ac juſtum pugnandi titulum præferre. Innocentius hujus victoriæ nuncio audito, tanto eſt gaudio affectus, ut vix ſe contineret, atque hunc verſiculum pronunciaſſe perhibent.

Ad laudem CHRISTI Victoria victa fuiſti.

Fridericus infauſtis rerum ſucceſſibus perturbatus Entio filio in Ciſalpinis relicto, ipſe per Etruriam in Campaniam venit, ubi quoniam inter Spadones, & concubinas frequens agebat, gravi morbo correptus decubuit. Medicus, & Petrus Vinea, qui duri hominis pertæſi jam erant, in illius vitam conſpirarunt, ac veneno tollere ſtatuerunt. Ad ægrum igitur accedentes ſalutare ſe ei poculum præbituros dixerunt, quo hauſto ſperare illum brevi convaliturum. Fridericus fraudis admonitus, porrigentibus poculum: Confido, inquit, amici, veſtræ fidei: ideoque ne mihi venenum porrigatis, precor. Cui Petrus: Scis, ait, Cæſar, ſalutarem tibi ſemper potionem à Medico iſto præparatam; cur nunc formidas? Tum Fridericus: Porrige, inquit, Medico: inque illius vultum oculos acrius defixit. Medicus, qui re vera, Petro hortante, pharmacum diluerat, illicò exanimatus, pediſque lapſum ſimulans, magnam potionis partem effudit, quo indicio ſtatim ipſe, & Petrus à cuſtodibus comprehenſi; reliquum potionis morti addictis propinatum, qui præ illius vi illicò extincti. Tum Fridericus Medicum ſuſpendio necari, Petro erui oculos juſſit, Piſaniſque illius hoſtibus interimendum dedit. Id poſtquam Petro nunciatum, caput ad columnam, ad quam alligatus, adeo vehementer alliſit, ut effuſo cerebro infelicem mortem obiverit. Atque hic exitus ejus hominis fuit, qui tot annos fidelem Friderico operam navaverat, eumque Deo præpoſuerat. Ex quo diſcere univerſi poterunt,

runt, haud felicem exitum eorum futurum, qui malis Principibus operam locant, nec divina penſi habent, ut illis adulentur. Cæterum Petrus patria Capuanus fuit, vir ea ætate celebris, atque ingenii eximii, variaque eruditione exculti, legum verò doctiſſimus, melioribus ſanè temporibus, ac Principe dignus. Illius morte audita, ferunt Fridericum ingemuiſſe; & væ mihi, dixiſſe, contra quem ſęvire coactus ſum: quem dolorem Entii filii caſus cumulavit, qui acie cum Bononienſibus, qui Cæſaris Pręfecto occiſo ſe in libertatem vindicaverant, congreſſus, victus, ac captus magna exercitus clade fuit, conſtitutumque inter victores, ut nunquam dimitteretur; etſi pater aureum circulum, quo tota Bononia complecteretur, pro illius redemptione offerret; adeò odioſum Friderici nomen apud eas gentes erat; ferrea in cavea inſtar feræ incluſus infelix juvenis tres,& viginti annos vixit: annoque MCCLXXII. extinctus, quo tempore omnis tandem mala Friderici progenies, magna Eccleſię, atque Italiæ utilitate ſublata eſt.

Fridericus poſteaquam convaluit, Capuam eſt reverſus, ibi magnum de ſe monumentum relicturus, ſuperbiſſimum Vulturno amni pontem impoſuit: geminaſque in eo turres excitavit, quæ Caroli V. ætate dejectæ: titulus tamen extructi pontis adhuc legitur. Neapolim dein proceſſit, Capuanumque in ea caſtrum à Normannis excitatum, ampliorem in formam inſtauravit: Lucullanam arcem communivit, ibique ſuos theſauros ſervari voluit. Et ſanè inſignis extruendis molibus author extitit; ſiquidem plurima alia ædificia tum in Etruria, aliiſque Italiæ urbibus, tum in Sicilia regio ſumptu poſuiſſe fertur. Gymnaſium Neapolitanum auxit, & doctiſſimos homines ad tradendas diſciplinas magnis propoſitis præmiis advocavit: leges plurimas ſanxit, quas Codici adſcribi mandavit: doctos viros mirificè fovit, in quorum numero primus fuit Bartholomęus Pignatellus, qui Canones ſumma ingenii laude eſt interpetratus: ut Ariſtotelis opera, pleraque alia Medica, & Mathematica tum Græca, tum Arabica, latinitate donarentur, ſedulò curavit; ne quid ſcilicet eruditionis ad publicam utilitatem deſideraretur. His ad civilem ſtatum pertinentibus diligenter procuratis, ad bellum adverſus Bononienſes animum applicuit. Hærebat animo amiſſi filii dolor, & ſui contemptus, quibus ad vindictam, cujus appetentiſſimus, magnopere incitabatur. Dum autem novas copias conſcribit, febri acuta correptus ſtatim de ſalute deſperavit, feruntque Manfredum nothum, ut patris theſauro potiretur illum in lecto pulvinari ſuffocaſſe: deceſſit VIII. Id: Dec: anni MCCL. non Panormi, ut quidam ſcripſerunt, ſed Florentino Apuliæ Caſtello. Perhibentque Caldæos Fridericum admonuiſſe, ne Florentiæ ageret; fore, ut in ea urbe ſupremum diem obiret,

quam

quam ipſe urbem perpetuò vitavit. At Mathematicos de Florentino locutos vulgus, ut in his commentis plerumque fit, jactabat: Dum enim iter faceret, ignobili eo in loco morbi cauſa ſubſiſtere coactus: ibique tantus vir omni pene ope deſtitutus vitam finivit. Regnavit annos L., quorum XXX. Imperium tenuit, ejus corpus Tarentum delatum: ex quo deinde Panormum devectum, atque in æde Montis Regii magnifico ex porphyrite tumulo repoſitum. Tres uxores duxit, Conſtantiam Ferdinandi IV. Caſtellæ Regis filiam: ex qua Henricum genuit, qui unà cum ipſo regnavit: eumque fato præceſſit. Huic Agnes Leopoldi Auſtriæ Ducis filia nupſit, duoſque filios peperit, Henricum, qui puer deceſſit, & Fridericum, qui Matri in Auſtria ſucceſſit. Secunda Friderici uxor Jolanta, quam Jolem etiam nuncupant, quæ ei Conradum enixa Germaniæ Regem ſalutatum. Æmilius hunc Conſtantia natum tradit. Tertia Iſabella, ex qua Jordanum, qui impubis obiit, & Henricum Siciliæ Regem ſuſcepit. Ex Blanca, aliiſque quas plurimas habuit concubinas, Manfredum Tarenti Principem, Henricum Sardiniæ Regem, Fridericum Antiochiæ Principem; Henricum alterum Corſicæ Regem, & Riccardum Comitem ſuſcepit. Eo die, quo vita functus, teſtamenti tabulas condidit: quibus Conradum Imperii, & Neapolitani Regni hæredem inſtituit: cui, ſi ſine liberis deceſſiſſet, Henricum minorem natu ſuffecit, & huic Manfredum nothum, ipſum verò Henricum Siciliæ, & Jeroſolymorum Regem eſſe juſſit, & centum millia unciarum auri legavit. Friderico nepoti, quem habebat, Auſtriæ Ducatum, & decem millia auri uncias, Manfredo Tarentinum Principatum, Montis Canoſi, & Gravinæ Comitatus, & Gargani Montis titulum, & quęcumque jam obtinuiſſet, decemque millia uncias legavit, eumq; Conrado abſente, utriuſque Regni adminiſtratorem inſtituit, & Henrico puero tutorem dedit. Vectigalia ab obitu Gulielmi II. impoſita, tolli juſſit, immuneſque ab illis populos eſſe. Corpus in æde Panormitana humari voluit: aurique D. uncias eidem pro funere perſolvi. Tabulæ confectæ à Nicolao Brunduſino: earumque teſtes fuerunt Bertoldus Panormitanus Præſul, Caſertę Comes R. (reliquæ nominis literæ deſiderantur) Serius Ruffus Stabuli Pręfectus, Ritturus Montis nigri, ſupremus Judex. Tabulis conditis, ad piandum animum Chriſtiano ritu ſe convertit, in Eccleſiæ gremium reſtitui petiit, atque ultimis ſacris muniri, profeſſus præteritorum ſe criminum ſummoperè pęnitere: ideoque magnam de ſua ſalute ſpem aſtantibus fecit. Et ſi in eo rerum articulo perquam difficilè ſit, eum, qui perpetuò malè vixerit, ſanctè, pièque vitam finire: & iis vel maximè, qui quà authoritate, quà exemplo alios ad maxima quęque crimina compulerunt. Fuit Fridericus aſpe-

Digitized by Google

ctu pulcher, juſto corpore, & laboris patientiſſimo; animo præſenti, atque hilari, prudentiaque prædito: ad artes verò mechanicas mirificè facto; idcirco Mathematicas diſciplinas ſupra ceteras ſcientias coluit, ejuſque opera Ptolomæi Aſtronomia ex Arabo in latinum converſa: plures linguas didicerat, atque expeditè Italicè, Latinè, Græcè, & Arabicè loquebatur: fuit item magnificus, ac liberalis, beneficiorumque largus remunerator. Inter ætatis ſuę Principes, & militari arte, & rerum geſtarum mole maximè emicuit, potentia omnes poſt Carolum Magnum ſuperavit, quo tamen pietate, & animi moderatione longè inferior, imo ne comparandus quidem, nam ira, cujus impotentiſſimus, ita ſæpè accendebatur, ut Dei, & ejus Vicarii præcepta contempſerit: nemoque illo ſceleratior habitus: tanta interdum crudelitate, immanitateque efferebatur, ut belluam, non hominem dixiſſes, tantoque nocentior, quanto majori potentia pollebat. Nempe cum ſemel homines Dei timorem excuſſerunt, ſacriſque reverentiam denegarunt, in omnia vitiorum genera præcipiti ira prolabuntur: ideoque tanta virtutes ſcelerum labe vitiavit, ut eas oppreſſerit, ejuſque nomen non venerabile poſteris, ſed odioſum permanſerit, & eo præcipuè, quod pejorem ſe hæredem reliquerit.

Friderico igitur extincto, Conradus Regnum invaſit, ex malo caudice futurum peſſimum germen, niſi in ipſo pubertatis vrore Dei digito demeſſum fuiſſet. Inter præcipua enim mala, quæ perpetravit, maximum illud, atque in primis fuit, quod novatores heterodoxos, ac ſceleratiſſimos homines, mirificè foverit. Hi quidam è Svevia fuerunt, atque ex infimæ plebis fæce, qui in unum congregati æris Campani ſonitu ſimplicem populum convocabant, ut author eſt Grantius, novaſque doctrinas, variis, atque enormibus erroribus plenas concionando diſſeminabant. Eccleſiam Catholicam, Summum Pontificem probris, ac maledictis inſectabantur; aliaque horribilia, ac prorſus execranda, èque inferorum officina deprompta divulgabant. Gentes univerſas, quod maximum ſcelerum erat, ut pro Friderico, & Conrado preces ad Deum funderent, eos eſſe homines inculpatos, Sanctos, Deoque, & Superis omnibus acceptiſſimos, pluribus exhortabantur. Id Conrado perquam gratum erat, ut qui ſtultè arbitrabatur, hac via patrem diris devotum, jis ſceleribus purgare, quibus accuſabatur; & tum illi, tum ſibi populorum benevolentiam conciliare. Verùm id non purgare ſcelera, ſed cumulare erat, nec gratiam populorum, ſed novum ſibi odium conflare. Neque enim cæteri, uti Svevorum plebs, ſimplices, atque adeo rudes erant, qui album à nigro non diſcernerent. Vera criminis purgatio, ejuſdem confeſſio eſt; non ea figmenta, quibus magis augeatur: nec niſi vera pietate,

con-

conciliari gentium amor, ac ſtudium poteſt. Quod vel ipſe Conradus ſuo tum damno eſt expertus. Nam Catholici Principes eos errores deteſtati, ab eo diſceſſerunt. Ipſe exul, ac fugitivus è ſua Svevia in Bavariam fugit.

Friderici mortem Manfredus, qui præſens morienti adſuerat, imo & author necis habitus, non ſine ſimulatione doloris divulgari illicò juſſit. Qua cognita, univerſæ gentes Legatos ad eum miſerunt, qui ei & Parentis, & Domini fatum condolerent. Demortui deinde corpus Tarentum perlatum, ipſe lectica vectus, & cuſtodia corporis munitus, ſequebatur. Erat hæc Saracenorum centuria, & geminæ equitum turmę, quacumque iter faciebant, cuncta fletibus, ac ululatibus complebant, retro aliquot Regni Proceres ſubſequebantur, quorum Moliſius Comes, Conradus Gambateſa, & Ruſſus agmen agebant. Tarentum ut ventum, atque honorifico in loco cadaver depoſitum, Manfredus, qui Regni adminiſtrator, ac tutor Henrici relictus à Patre fuerat, ſtatim Neapolim proficiſci ſtatuit; ut ea in urbe, quæ ulterioris Italiæ jam caput haberi cœperat, magiſtratum iniret, ideoque cuſtodia corporis aſſumpta, ac Proceribus ſtipatus, ſumma iter celeritate eſt ingreſſus. Verum dùm tranſmiſſo Apennino, in Campaniam deſcendebat, nuncium accepit, Innocentium Pontificem ad Neapolitanos, ac reliquos populos ſcripſiſſe, ut nemini, niſi Romanæ Eccleſię parerent. Id ſimul ac Manfredus excepit Caſertæ Comitem ſibi præmittendum duxit, ut Neapolitanorum animos tentaret. Hic Id: Januarii anni ducenteſimi quinquageſimi primi ſupra milleſimum Neapolim venit, cumque Neapolitanos rogaſſet, num Manfredum eſſent excepturi? hi palam profeſſi, ſe nemini obſequium exhibituros, niſi ei, in quem Regni poſſeſſionem Romanus Pontifex tranſtuliſſet: diſplicere ſibi, quod tot annos Eccleſiaſtico interdicto Principis cauſa ſuppoſiti fuiſſent, nec equum eſſe, ut Regi parerent, ſe Deo, cui vel ipſi Reges ſubjecti, obedientiam denegare. Obaudientes Pontificis dicto ipſe, & Conradus eſſent; eique ut par eſſet, ſatisfacerent, paratos ſe deinde imperata facere. Comes, cognita Neapolitanorum ſententia, Capuam proficiſcitur, ut eam urbem, quæ magnum rebus momentum allatura erat, ad Manfredum traheret. At Capuani Neapolitanorum exemplo animati, negarunt ſe cuipiam niſi Romano Pontifici obſequentes fore. Hæc ut ad Manfredum delata, à Fuſculo Monte, ubi reſponſa opperiebatur, magna Saracenorum multitudine ſtipatus deſcendit, univerſaſque Provincias luſtrare cœpit. In Picentinis, & Lucanis, quorum in terris Sanſeverinii latè dominati fuerant, plurimoſq; Clientes ſibi fidos habebant, ne quid Rogerius, cui jam Innocentius neptem nuptui dederat, novare potuiſſet, geminas Saraceno-

rum

rum cohortes præſidio reliquit. Atque his ita compoſitis, non uti tutor, atque adminiſtrator, ſed quaſi jam dominus utrumque Regnum adminiſtrabat. At Innocentius de Friderici morte jam certus, & ſui, & Eccleſiæ acerrimo jam hoſte ſublato, haud ultra ſibi in Gallia manendum cenſuit, ſed Italiam confeſtim adire; ut præſens rebus provideret: quo conſilio capto, Genuam amicorum ope adjutus deductus eſt. Ex qua, ordinato illius civitatis ſtatu, Mediolanum profectus, totaque obviam effuſa civitate, grandi honore exceptus: ibi de pace Italię plurima diſſeruit, publicè diſputavit, & ſacras etiam conciones habuit, in quibus magnum doctrinæ, & eloquentiæ ſpecimen dedit, magnamque de ſe admirationem excitavit. Mediolano Ferrariam; inde Bononiam progreſſus: & pari ſemper honore, lætitiaque ubique exceptus, aliiſque ſubinde locis peragratis, Peruſiam venit: ibique ſuſtinendum ſibi duxit, ut maturè rebus deinde omnibus pacatis, Romam Pontificatus arcem adiret. Nec ſegnior Conradus, qui paterni inſtituti hæres infeſto in Pontificem animo erat, & illo invito Germaniæ ſe, Siciliæque Regem dicebat. Patris igitur fato cognito, pergere in Italiam decrevit, ut paterna ſtatim Regna adiret. Poſtquam novos delectus habuit, vetereſque milites ad ſigna convocavit, ingentemque ex utriſque exercitum conflavit, magnis in Italiam itineribus perrexit. Octobri anni ducenteſimi quinquageſimi ſecundi ſupra milleſimum Veronam tenuit, ex qua brevi digreſſus, Cremonam ſociam urbem intravit: accerſitoque Icilino Mantuam proceſſit. Ad Goitum ſociarum civitatum conventum celebravit, & dies XV. quæſtiones, uti Rex diſcuſſit, Veronam dein repetiit, & ad Manfredum his verbis ſcripſit: *Rebus in Germania, ac Ciſalpina Gallia confectis, Prid. Non. Dec. Verona digreſſi Linianum venimus, poſtridie Vincentiam accedentes, exin verſus Portum Neonem contendemus: atque ibi III. Id. Dec. naves conſcendemus, ut in Regnum noſtrum Siciliæ procedamus, ubi apud Fogiam in feſto Dominicæ Nativitatis conventum ad res regni componendas habebimus.* Nec aliter quam ſcripſerat, præſtitit: navibus igitur Venetiis comparatis, quemadmodum Iciſinus Patavii Dominus (ni tyrannum mavis dicere) ei perſuaſerat, militem impoſuit. Secundo mox curſu, Adriatico ſinu ſuperato, in Apuliam appulit; partemque exercitus ad Amiterni oſtia, partem ad Gargani litora expoſuit. Barulum exin nobiliſſimum Peucetiæ oppidum ſe recepit, quò univerſi Regni Proceres eum viſendi gratia convenerunt. Manfredus, etſi maximè Conradi adventu perculſus, ut qui jam ſe Regem agebat, regioque procedere cultu occęperat, nihilominus obviam Conrado venit: uti Regem veneratus, ſummoſque ei honores exhibuit, vir ſimulandi arte percallidus; inque omnem ſcenam

fa-

factus. Mox de univerſis Regni negotiis illum fusè admonuit: Neapolitanorum præcipuè, Capuanorum, & Aquinatium Comitum pertinaciam, ut ipſe ajebat, pluribus exageravit. Conradus poſtquam fratrem excepit, conventum egit, quæque vertebantur, diſcuſſis, in Campaniam infeſto agmine movit. Primum impetum in Caſſinatium fines fecit: oppidumque facili negotio in deditionē accepit. Eo capto, Aquinatium loca expugnavit; omnemq; eorum ditionem, quæ ea tempeſtate, quidquid terrarum inter Lirim, & Vulturnum eſt, complectebatur, facilè ſubegit. Hi verò Aquini, & Soræ Toparchæ erant; nam Rinaldus Caſertæ, & Acerrarum Dominus cum Conrado conſenſerat; miſſuſque à Manfredo Legatus ad Neapolitanos fuerat, ut quid in animo habuiſſent, exploraret. Quocirca erroris ille author convincitur, qui etiam hunc à Conrado defeciſse, memoriæ tradidit. Aquini, & Soræ Comites ex eadem Longobardorum familia procreati, quia Pontificiæ ditioni proximi erant, primi Eccleſiaſticis armis obnoxii putabantur: & à Friderici crudelitate alieni ad Pontificem acceſſerant. Quæ cauſa Neapolitanos, & Capuanos, ad Eccleſiæ partes pertraxit. Urgebat Neapolitanos innatę gloriæ, atque antiquæ libertatis ſtimulus: ut qui tot annos, tantoque conatu contra Longobardos Principes pro eadem decertaverant. Incitabantur etiam odio, quo proſecuti Fridericum fuerant, ſub cujus impotenti dominatu tot mala perpeſſi, totieſque Eccleſiæ interdicto ſubjecti fuerant. Accedebat, quod Fridericus nunquam ipſorum opera uſus fuerat; ſed honores, ac magiſtratus in Germanos, Tranſpadanos, ac Saracenos, ſuas delicias, contulerat. Una omnes, atque ęqua ſorte ſubjectos ſibi populos Reges habeant; inque omnes nulla perſonarum ratione habita, honores conferant, ſi coli, amarique, ac propagari imperium velint; ſin minus dum unius partis ſtudium affectant, alterius odium ſibi conflant.

Porrò Conradus poſteaquam Landulphum, cęteroſque Aquinates Toparchas expugnavit, Capuam caſtra movit. Capuani cum viderent nondum Pontificis arma comparata eſſe: quibus ab obſidione liberari potuiſſent; minuſque à Friderico alieni, à quo ob Petrum Vineam popularem bene habiti fuerant; & timore etiam impulſi, ne ab irato Rege iniquius mulctarentur, ſtatim ſe dediderunt. Capuanos humaniter à Conrado tractatos quidam ſcripſerunt, iramque omnem in Aquinum nobilem urbem, aliaque ejus tractus oppida effuſam, quorum mœnia ſolo æquata, agrique incenſi. At Sigonius gravis author, ea in urbe Pontificios peſſimè à Conrado habitos: nec à Sacerdotibus abſtinuiſſe: Eccleſiaſque patris exemplo expilaſse, memorię mandavit; ideoque iterum ab Innocentio ſacro fulmine percuſſum, atque infernis devotum diris fuiſſe.

fuiſse. Verùm Conradus domeſtico more, nihil penſi habens ea Pontificis, ut ajebat, territamenta, Capua recepta, Neapolim movit, & Kal: Dec: ejuſdem anni MCCLII. valida illam obſidione precinxit. Id ubi Innocentius audivit, Legatum ad Conradum miſit, qui eum à Neapolitanis mœnibus abſtinere juberet. Conradus eo faſtu, quo Svevi Reges conſueverunt, reſpondit: Opportunius fore ſi eorum hominum Pontifex curam haberet, qui raſo capite ſanctiorem vitam profitentur, reliquos populos ſuis Principibus regendos relinqueret. Inde die D. Marco ſacra aggredi mœnia conſtituit, ut vi urbem caperet, quando fame non poterat: ea verò aggreſſione Germanos, ac Saracenos adhibere voluit, eique genti trium menſium ſtipendia pollicitus, quæ prima mœnia conſcendiſſet. Saraceni eam urbis partem ſibi elegerunt, quæ ad Septentriones ſpectabat, ubi caſtra Conradus metaverat, qui locus ad Carbonariam dicebatur. Germani orientalem partem ſibi deſtinarunt: nam ab Occidente, & collibus, & ſitu tuta Neapolis erat, ad meridiem mare alluebat. Signo exin dato, ſuccedere muro milites juſſit. Neapolitani memores ejus virtutis, qua majores ſui tot Longobardorum, ac Saracenorum exercitus fuderant, omni conatu defendere mœnia, atque accerrimum non minus ipſorum, quam Eccleſiæ hoſtem ſubmovere conniſi ſunt. Nec deerant viri nobiles, qui plebem ad patriam, opes, parentes, fidem ipſam defendendam acriter adhortarentur. Tanta univerſorum alacritas, tanta fortitudo fuit, ut barbaros etſi pertinaciter dimicantes magna clade repulerint. Conradus, cognita Neapolitanorum virtute, in poſterum ab inſultibus abſtinuit: ne ſi iterum pari ſuorum occidione repelleretur, ſolvere obſidionem cogeretur. Fame igitur, ut cœperat, domare obſeſſos inſtitit, aditusque omnes terra, marique præcluſit, ne quà ſubſidia inferri in urbem quiviſſent. Neapolitani ſpe auxiliorum, qua à Pontifice quotidie alebantur ita incommoda tolerabant, tantiſque eruptionibus hoſtem fatigabant, ut nullum quieti locum darent. Id verò eò alacrius faciebant, quod verebantur, ne Saracenis barbarorum immundiſſimis præda forent. Conradus tam inſigni illorum conſtantia perculſus ſæpe ſolvere obſidionem cogitavit, & ſanè feciſſet, ni ſui ſpe rapinarum illecti obſtitiſſent. Cum autem cognoviſſet, plures nobiles, atque oppidorum dominos, quos Fridericus ad necem perſecutus fuerat, eam in urbem, tanquam ad aſylum confugiſſe, urgere obſidionem ſtatuit, atque ita caſtra communivit, ut tuta ab illorum inſultibus eſſent; plus enim ipſe à Neapolitanis, quam hi ab eo timebant. Quia verò Pontificii naves commeatu onuſtas è vicinis locis Neapolim identidem ſubmittebant, Manfredo injunxit, ut è Sicilia roſtratas educeret, ac propinqua urbi maria obſideret.

In-

Interea Neapolitani Legatos ad Innocentium miſerunt, qui præſentis urbis ſtatum exponerent, opemque rogarent: periculum in mora eſſe, ne ſi ipſe diutius cum exercitu ad delendum hoſtem venire diſtuliſſet, ipſi fame, quam unam timebant, oppreſſi, ſe tyranno omnium immaniſſimo dedere cogerentur, quod uti urbi, & civibus exitiale, ità ignominioſum Pontifici futurum; ideoque rem maturè perpenderet, omnem ad liberandos obſeſſos conatum adhiberet. Innocentius, etſi maximè vellet, & ſua plurimum intereſſet, auxilia Neapolitanis ferre; nihilominus in præſentia non quibat; quocirca bona eos ſpe, quod unum reſtabat, quotidie nutriebat. Non una autem cauſa erat, cur opem Neapolitanis inferre Pontifex neutiquam poterat. Genuenſes, quibus ipſe plurimum fidebat, magnam in Orientem contra barbaros claſſem miſerant; ideoque novas comparare naves non valebant. Icilinus Patavinus novus apud Tranſpadanos Dionyſius, Gibellinos in Guelphos commoverat, idcirco hi, qui Pontificis partes tuebantur, domeſtico bello impliciti, properare in Fœderatorum auxilium non valebant. Etruſci, & Flaminiæ gentes etſi à Gibellinis liberi, inter ſe tamen novis turbis excitatis, diffidebant: Veneti non intelligentes quantam Italiæ cladem molirentur, ad Conradum propendebant. Neapolitanorum tamen tanta virtus, ac conſtantia enitebat, ut etſi omnibus auxiliis deſtituti, fortiter obſidionem tolerarent, hoſtemque continuis eruptionibus fatigarent. Et jam ſolvere Conradus obſidionem ſtatuerat: & primo jam tempore feciſſet; ni proditor, uti inteſtina, ita peſſima obſeſſarum urbium lues, illum monuiſſet, ut in incępto perſiſteret: defeſſos jam cives eſſe, extremaque annonæ inopia laborare: literas ſagittis pręfixas in hoſtium caſtra emittebat, quæque intus gerebantur, aperiebat: feruntque illud in primis admonuiſſe, ut nimirum maria cuſtodiret. Neapolitani etſi rerum omnium penuria oppreſſi, tot tantiſque laboribus attriti fortiter tamen mœnia propugnabant. Tantum libertatis amor, & hoſtis odium accendere virtutis poteſt. Hęc inter roſtratæ è Sicilia accitę ſub Kal: Majas in Craterem appulſæ Promontoria, Athenęum ſcilicet, Miſenum, ac Pauſilypæum obſederunt, ne qua navis Neapolim navigaret; Regnique Proceres, quos magis Conradi timor, ne ſuis eos bonis exueret, quam Dei, & Pontificis, ut eſt miſera mortalium conditio, ſtimulabat, frequentes ad caſtra opem Conrado laturi confluebant. Quibus etſi frangi obſeſſorum conſtantia potuiſſet, tamen nihil his territi ſe mutuo ad tuendam patriam adhortabantur, & ſocii quiſque animum ad pugnam accendebat. Junio menſe die D. Joanni ſacra CD. milites præ cæteris animoſiores, urbe egreſſi via Puteolana, quæ per Cryptam ducit, inque vicinos pagos delati, plurima victui op-

portuna comportarunt, tutoque per eandem viam in urbem induxerunt, quo ſubſidio levata aliquantulum fames, qua tum maximè urgebantur. Id ubi Conradus per proditorem intellexit, cuſtodiri eum aditum juſſit. Præterea cum accepiſſet, baliſta, qua ſaxa intorquebantur, plurimum urbi damnum inferri; inſtari ea machina, continuòque ſaxa emitti imperavit. Rebus in his anguſtiis conſtitutis, perſuadere ſeniores juventuti cepere, ne extrema expectare vellent, & quando nulla à Pontifice ſubſidia mittebantur, tempori, & fortunæ cederent. Siquidem ſtultum, ac temerarium eſſe eo cum hoſte pertinaciter colluctari, quem ſuperare nullatenus poſſis: magnum hactenus tum virtutis, tum fidei documentum in Eccleſiam præbuiſſe: nec parum oppidò fuiſſe ſe ſolos eis armis oppoſuiſſe, quibus reliqui ſe illicò tradiderant. Servirent nunc tempori, novamque, ac meliorem occaſionem expectarent, qua cum ſuo lucro jugum excuterent. His verbis commoti juvenes Legatos mitti juſſerunt; qui honeſtis conditionibus urbem dederent. Hi ad Conradum profecti, ſe pacem inituros dixerunt, ſi hæc æquis conditionibus daretur. Ille, qui optimè noverat, haud longum eos famem duraturos; ſe ſalvis perſonis eos acceptu-rum, inquit: reliqua ſuo arbitrio reliquerent. Id durum Neapolitanis viſum, nec deerant, qui extrema experiri vellent, ac memorabili exemplo, de immani homine triumphare. At prudentiores ſalvis perſonis, & ædificiis dedendam urbem cenſuerunt, quam Septembri exeunte hoſti aperuerunt. Primo agmine Legati cum univerſo Clero exierunt. Secundo Senes cum fœminis ſequebantur, qui omnes ad Conradum profecti veniam precati. Tantus eorum fletus, tam miſera conditio erat; tanta confecti macie; ut miſericordiam vel ab ipſis feris elicuiſſent. At barbarus Dei, & Sacerdotum hoſtis omnes eos occidi juſſit, qui arma induiſſe putabantur: nec mirum quod pactum juramento fędus cõtempſerit, qui Numinis ante juſſa parvi fecerat. Humaniores eo tamen Saraceni extiterunt, qui immania juſſa contemnentes plurimos ſervaverunt. Indignum quippe eis viſum eos occidere, qui tantam virtutis ſpeciem prætuliſſent. In urbem victores ingreſſi, omnia rapinis, ac ſtupris replevere: non Sacerdotibus, non Eccleſiis, non imbelli ſexui pepercerunt. Tanta Conradi rabies fuit, tanta ſuorum immanitas, qui vel Maumethani, vel Schiſmatici erant, ut non illos homines, ſed rabidos canes, ac efferatas belluas credidiſſes. Urbis mœnia, quæ vel Annibalem terruerant, & tanta in Neapolitanos benevolentia Auguſtus reſtituerat, & Magnus Conſtantinus auxerat, impotens unius barbari ira momento devaſtavit. Juſſit enim immanis homo, ut cives ipſi ſuis manibus muros è fundamentis everterent. Sunt qui arces etiam dirutas ſcripſerunt, eorumque

ci-

civium ædes, quos vertere ſolum juſſit. Horum præcipui Riccardus Filingerius cum univerſa familia: omnis Griſſorum domus: & Gulielmus Palma, qui Principes apud populum extiterant, eumq; ad tuenda Eccleſiæ jura, libertatemque ſervandam incitarunt. Dum autem Conradus ad Principem Eccleſiam, non certè Deum veneraturus, ſed ut novo ſe piaculo temeraret, cum ſuis pergit, vaſtæ molis equum conſpexit, quo tanquam inſigni à priſcis etiam temporibus Neapolitani ſunt uſi, ut ſuæ immanitatis memoriam poſteris relinqueret, equo illi frenum imponi juſſit: addique epigraphen, qua infrenem prius Neapolitanorum equum ſe primum domuiſſe jactabat. Hic equus anno MCCCXXII. ex eo loco Antiſtitis juſſu ſublatus, ne vulgo ſuperſtitioni eſſet. Quidam enim ex inſcia plebe eum à Virgilio Poëta ſub certis ſyderum aſpectibus fuſum ferebant: eumque ob id ad morbos expellendos utilem arbitrabantur. Hujus equi caput una cum collo, & armorum parte adhuc extat, viſiturque in ædibus Carraforum juxta Nilum: ex reliquo corpore æs Campanum, quo Major Eccleſia antiquitus uſa eſt, conflatum perhibent: erraſſe autem illos, qui nulla adducti ratione eum equum Neapolitanorum inſigne fuiſſe negarunt, ibiq; ornatus gratia poſitum aſſeruerunt, mihi pro certo eſt. Siquidem in antiquis nummis equus eſt inſculptus Neapolitani ſtemmatis certiſſimum argumentum. Duo præterea Nobilium Sedilia Nilenſe, & Capuanum eodem pro inſigni utuntur, eo tamen diſcrimine, quod infrenum unum, frenatum alterum pingit. Illiuſmodi autem inſigni magnanimitatem, qua præditi veteres Neapolitani, innuere volebant. Eſt & altera ratio, qua veriſimile eſt Neapolitanos equum pro ſtemmate adhibuiſſe; nam cum ab Athenienſibus condita Neapolis feratur; cumque Pallas, & Neptunus Athenarum urbem condidiſſent, de nomine orta inter eos lis eſt, & ad Jovem delata: ab hoc ſancitum, ab illo nomen imponi, qui id quod hominum vitæ opportunius videretur, adinveniſſet; quia vero Minerva oleam, & Neptunus equum protulerat; & utilior oliva cenſeretur, Palladi adjudicata lis eſt, deque ejus nomine Athenæ nuncupatæ. Neapolitani, ut ejus urbis, à qua orti, inſtitutum ſervarent, & diverſitas aliqua eſſet, pro Minervę noctua, Neptuni equum uſurparunt, eoque in nummis pro inſigni ſpeciatim uſi ſunt. Prætereà cum primi noſtræ urbis habitatores Caſtorem, & Pollucem coluiſſent, qui equis inſidentes, atque haſtis præmuniti appinguntur; ipſi etiam equos amaverunt.

Conradus poſt duos menſes, quos ad explendam iram inſumpſit, univerſa inferiore Italia à Truento amne ad Rheginum promontorium occupata, illius regimen Henrico Ribelli Comiti dedit. Neapoli verò Brancaleonem cum valida militum manu ſervatu-

rum urbem reliquit. Ex hoc Brancaleone nobilem familiam, quæ idem ab eo cognomen obtinuit, ortum duxiſse quidam tradiderunt. Ipſe Manfredo ſecum aſsumpto, univerſas Provincias luſtravit; eumque ſecundo à ſe loco haberi ab omnibus voluit. Id Manfredo, qui magna in ſinu fovebat, per quam gratiſſimum fuit. Circiter Id: Dec: Barulium pervenit, quò omnes fermè Apuli ad eum convenerunt, & dona pro ſingulorum conditione obtulerunt. Barulio Melphiam progreſsus, ibi veteri Normannorum inſtituto, cunctorum Procerum conventum habuit, qui timore hominis, qui quantum ingenio, & militari diſciplina patri diſſimilis, tantum crudelitate, odioque in Eccleſiam ſimilis erat, frequentes ad mandata convenerunt. In eo conventu Caſertanus Comes, qui affinis Regi erat, cenſuit, ut donativum, quod à priſcis Imperatoribus, militi dabatur, contrario inſtituto Regi offerretur. In hujus ſententiam poſtquam reliqui partim timore, partim adulatione deſcendiſsent, decretum ut XX. millia unciarum auri corrogarentur, idque donativum eſset. Illicò rigidiſſimi exactores per urbes, & oppida miſſi, qui aurum quaſi jure debitum repeterent: ſi quæ oppida vel inopia, vel ære alieno oppreſsa ſolvere nequiſsent, ſtatim ad ea Saraceni mittebantur, qui per vim raperent: ob quam violentiam, & effrenatos Conradi mores, ac ſcelera, quæ eo authore ubique patrabantur, univerſis illius nomen odioſum reddebatur, dirisque devovebatur. Manfredus, qui eò uſque ambitionis venerat, ut jam ſe Regem arbitraretur; utque erat ingenio perſpicax, ac ſagax eam Conradi immanitatem utilem rebus ſuis fore exiſtimans: & ut quantum ille odii, indignationiſque populorum, tantum ſibi ipſe amoris conciliaret; miſericordiam, quanquam minimè indole mitis foret, publicè oſtentans aſpera Conradi juſsa mitigabat; eumque ut humanior in ſuos eſset, ſæpius admonebat. Quo fiebat, ut cunctis perſuaſum eſset, Manfredi opera, atque authoritate fieri, ne tantum Conradus ſæviret. Ex quo facile, quod meditabatur, conſecutus, ut nimirum in eum cunctarum gentium ſtudia converterentur. Vitare nihilominus non potuit, quin Aſculum Apulum, aliaque Apuliæ loca diriperentur. Cavit tamen, ne Picentini, Lucani, ac Brutii eidem injuriæ ſubjacerent. His igitur populis, cum Manfredi precibus Conradus pepercisſet, omnem in Henricum fratrem iram evomuit; earum ferarum ritu, quæ fame ſtimulatæ, proprios partus dilaniant. Hic innocens puer, qui unus ex peſſimo Friderici trunco bonus ramis eruperat, ex Sicilia, quam ei pater reliquerat, Apuliam venit; ut majorem natu fratrem inviſeret, neſciens haud tutum ovibus eſse rabidos fame lupos convenire. Conradus, qui palam jactabat, haud paterni arbitrii fuiſse eam inſulam, quæ unà cum Apulia ſibi ſorte ob-

obvenerat, minori fratri concedere, cumque theſauris, qui in Sicilia ſervabantur, avidiſſimè inhiaret, Saraceno cuidam Duci, cui Joanni Mauro nomen, fratremque comitabatur, ſecreto imperat, ut illum occidat. Nempe ut inter tot ſcelera, quibus ſe temeraverat, parricidium etiam insereret. Hic ubi ad fanum D. Felicis, quod eſt Lucanorum oppidum, pervenit, Henricum in ſecretius cubiculum deduxit; fratriſque mandato expoſito, infelicem juvenem fruſtra exorantem miſerè jugulavit. Quod ſcelus ubi divulgatum (neque enim intra eos parietes contineri præ magnitudine poterat) tantam Conrado invidiam conflavit; ut tanquam naturę monſtrum, ac Dirarum partus haberetur, omniumque maledictis, & privatè, & publicè proſcinderetur. Manfredus etſi palam factum improbaret, non tamen moleſtè tulit: imo & gaviſus eſt. Siquidem eo obice ſublato, facilè putabat fieri poſſe, ut utriuſque regni poſſeſſionem adipiſceretur. Nec illum ſua opinio feſellit, quippe non longè ab infami capite divina ultio aberat. Poſt quinque à parricidio menſes levi morbo, ut videbatur, tentari cœpit, quo tertio die ingraveſcente (nam ex acutarum febrium genere erat) quinto indignam animam efflavit. Quidam Fogiæ, quod Dauniorum nobile emporium eſt, deceſſiſſe memorię tradiderunt. Maurolycus Melphię eum obiiſſe, lentoque veneno à Manfredo ſublatum ſcripſit, qui magnis promiſſis Medicum onerans ad propinandum noxium Conrado pharmacum induxit: ea certa ſpe ductus, ut eo extincto, utrumque regnum invaderet. Ita Friderici liberi ſe mutuis inſidiis petebant, juſtèque permiſſum, ut parricida parricidio tolleretur: atque anathemate aſtrictus, èque piorum communione ſejunctus ad luendas ſcelerum pęnas raperetur. Priuſquam fato fungeretur tabulas condidit: in quibus Conradum filium, quem ex Eliſabetha Othonis III. Bavariæ Ducis filia ſuſceperat, hæredem inſtituit. Quidam ex Margarita Leopoldi Auſtriæ Marchionis, illum genuiſſe tradiderunt. Hunc Conradum, quia parvulus à patre relictus, Conradinum Itali authores nuncuparunt; illius verò tutorem, adminiſtratoremque Regni Manfredum conſtituit, quod unum vaferrimus homo ardenter exoptaverat.

Quidam author, qui Regni Neapolitani res ſummatim ſcripſit, ac vera falſis immiſcuit; & maledicentia, invidiaque in noſtros conſperſit, Conradinum non Conrado, ſed Henrico ex Friderici natis primo progenitum aſſeruit, quod aperti erroris convincitur: ut optimè in ſua Hiſtoria Conſtantius gravis cęteroqui author oſtendit. Etenim ſi Henrici, qui Fridericum fato præceſſit, filius extitiſſet, cum hic diem obiverit anno MCCXXXVI. eo tempore, quo Conradus exceſſit, ſeptimum decimum ætatis an-

num

num numeraſſet; ideoque minimè tutore indiguiſſet, quem nec ei patruus dare potuiſſet. Præterea idem author, qui illum Henrico natum facit, aſſerit ei à Manfredo puerilia dona miſſa; quæ adulto juveni, & Regi præcipue neutiquam conveniſſent. Imo cum Matrem Gibellini rogaſſent, ut illum in Italiam ad paternum Regnum accipiendum, illicò mitteret: conſtaturos ſe exercitum, pecuniamque daturos, quibus bellum gereretur, ferunt matrem reſpondiſſe; minimè expedire puerum ad exercitum mittere, quem ſuo ductu regere nequiviſſet. Tandem Fridericus in teſtamento nepotis ſui rationem habuiſſet, de quo tamen nullam omninò mentionem fecit: quocirca meritò Germani Scriptores, quibus hac in re potior habenda fides, Conradi filium fuiſſe tradiderunt. Fuit Conradus uti corpore pulchrior, ut Abſalonem referre potuiſſet, ita quemadmodum ille animo turpiſſimus, cujus præcipua vitia ambitio, crudelitas, violentia, rapinæque fuerunt. Author modo notatus unum dumtaxat beneficium ſua immanitate Eccleſiæ contuliſſe, ait; quod fuga, & ruina Comitum Aquinatium D. Thomas Landulphi filius neci, & excidio ſubductus is poſtea evaſerit; ut non ſolum familiæ, ac Neapoli, ſed toti Eccleſiæ magnum decus attulerit. Verum & hic fallitur: uſque adeo veritatem difficilè aſſequimur, cum in ſcribendo mens vitii alicujus nube obducta eſt. Nam ut benè idem Conſtantius id prius Friderici ætate acciderat, quod is facilè conjiciet, qui Divi ætatem cum Conradi tempore conferre voluerit. Etenim D. Thomas objit anno MCCLXXIV. cum ætatis ſuæ L. attigiſſet; ut reliqui Scriptores tradunt; quocirca ſi Conradi ævo natus fuiſſet, vel paulo ante, annum quartum, & viceſimum, non verò quinquageſimum eo tempore, quo fato perfunctus eſt numeraſſet. De hoc mirabili viro plura Regius memoriæ conſignavit: & adeo nota, & illuſtria ſunt, ut ab his hic ėr ferendis ſuperſedendum mihi cenſeam.

Conradi corpus ex Apulia Meſſanam delatum, in cujus templo, dum præter Eccleſiæ morem; quæ jis ſuprema ſacro ritu ſolvi, qui à piorum commercio ſejuncti è vita diſceſſerunt, conſtantiſſimè denegavit: imo nec ſacro loco dignos cenſeri voluit, populorum adulatione celebrarentur, caſu ne, an divinitus, non ſatis liquet, templum conflagravit, quo incendio devotum infernis manibus corpus combuſtum, templumque ipſum eo cadavere profanatum, ne amplius extaret, conſumptum. Diſcant hinc Principes pietatem in Superos, obſervantiam in Pontifices, & manſuetudine, non verò immanitate ſubjectas ſibi gentes gubernare; nam ſi illæ eorum violentiæ reſiſtere nequeunt, eſt qui illarum injurias vindicet ſummus regnantium Princeps Deus.

Manfredus, Conrado è vivis rapto, tyrannidem illicò occupare

pare ſibi tutum non duxit; cum enim Friderici ſpurius eſſet, ac germana illius proles Conradinus nepos extaret, minimè populos in ſua verba juraturos ſperabat. Ideoque tutoris nomine contentus, munire viam ad Principatum, ac paulatim Subditorum animos tentare conſtituit, & beneficiis alios, alios propoſitis præmiis ſibi interea devincire adortus: & quanquam plurima loca, Conradi morte audita, arma ſumerent, Svevicæ crudelitatis pertæſa; ipſe nihil contra movit. Primum, quod omittendum non ducebat, teſtamenti tabulas, quas Conradus condiderat, ſupprimendas putavit: eoſque qui illas conſcripſerant, veneno tollendos. Populos verò palam adhortabatur, ut in Conradini fide manerent, ut ſic ſublata affectati regni ſuſpicione, quod moliebatur, opportuno tempore exequi valuiſſet. Dum hæc ipſe, Innocentius, Conradi morte comperta, Peruſia, in qua utpote fida Eccleſię, ac Pontifici urbe diu ſubſtiterat, ſtatim diſceſſit. Gulielmum Cæſarem è Germania in Italiam evocavit, qui, quoniam domeſtico bello implicatus, ſe excuſavit. Ipſe igitur exercitu in Etruria, & Flaminia comparato, in Campaniam movere inſtitit, multoſque Proceres, qui exules apud eum erant, ſecum deduxit. Ea enim cura Pontificem ſolicitabat, ut ſe illicò Manfredi conatibus, quem affectare tyrannidem paſſim divulgabatur, opponeret. Ut verò Neapolitanorum animos confirmaret, duos Legatos Gulielmum, & Albertum Cardinales præmiſit, ipſe brevi ſubſecuturus. Roma dein digreſſus juſtis itineribus iter cum exercitu faciens, die Divis Petro, & Paulo ſacra Neapolim ſolemni pompa ingreſſus, & feſto omnium ordinum plauſu uti Dominus exceptus. Neapoli ſtatim ad urbes univerſas, oppidorumque dominos ſcripſit, ut ad obedientiam Eccleſiæ præſtandam, Neapolim convenirent. Tantum Germanorum, Saracenorumque hominum adminiſtratio odium apud univerſos pepererat: tantum Friderici, Conradique memoria odioſa populis erat, tantamque invidiam conflaverat; ut eo nuncio cuncti vehementer lætati, inque ſpem pacati, juſtique regiminis erecti ad Pontificem alacri celeritate venirent, ut Mattheus Apulus author eſt, qui unà cum Juzolino Marra nobili Barulitano ab ea urbe ad Pontificem Legato, Neapolim venit. V. Kal. Auguſti ejus anni MCCLIII. urbem ingreſſus, eodemque die ad Pontificem admiſſus ſacros pedes more majorum deoſculatus. Proceres, qui tum Neapoli apud Pontificem erant, hos numerat: Fliſcum Comitem Innocentii nepotem, Riccardum Aquilanum, ſeu ab Aquila, ut alii ſcribunt, Comitem Fundanum, Marſorum, qui & Celani Comes minoribus appellatus, Landulphum Comitem Aquinatem à Conrado expulſum, alioſque nobiles Longobardos. Sinibaldum item & Odoriſium à ſanguine cum plurimis Frentano-

rum,

rum, ac Pelignorum Toparchis, ac Rogerio imprimis Sanſeverinio, qui extorrium Principes erat. Addit inde idem Author Manfredum V. Kal: ejuſdem menſis Neapolim veniſſe, atque obedientiam Pontifici præſtitiſſe, idque omnibus admirationi fuiſſe. Nempe verſutus homo, cui palam obſiſtere non poterat, obſequium ſe præbere ſimulabat, & ſcenæ tum ſibi ſervire ſatius duxit, brevi tragœdiam daturus. Innocentius Neapolitana mœnia inſtaurari juſſit, noviſque ea turribus muniri: urbemque rebus omnibus ad tolerandam obſidionem neceſſariis affatim inſtrui; ne in poſterum injuriæ pateret: optimè ratus ex ejus urbis ſalute rerum omnium ſummam pendere. Tanta verò Procerum multitudo, tantus populorum concurſus Neapolim quotidie fiebat; ut brevi utrumq; regnum ſine armis ad Pontificem perveniſſet, niſi Innocentii mors accidiſſet. Porrò Manfredus tam ſcitè ſe ad Pontificis *juſſa præſto* eſſe ſimulavit; ut bonus ſenex externa *ſpecie deceptus* non ſolum Tarentinum Principatum, & *eos titulos*, quibus auctus à Patre fuerat, habere deinceps *juſſerit*, ſed novis etiam honoribus cumulaverit; ac diminuta aliorum Germanorum authoritate, illius ſummopere auxerit. Illud autem Manfredum ad ſe Pontifici ſubmittendum induxit; ut nimirum ita obices, quos obſtare ſuis conatibus opinabatur, facilius, alienoque, ut ajunt, digito tolleret. Duos è Bavarica domo ad regendos milites, puerique curam unà cum patruo habendam, Conradus reliquerat. Hos ille contrarios ſibi haud dubiè futuros arbitrabatur, ſi Conradino ejecto, regnum invaſiſſet. Arte igitur, ingenioque uſus eos convenit: & ad conventum à Pontifice indictum ſe non uti Conradini tutorem, ſed ut Tarentinum Principem ire profeſſus. Etenim cum Innocentius, & Apoſtolica authoritate, & armis muniretur: & populi Conradi crudelitate alienati ad Innocentium frequentes quotidie confluerent, prudentis eſſe moderatione uti, ac præſenti rerum ſtatui ſe accomodare. Quod adeò egregiè tum præſtitit, ut prudentiſſimum cæteroqui virum, rerumque experientia exercitatiſſimum fefellerit, cumque inter Proceres primo loco ſedere juſſerit. Nempe fato regnorum factum, ut prudentiſſimi quique interdum decipiantur. Bavari eadem arte decepti illum minimè ſuſpectum habuerunt, dumque Manfredianæ ambitioni ſerviunt, ſuam ipſi authoritatem, vireſque imminuerunt.

Manfredus, ut ſimul Innocentii vires diſtraheret, & Germanos Duces infirmaret, Pontifici perſuaſit, ut Neapolitanos, qui præterito bello, tot damna, atque incommoda perpeſſi erant, deq; Eccleſia benemeriti, alendorum militum diſpendio ſublevaret: exercitumque per ditiores, atque uberiores Provincias diſtribueret. Innocentius amici, non hoſtis illud conſilium, quod boni præ

ſe

ſe ſpeciem gerebat, eſſe ratus; dividi copias imperavit, & partim in Apuliam, ac Salentinos, partim in Picentinos, ac Lucanos mitti. Ex quo id factum, quod maximè Manfredus volebat, ut Germani Duces, & Pontificii exercitus timore, & invidia, qua apud populos laborabant, relicto milite, in Germaniam redierint. Milites cum & Duces, & ſtipendia deficerent, atque odioſi gentibus eſſent, in dies diffluebant: itàque factum, ut vaferrimus homo uno, eodemque aſtu, & prudentes fefellerit, & fortes exarmaverit: quod quidem documento eſſe Principibus poteſt, ne eis unquam fidem adhibeant, qui dominandi cupidine capti ſemel fefelliſſent, nec futuros ipſis fidos, qui propriis non fuiſſent; nec eorum arte capi, qui in omnem ſe ſcenam accomodant. Haud equidem ea mala, quæ deinceps narrabuntur, eveniſſent, ſi Innocentius, quod primum faciendum erat, Manfredum, & authoritate, & armis nudaſſet; eo enim uno exarmato, perpetua populis pax fuiſſet: ſed fruſtra vitare nitimur, quod fato conſtitutum eſt.

Verum Innocentius Nonis Auguſti, qui dies ob nivem, quę eo tempore partem Eſquilini collis miraculo contexit, Virgini ſacer eſt, in æde eidem Virgini dedicata, quæ Major à dignitate nuncupata, Sacra ſolemni pompa fecit: ad ea univerſa penè civitas rei novitate accita confluxit. Tertio deinde die Regni comitia habita, & milites per Provincias, uti Manfredus cenſuerat, dimiſſi. In eo conventu Manfredus, quod maximè ab omnibus expetebatur, ſpopondit, curaturum ſe, ut Germani milites ex Italia excederent, ſi ſtipendia, quæ meruerant, numerarentur. Per eoſdem dies Maſſentius Rocca Saidam Saracenum Judicem à Conrado conſtitutum ſumma populos injuria afficientem ad necem unà cum ſuis obequitantem perſecutus; ſociiſque occiſis ſe fuga ſubduxit: illius locum, rogante Rogerio Sanſeverinio, Fridericum Morram explere Pontifex juſſit, Brandinumque Urſinum cum ala Equitum XII. turmarum ſocium ei addidit, ut ejus Provinciæ populos in Eccleſiæ fide contineret. Hæc Innocentio agente, Germani Duces, qui apud Hydruntinos ſtativa habebant, ad eum Neapolim venerunt, ut fędus cum illo percuterent, & quamquam Manfredus clam moliretur, ne cum Pontifice pacificarentur; ratus diſſidium illud opportunum ad novandas res fore, tamen opera Fliſci Cardinalis æquis conditionibus cum Innocentio tranſegerunt. In eo enim totus Manfredus erat, ut nimirum rem longius traheret; nam videbat affecta jam ætate Pontificem eſſe, adeoq; non diu victurum, ſibique facile ob id futurum, ut eo mortuo regnum invaderet. Nec ſanè quale ejus eſſet ingenium diu latuit; Ita enim violentæ indolis homines ſunt, ut quid in animo habeant longum celare nequeant. Dum Theani, in quod oppidum ſe In-

nocentius deduxerat, & ipſe eſſet, Burellum Anglenum virum Pontifici percharum, neſcio qua ex cauſa interfecit; cujus nece tantum Innocentius doloris accepit; ut Manfredus, veritus ne a ſe patrati homicidii pęnas ſumeret, fuga ſe ſubduxerit. Tum demum bonus ſenex intellexit, ſe ab homine vaferrimo, atque in omnem ſcenam facto deceptum. Ille Luceriam ſe recepit, Saracenorum præſidio, quos fidos ſibi, atque obæratos habebat, magnopere confiſus. Illum Innocentius ad reddendam patratæ necis rationem evocavit, cumque intra præſtitutum tempus, neglecto Pontificis mandato, ſe tribunali non ſiſteret, decretum armis eum perſequi. Cunctæ hæ copiæ, quæ adunari pro tempore poterant, in Apuliam miſſæ. Troja primum capta, inde Fogia nullo negotio expugnata. Interea Manfredus collectis Saracenis, ac Germanorum veteranis, Pontificios adortus delevit. Innocentius audita ſuorum clade, tantum dolorem concepit; ut brevi ex mœrore deceſſerit: obiit autem VII. Id: Dec: ut Sigonius memoriæ prodidit: etſi alii ipſis Id: è vita exceſſiſſe tradiderint. Exequiæ Neapoli, ubi ſublatus, ingenti pompa celebratæ; inque æde D. Laurentii à Laurentio Antiſtite ædificata marmoreo ſepulchro conditus. Viſitur ad hæc tempora tumulus cum ejuſdem Pontificis marmorea ſtatua, cui ab Umberto Præſule epigraphe addita: idem tumulus vetuſtate fatiſcens ab Annibale Capua inſtauratus; ea verò ædes D. Laurentii juxta Principem Eccleſiam D. Reſtitutæ poſita erat, quæ ambæ in unam, ac magnificam ab Andegavenſibus extructam coaluerunt.

Innocentii mortem ingens terræmotus, feralis quaſi nuncius præceſſit, & quanquam ſine cęde hominum is motus fuerit; magnam tamen ædificiis labem per omnes fermè Provincias excitavit: nec niſi ingenti ſumptu, ac longo tempore reparata. Cæterum quoad Innocentium ſpectat, vir fuit & morum probitate, & magnarum virtutum laude commendatus: animi pluſquam regii, aucturuſque Eccleſiæ Principatum, ſi aut citius imperaſſet, aut diutius in Pontificatu vixiſſet. Neapolitanos ſummopere dilexit, plurimaque in eos beneficia contulit. Siquidem impotentium vi liberavit, ſuo ſumptu męnia refecit, turres inſtauravit: ſacra in ipſorum urbe fecit, quorum illud memorabile, quod Kal: Nov: in Superorum omnium memoriam ſolemni pompa, atque apparatu celebravit. Idcirco ejus obitus luctuoſus Neapolitanis accidit, ſummoque eos męrore affecit. At pergratus Manfredo fuit; ut qui interregnum illud maximè ſibi profuturum arbitraretur. Innocentio mortuo, non niſi poſt annum, & menſes aliquot Cardinales conveniſſe, & Rinaldum Oſtienſem Pontificem creaſſe, quidam ſcripſerunt. At Sigonius, aliique graves Scriptores poſt interregnum

gnum

gnum XIII. non amplius dicrum Pontificem renunciatum. Etenim Bartolinus Tabernerius Innocentii nepos, & ab eodem Neapoli præpoſitus, ubi diſceſſum moliri Patres cognovit, urbis portas occluſit: cum ab jiſdem Patribus præfectus Comitio eſset, poſtquam diffidere eos vidit, electionemque differre, cibaria illis ſubminiſtrari vetuit; ut nimirum neceſſitate coacti, finem comitiis imponerent, atque in hunc modum Rinaldum Anagninum in Pontificem cooptarunt, qui Natalitio Domini die conſecratus, Alexander IV. eſt appellatus.

Manfredus, ut ad illum Hiſtoriæ filum deducamus, ſimul ac ægrotare Innocentium cognovit, clam Tarentum profectus, omnes Germanos, qui in Salentinis ſtativa habebant, in unum coëgit; magniſque promiſſis oneratos Altamuram, populoſum Peceutiæ oppidum deduxit; ipſe Luceriam redivit, ac Saracenos, qui ibi, ac per vicinia degebant, adunavit. His copiis, aliiſque Italorum, qui vel novarum rerum cupidi, vel ei obærati erant, juſto exercitu conflato, Pontificios, qui in Apulia ad illius Provinciæ præſidium excubabant, ex improviſo adortus, brevi certamine vicit, quibus deletis plurima ejus tractus oppida Conradini nomine occupavit. Tum Sabellus Cardinalis una cum Collega, cujus nomen in annalibus non invenio, ad Urſinum, qui ad Ceriniolam, quod cis Aufidum Dauniæ oppidum eſt, ſtationem habebat, ſe deduxit. Inde ubi cognoverunt, Saracenos non longe caſtra poſuiſſe, Neapolim ſe receperunt. Per id tempus Saida Dux Saracenorum, quem Maſſentius Rocca in fugam conjecerat, cognito Legatorum diſceſsu, Monopoli egreſsus, Barulium uſque infeſtis ſignis progreſsus, ſalutarique Conradinum, ejuſque inſignia ex arcibus attollere urbes ejus tractus armis coëgit. Tranii cum hoſtem Roccam habere in manus nequiret (nam hic unà cum ſuis, Pontificiorum clade comperta, in Illyricum profugerat) illius ædes evertit. Nempe ut iram, quam evomere in homines non poſset, in lapides effunderet, impotentium more, qui ut ſæviant, nihil penſi habent ratione ne, an amentia id fiat. At Manfredus magna Apuliæ parte occupata, in Lucaniam cum exercitu movit. Tenebat eam Provinciam Grimaldus, qui cognito Manfredi adventu, cum Pontificiis obviam hoſti vadit, quem tamen non una victoria ſuperbum vitare debuiſset, & ſe caſtrorum vallo continere, vel Neapolim reducere, ut ſociis exin auctus tutius dimicaret. Manfredus in aciem progreſsus prælium inivit. Primi in Pontificios Saraceni irruperunt, quorum impetum diu illi ſuſtinuerunt, ſupervenientibus inde Germanis, terga dederunt, hoſti victoriam cedentes, qua Manfredus potitus cuncta ea oppida, quæ Sanſeveriniorum erant, in deditionem accepit. Neapolitani, ut victorem ho-

hoſtem propulſarent Sabellum, & Urſinum cum jis Equitum turmis, quas ex Apulia deduxerant, in urbe, quoad nova mœnia, & arces abſolverentur, novuſque Pontifex crearetur, retinuerunt; ut Matthæus Apulus, & Villanus memoriæ tradiderunt, quorum authoritate, dilata tum comitia fuiſse, diſſidentibus inter ſe Patribus, plures proximorum temporum Scriptores aſseruerunt. Quapropter oblatam ex eo occaſionem Manfredus non amittens, univerſam fermè ulteriorem Italiam, quæ Svevis paruerat, victor recepit. Conſtantius idipſum memoriæ mandavit: etſi Grimaldianæ cædis nullam prorſus mentionem faciat. Additque idem Apulus Author, cui utpote eorum temporum Scriptori potior fides eſt adhibenda, Manfredum antequam diſtractas Pontificis vires opprimeret, Legatos ad eas Italiæ urbes, quæ Friderici partes ſecutæ fuerant; inque Eccleſiam Gibellinorum nomine arma ſumpſerant, miſiſse: eoſque hortatum, ut in Conradini amicitia manerent, oppreſsamque Pontificiis armis Gibellinorum ſectam reſtituerent: Germanos vero, qui in Tranſpadanis ſtativa habebant, ut eas urbes, quæ à Pontifice ſtabant, & prædis, & multa vexarent, vehementer incitaſse. Quibus rebus in tantum gloriæ, potentiæque evaſit; ut jam ſe Riegem dicere in animo haberet: & illicò feciſset, ni Germanos, qui ob amorem in Conradinum, & propriæ gentis gloriam, haud dubiè obſtitiſsent, veritus eſset.

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ

LIBER DECIMUSSEPTIMUS.

UT novus Pontifex Alexander Pontificatum inivit, plurimas contra Manfredum ad ſe delatas querelas accepit: earum hæc ſumma erat, quod per dolum diſtractas Eccleſiæ vires oppreſſiſſet, plura homicidia patraſſet, innocentes bonis exuiſſet, atque in exilium miſiſſet, incendia excitaſſet, humana, divinaque omnia evertiſſet: & quod non ultimum immanitatis exemplum erat, innoxias fœminas unà cum parvulis filiis, Gulielmum Malum, ac Fridericum imitatus vivas, ſordidiſſimis, atque obſcuriſſimis carceribus fame, putoreque morituras infodiſſet. Quibus in Sicilia evulgatis, Sicilienſes tam immanem, ac barbarum hominem execrati; edoctique ea, quę in Italia gerebantur, commoveri cœperunt. Primi omnium Panormitani Jacobum Salam Legatum ad Alexandrum miſerunt, qui urbem Pontifici offerret; & ſe paratos illius imperata facere, ſignificaret. Alexander Legatum benignè audivit, laudataque Panormitanorum fide, Ruffinum Placentinum ex familia D. Franciſci virum multa doctrina, & prudentia præditum, in Siciliam miſit, ut Panormitanos, alioſque populos in Eccleſiæ fide contineret. His verò à Manfredo cognitis cum valida manu navigare in Siciliam ſtatuit, ut Saracenorum ope, qui plurimi in ea in-

Digitized by Google

inſula incolebant, & Eccleſiæ acerrimi hoſtes erant, exortos tumultus ſedaret, & novum etiam ex Africa mercenarium militem conduceret, quo populos in Conradini fide teneret; quodque primum omnium avariſſimo cordi erat, theſauris, qui Panormitana in arce erant, tempeſtivè potiretur, certus magnum illos ad ſuſtinendum bellum adjumentum futuros. Rebus igitur Apuliæ raptim compoſitis, Prid: Id: Martias anni ducenteſimi quinquageſimi quarti ſupra milleſimum, in Siciliam claſſe trajecit.

Dum ipſe Siciliam ingreditur, ingens Venetorum roſtrata, quæ mercibus onuſta ex Oriente Venetias navigabat, ſævę vi tempeſtatis ad Apuliæ litora eſt ejecta. Almuzenus ex infami Saracenorum ſece homo, marique à Manfredo præpoſitus, ingentes ſibi ex eo naufragio contra naturæ, ac gentium jura divitias conquiſivit, fruſtra reclamantibus Venetis, ac minas etiam intentantibus, quæ ſi meræ minæ, nihil omninò avaros movent. Non multo poſt VIII. Id: Aprilis violentiſſima procella ex Illyrico exorta tam magno impetu in Apuliam incubuit, ut ingentem maritimis in locis ſtragem excitaverit; nam & arbores è radicibus avulſæ, & domus multæ mortalium nece everſæ. Barii D. Nicolai Turris magna hominum cæde dejecta, quæ tamen ingenti deinde ſumptu, atque elegantius inſtaurata: ea verò calamitas in prodigium verſa, non mediocrem populis terrorem incuſſit. At Manfredus Siciliæ rebus utcumque compoſitis, iterum in Italiam trajecit, plurimiſque Germanorum ſtipatus in Daunios proceſſit, vectigalia, quæ in ea Provincia ab ovibus exigebantur, ita reclamantibus populis, auxit; ut exacta eo tempore ducenta, & quinque millia unciarum fuerint, quæ ſecutis inde temporibus adeo excreverunt, ut quadruplum noſtra ætate corrogetur. Ex Apulia in Campaniam venit, & Capuam brevi certamine occupavit. Caſtris inde inter eam urbem, & Averſam poſitis, ad Neapolitanos ſcripſit; ut quando univerſa inferior Italia, quæ Svevorum fuerat, in Conradini fidem juraſſet; ne ipſi id ipſum facere gravarentur: cogitarent, nihil in Pontifice ſpei eſſe, à quo ipſi, quemadmodum reliqui, nihil præter verba habere auxilii potuiſſent. Ni forte ea in ſe fulmina intorquenda, quæ bruta ipſe ducebat. Ne iterum in extremos ſe caſus, uti ſub Conrado fecerant, inconſulta temeritate conjicerent. Ut verò minæ efficaciores ad flectendos animos eſſent, intercludi terra, marique commeatus juſſit; ut nimirum annonæ inopia oppreſſi ſe maturius dederent. Id ubi Alexander cognovit Fulginienſem Antiſtitem Legatum ad Manfredum miſit; ut ſe, & quæcumque occupaverat, ad Eccleſiæ obedientiam adduceret. Manfredus Legato in curiam admiſſo, Regnum ad Conradinum nepotem pertinere; eoque inſcio nihil ſe movere poſſe, reſpondit.

Hæc

Hæc poſteaquam extorres intellexerunt, Legatos ad Pontificem Rogerium Sanſeverinium, Fridericum, & Honuphrium Morram, Pandulphum Faſanellam, & Aimarium Sanſeverinium ire juſſerunt: eumque vehementer orare, ut afflictis rebus opem afferret, ſeque à tyranni violentia eriperet. Pontifex ea legatione permotus ſcribi militem juſſit: atque Ubaldinum Cardinalem copiis præfecit. Manfredum anathemate perſtrinxit, èque piorum ſocietate ſejunxit, & ne qui hominum tyranno diris devoto obedientiam præſtarent, edicto cavit. Exercitu tandem conflato, ac commeatu inſtructo, Legatus Roma egreſſus, in Campaniam juſtis itineribus, ne militem vexaret, caſtra movit. Manfredus, ſimul atq; de illius profectione certior per exploratores eſt factus, relicta Capua, ne à Legato, & Pontifice, quem mox cum majoribus copiis ſecuturum rumor erat, opprimeretur, in Siciliam ad novas Saracenorum cohortes mercede conducendas, novamque pecuniam cogendam, navigavit. Interea Otho Legatus cum exercitu Neapolim venit: ibi eos milites, qui urbi præſidio erant, ad ſuos adjunxit. Luſtrato exin exercitu, & commeatu adornato, per Caudinas Furcas, ac Beneventanas valles in Apuliam profectus, nulloque hoſte iter impediente, Aufidum tranſmiſit, ac Barulium acceſſit. Eſt id nobile Apuliæ oppidum ad alendum militem agri feracitate opportunum, ſituque ad continendos in imperio Daunios, Peceutios, ac Salentinos percommodum. Barulitani illicò ſe Pontifici dediderunt. Horum exemplum Tranium, Biſidiæ, Barium, Monopolis, ac finitimæ urbes ſtatim ſecutæ, in Pontificis verba jurarunt. Unum Oſtunium edito in colle oppidum, quod Germano præſidio tenebatur, imperata facere recuſavit; atque in Conradini fide perſtitit. Legatus ne in unius ignobilis loci oppugnatione & tempus, & militem amitteret, tentare omiſit. His igitur locis, quæ receperat præſidio munitis, morbi, quo laborare cœperat, neceſſitate coactus, in Campaniam reverſus, ut mitiore cœli temperie convaleſceret.

Nihil interea Manfredus omiſit, quo Legati conatus irritos redderet. Naves aliquot longas Adriaticum in ſinum immiſit, ut ea loca, quæ capta à Pontificiis fuerant, depopularentur; aut ſi occaſio daretur, interciperent: iis verò, quæ ſuis adhuc partibus adhærebant, opportuna auxilia inferrent. Per eoſdem dies Anconitana navis tranſvehendi frumenti gratia Barulium appulerat: eoq; jam importato ſecundum ad navigandum ventum opperiebatur. Quatuor roſtratæ Manfredianæ ex improviſo onerariam ſunt adortæ. Ex illis duæ Siculæ, quas Simon Vintimilia ductabat, tertia Surrentina, cujus Paulus Domnurſius Dux erat, quarta Puteolana, quam Henricus Spada ab ſe inſtructam, Conſtantio populari ſuo

re-

regendam conceſſerat. Plurimis jam militum in onerariam ingreſſis, in manibus pene victorum erat, cum tam vehemens, ac repentinus obortus eſt ventus, ut navim, quæ vela jam fecerat, è roſtratarum medio, magno damno æque, ac ludibrio Manfredianorum vi ſubduxerit: ex jis, qui navim conſcenderant, partim vivi ſunt capti, partim in mare demerſi perierunt. Nempe tantum in pugnis afferre momenti improviſi caſus poſſunt, ut nunquam de victoria ſecuri ſimus: neque unquam ab jis deſperandum, quibus contraria principio ſors eſt. Cæterum Manfredus quà ſagacitate, qua plurimum pollebat, quà armorum terrore populos ad ſe trahere conabatur; ut ſic illorum animis ſibi conciliatis facilius ſalutari Rex poſſet. Tumultus, qui exorti in Sicilia fuerant, ex parte ſedaverat; nam priuſquam in eam inſulam trajiceret, Meſſana excepta, reliquæ urbes unà cum Panormo ab eo defecerant. Meſſanenſes, qui ei vehementer adhærebant, Petrum Ruffum Comitem, qui è proxima Calabria venerat, ut gentes contra Manfredum ſolicitaret, urbe cum univerſa familia ejecerunt: Manfredumque in Siciliam ad eos tumultus componendos evocarunt. Verum non multo poſt, ut ſunt natura varii; uti fretum, quod accolunt, eſſe perhibetur, ab eo ad Eccleſiam tranſierunt: militeque coacto Manfredi copias ad Crotonem pagum adorti ſunt, & quamquam primo certamine Manfredianos loco moverint, atque in terga compulerint: tamen ſupervenientibus mox triariis, præliumque integrantibus fuſi, fugatique. Meſſanenſes ea clade accepta, non animos deſponderunt, ſed viribus iterum inſtauratis, Tauromenium, quod Manfredianum præſidium acceperat, expugnarunt: itaque fervidi è fundamentis everterunt (idque Auguſto menſe accidiſſe comperio) deinde ſub Octobrem ſe Pontifici tradiderunt. Alexander Joannem Columnam ejus urbis Antiſtitem Legatum conſtituit: urbem verò Jacobo à Ponte viro impigro regendam dedit.

Dum hæc ad Orientale Siciliæ latus agebantur, ad Occidentale Henricus Abbas, qui pro Manfredo Lilibeum regebat, plurimas centurias conſcripſit, turmiſque aliquot adjunctis, ex improviſo Panormum adortus, cumque nutare jam Panormitani cœpiſſent, urbem facilè occupavit. Panormum reliquæ urbes imitatæ ſe Manfredo tradiderunt: ita ad utramque partem exemplo pertrahi facillimum eſt. Plutia nobile oppidum, Enna vetuſtiſſima civitas, & Aidone; quoniam in montanis ſita, & præſidio valida, in Pontificis fide perſtiterunt. Manfredus, ut eorum populorum conſtantiam frangeret, Fridericum Lanzam cum jis copiis, quas in Brutiis conſcripſerat, ex Italia in Siciliam evocavit, quibus auctus, Plutiam caſtra movit; urbem obſedit. Plutienſes magnis animis ad tuenda mœnia accurrerunt; plus in ſua fortitudine, quàm in Ponti-

tifi-

tificis auxilio ſpei collocantes. At poſteaquam per plures dies freq- quenti illos aggreſſione Manfredus fatigaſset, tandem corona cœpit: eoſque omnes, qui authores fuerant, ut urbs Pontifici traderetur, crudeliſſimè occidit. Plutienſium caſu Ennenſes, atque Aidonenſes perterriti Legatos ad victorem miſerunt, qui ſe imperata facturos ſponderent. Illis in deditionem acceptis, Aprili exeunte anni MCCLV., Meſsanam cum exercitu proceſſit. Meſſanenſes, conſilio cum Primoribus inito, prudentius duxerunt, eum victorem accipere, quem univerſa Sicilia accepiſset; & cui armati reſiſtere ſoli non potuiſſent. Obviam igitur progreſſi grandi illum honore exceperunt, & Regem etiam, quod hactenus nulli fecerant, ſalutarunt. Uſque adeo nihil apud mortales mediocre: aut enim nimio tumore efferuntur, aut ima dejectione deprimuntur; ut æquum in cunctis ſervare animum, quam pauciſſimi, quorum divina penè natura eſt, ſciant. Manfredus poſtquam dies aliquot Meſſanæ ad ejus urbis ſtatum ordinandum, ſubſtitiſset, Panormum redivit: ibique VI. Id. Auguſti conventum habuit, in quod univerſæ Siciliæ Proceres, atque Antiſtites convenerunt, inque ea celebritate coronam veteri more accepiſse fertur, atque ab omnibus ordinibus Rex ſalutatus, qui contra omnia divina, humanaque jura tyrannidem invaſerat. Tantum apud mortalium animos, & armorum timor, & proprii commodi amor valet. At verſutus homo, ut quod ardentiſſimè affectabat, facilius conſequeretur, divulgari per univerſam Italiam curavit, Conradinum in Germania objiſſe; eoque defuncto, ad ſe regni jura pertinere. Id autem, ut veri ſpeciem haberet, ita vaferrimus homo telam eſt orditus. In Procerum conventu cum de regno retuliſſet, ſe certò ſcire, inquit, Conradinum nepotem gravi morbo in Germania detineri; neque illum ad regendos populos aptum cenſeri: idcirco ſuam quiſque ſententiam de regni ſtatu ferret, quidve potius agendum cenſeret, liberè pronunciaret. Una omnium ſententia in Germaniam Legatos mitti oportere, qui de Conradini ſalute, atque indole diligenter perſcrutentur. Manfredus, quia omnia ex compoſito agebat, in eam ſententiam ſe ire profeſſus: nec aliter ſe facturum ſpopondit. Concilio dimiſſo, fidos ſibi, atque oberatos homines Legatos cum donis ad Conradinum ire jubet. Inter reliqua, quæ juveni miſit, bellaria quædam erant veneno confecta, quibus re vera innocens Princeps à Patruo necaretur. Legati cum in Germaniam veniſſent, puerum à Parente magna cuſtodia aſſervari, compererunt, cum illo alios nobiles pueros educari. Horum unum in Legatorum conſpectum venire mater juſſit, cumque eſſe Conradinum finxit. Legati puerum venerati, bellaria obtulerunt, quæ cum nobilis puer deguſtaſſet, brevi interiit, tanta veneni vis erat. Atque hinc evulga-

gatum Conradinum objiſſe, ipſique Legati tanquam oculati teſtes afferebantur, qui, uti Manfredus juſſerat, Venetias reverſi, lugubrem apparatum ſumpſerunt, naveſque, quibus ferebantur, ferali ornatu inſtruxerunt. Mox in Apuliam reverſi, ſimulato doloris ſenſu, obijſſe Conradinum ad Germanos Duces retulerunt: Manfredumque, uti ab eo admoniti fuerant, Regem ſalutarunt. Fazzellus rem aliter narrat, & ad Nuceriam primum datam fabulam memoriæ tradidit. Nos Matthæum Spinellum Apulum eorum temporum authorem libenter ſequimur.

Porrò Manfredus, Conradini morte divulgata, ut id univerſorum animis altius inhæreret, ſeque magnum ex ea dolorem accepiſſe oſtenderet, conventum indixit; in quem frequentiſſimi Proceres convenerunt. In horum conſpectum, homo ſimulandi arte inſtructiſſimus atrata veſte, triſtique vultu ſe intulit. Inde poſtquam abſterſiſſe lacrymas viſus, animumque paulum reſumpſiſſe, Conradini mortem paucis expoſuit; & æquum cenſere ſe, inquit, demortuo Regi ſuprema perſolvere; & ea defunctum pompa cohoneſtare, quâ ſuos Principes gentes conſueſſent. Id univerſi probavere: regioque apparatu funus celebratum, ridentibus interea in ſinu pleriſque, qui ſimulatam eam ſcenæ pompam eſſe, optimè noverant, aliis, quibus ſimplicior animus, immaturum pueri fatum deplorantibus. Ridiculum profectò, & neſcio an alias factitatum; ut vivo Regi, inque Europa exiſtenti, ſuo in regno tot coram Proceribus ſolemni pompa, tanquam mortuo, ſit parentatum. Juſtis perſolutis, frequentiora comitia Manfredus habuit: in quę, ut univerſi Magnates, Epiſcopi, ac Toparchæ utriuſque regni accederent, ſeveriſſimo edicto juſſit. Die comitiorum, Manfredus conventum ingreſſus, his verbis locutus perhibetur: Quantis, & quam maximis beneficiis Normanni majores mei complexi vos fuerint, & quanta Avus meus Henricus, ac Fridericus pater contulerint, ſcitis ipſi: neque ego, ſi vellem, cuncta enumerare in præſentia poſſem, imo & ſupervacaneum eſſet, cum notiſſima ea ſint. Quanta verò, & qualia ea extiterint, quę ipſe veſtrum gratia ſub Conrado fratre, qui ira, & indignatione plenus ob excitatos tumultus, plurimorumque defectionem, vos bonis omnibus exuere, in exilium mittere, necare, extremumque veſtris familiis excidium inferre conſtituerat: quæ omnia, qui fixa adhuc animo non teneat, puto neminem. Ego furentem tum animum demulſi, iram continui, & ratione placavi: minimè æquum oſtendens, ut paucorum culpa, ſi paucorum ea culpa fuit, univerſi plecterentur, & Principis eſſe miſericordiam in ſubjectos, non iracundiam exercere. Qui cum his rationibus vix flecteretur, authoritatem etiam, & preces adhibui; enixèque rogavi, ut quando iram potius ſaturare, quam

pre-

precibus locum dare in animo haberet, in me unum iram omnem, ac furorem violentus natura homo effunderet, meque unum perderet, ut cæteri ſervarentur. Quibus, ob veſtram ſalutem, atque utilitatem, à me geſtis, demonſtrari ſatis, ſuperque poteſt, quali ego in vos animo, qua mente fuerim, & quam cupidus, ut nullam benefaciendi occaſionem prætermitterem. Præterea cum in eodem ſolo natus, atque educatus vobiſcum ſim, non ſubditos, ſed fratres vos duxi: imo etiam filios, & eorum vos loco me in poſterum habiturum pro viribus conabor. At quoniam ita Fortunæ, qua res humanæ, ac mortalium ſortes aguntur, eſt viſum; ut pater Fridericus, Conradus frater, atque ultimo nepos Conradinus brevi ævo finem vivendo impoſuerint: ex quo Conradino me interceſſore bona plurima conſequi certò poteratis; neque ego unquam officio defuiſsem; Illis verò noſtro damno extinctis, cum ad me paternorum regnorum jura pervenerint, viſum vos rogare, quid hac de re cenſeatis? Et quando æqui judices eſtis, ac memores beneficiorum, ſpero futurum, ut quod mihi jure debetur, & jam ſuffragio populorum eſt delatum, vos minimè denegetis: neque efficietis, ut iis ipſe bonis exuar, quæ majores mei reliquerunt; meque in ordinem redacto, alteri regna conferatis. Et quando ita Numini eſt viſum, cujus diſpoſitioni te accomodes neceſſe eſt; ut omni Svevicæ domus progenie extincta, certoque mortalium fato ſublata, ſolus ego ſuperſtes ſim; inque uno Manfredo ſpes reviviſcendę domus non tantum exciſa; facite vos, ut iterum refloreſcat, ex qua populorum commoda, veſtra fęlicitas eſt conſecutura. Idque eo facilius facturos vos ſpero, quod veſtro documento pluries experti eſtis, nullam in Pontifice ponendam ſpem eſſe. Nam cum Romanorum Pontificum vita plerumque brevis, adfecta ætas, vires imbecillę, regendis ob id populis haud idonei cenſendi ſunt. Imo cum non ſucceſſione, ſed electione ad Principatum evocentur, & in conſervandis Eccleſiæ bonis toti ſint, nullam, aut non ſatis ſufficientem regendarum gentium curam habere poſſunt. Quin etiam plerumque accidit, ut quod ab uno geſtum ſit, ab altero deſtruatur, quique proximus ſuccedit, priuſquam alterius errata corrigat, è vivis excedat, quod in ſenibus cadit non ſemel: quę cum ita ſe habeant, nullus illorum timor, nulla habenda ſpes eſt. In me verò, ac filiorum meorum virtute ſpem omnem collocare tuto poteſtis. Siquidem non ego, non illi, vos, veſtramque ſalutem, ac bona tueri omittemus; etenim & vires, & pecuniam, & vitam ipſam pro veſtra, regnique incolumitate impendemus. Quaſcumque Germanorum, Saracenorumque copias, veteranorumque militum robur in promptu habeo, & vertere in vos poſſem, ſi imperata facere renuatis, in hoſtes pro patria, pro veſtro commodo, ac ſalute con-

vertam. Facite igitur, ut quod mihi jure hæreditatis, armorum potentia, militum virtute debetur, à veſtra benevolentia delatum accipiam, & vobis gratias agam, quod me Regem feciſtis, non verò accepiſtis, cujus beneficii (nam beneficii loco habebo) me nunquam immemorem arguetis; quæque munera, titulos, præfecturas, honoreſque conferre in vos potero, facere non omittam. Hæc ille tanta eloquentiæ vi, animique promptitudine habuit; ut eum uno omnes ſuffragio Regem illicò ſalutaverint, & quod ſua ſponte populi fecerant, ratum ipſi habuerunt. Tum Manfredus jam ſe tutum ratus Procerum benevolentia, ac ſuffragio populorum, univerſos donis auxit, honoribus inſignivit, nobilitate ignobiles, nobiles equeſtri ordine cohoneſtavit; ac præfecturas diſtribuit: plurimos, quorum ſpectata nobilitas, vel magiſtratus dignitate, vel titulis illuſtriores reddidit. Qua oſtentatæ magnificentiæ ſpecie, cujus tanto largiores Principes ſunt, quanto minus diſpendioſa, ut quæ præter vani nominis titulum, ſolidi nihil omnino habet; magnam ſibi univerſorum ordinum benevolentiam conciliavit. Sciebat ſagax homo, rerumque uſu percallidus, haud contineri eum Principatum poſſe, quem injuria invaſerat, niſi largitate, ac manſuetudine ſibi populos devinxiſſet, qui ne ea, quæ ab ipſo conſecuti eſſent, mutatione rerum amitterent, firmius in fide permanſuri erant.

His in hunc modum ex ſententia conſtitutis, quoniam probè noverat, haud diu eam ſcenam, in quam mortum Conradinum induxerat, duraturam: ſed contra brevi fore, ut mendacium detegeretur, eoque palam facto, haud equidem Germanos, quibus ipſe tanta celebritate impoſuerat, quieturos, idcircò è Sicilia in Italiam trajecit: ſecumque Saracenorum præcipuum robur, quibus ipſe plurimum confidebat, adduxit; ut præſto in omnem caſum eſſent; etſi quid illi molirentur, eorum conatibus ſtatim occurreret. Sapienter ducens, facilè eos motus ſedari poſſe, quibus in ipſo ortu, aut vim, aut remedium adhiberet. III. Id: Septembris Calabriam adivit, ibi miſſionem quam plurimis Germanis dedit: ſolutiſque ſtipendiis dimiſit, ut illorum ſcilicet ſe metu tempeſtivè liberaret. Per quas Brutiorum, Lucanorum, ac Picentinorum urbes iter habebat, beneficia in omnes conferebat, & qui primi locorum ducebantur, honore afficiebat. Pervigilio D. Matthæi Salernum ſolemni pompa ingreſſus; feſtaque omnium acclamatione Rex ſalutatus. Saracenos, quos ſecum duxerat, per circumpoſitos pagos diſtribuit, quos tamen Jordanus Lanza Magnus Stabuli Comes agebat, eodem Duce Luceriam tranſmiſit.

Per idem tempus Rogerius Sanſeverinius, & Pandulphus Faſanella à Neapolitanis miſſi, ut Pontificias copias, quæ in Apulia

erant,

erant, in unum cogerent, ac Neapolim ad eam urbem tuendam deducerent; diu, multumque apud milites laborarunt. Nam qui Barulii, reliquiſque Peucetiæ oppidis ſtativa habebant, negabant, ſe ſigna moturos, ni prius ſtipendia ſolverentur. Rogerius tum ſpe pecuniæ, quæ Neapoli erat, tum prece tandem pervicit, eosq; ut refixis tabernaculis, iter corriperent, adduxit; perque Apennini aditus, qua tutior, faciliorque via erat, Neapolim ſecuri pervenerunt. Jordanus cognito illorum diſceſſu, cum tribus Saracenorum millibus Luceria movit, obviam Regi occurſurus; eumque ad D. Angeli fanum eſt aſſecutus, unà Nolam magnis itineribus pervenerunt. Caſtris Nolano in agro poſitis, Manfredus Legatos ad Neapolitanos miſit, qui eos ad deditionem hortarentur: & ut mallent ſe amicum, quàm hoſtem experiri. Neapolitani cum viderent, Pontificis copias tumultuari, Duces à Manfredo pecunia corruptos, Legatum ipſum, qui clam Gibellinorum partes fovebat, non ea alacritate bellum gerere, quam ea tempora requirebant, imò occultè multos hortari, ut cum Manfredo reconciliarentur; ne in eos iterum caſus, quos ſub Conrado paſſi erant, inciderent, urbem Manfredo tradere, atque opportuniorem virtutis occaſionem expectare conſtituerunt. Id ubi Legatus cognovit, non ægre tulit, ſed urbe ſtatim relicta, Romam cum milite reverſus eſt, ibique à Pontifice iniquo animo acceptus; ut qui merito vel ejus ignaviæ, vel perfidiæ amiſſæ Neapolis cauſam tribuebat. Neapolitani poſt Legati diſceſſum æquis conditionibus ſe Manfredo tradiderunt, quæ res adeo acerba extorribus fuit, ut minimè teneri potuerint, quin Legatum malorum omnium authorem magnis palam maledictis proſcinderent, ac Pontificiæ Majeſtatis proditorem appellarent. Videbant enim illi, & patriæ, & bonorum recuperandorum ſpem omnem, quæ ſalva Neapoli fovebatur, omnino amiſſam eſſe. Cæterum videri mirum non debet, ſi Neapolitani, qui ſub Conrado tanta fortitudine dimicaverant, ut & caſtris ſæpius victores inſultaverint, & copias etiam deleverint; eumque de ſolvenda obſidione cogitare non ſemel coëgerint: extremamq; famem rerum omnium penuria toleraverint; nunc nulla gravi neceſſitate preſſi, præſidio, ac Legato Pontificio muniti, ultro ſe Manfredo dederint. Etenim optimè intelligebant, nihil tumultuante exercitu in armis ſpei eſſe, nihil in dubiæ fidei Legato ponendum; ideoque optimum factu duxerunt, ſi virtutem ad meliora tempora reſervarent, ne iterum eam ſine lucro ſibi calamitatem accerſerent, quam paulo antea ſub Conrado fuerant perpeſſi. Fuit etiam non leve incitamentum Manfredi legatio, qua ſe omnia in Neapolitanos, quæ potuiſſet, beneficia collaturum promittebat, quæ à Pontifice viribus invalido obtinere non potuiſsent. Neque

in

in urbe deerant, qui privatis beneficiis obligati, in Manfredum penderent, & futura ex eo bello incommoda apud plebem exagerarent; idcirco pacem ſequi potius, quam incertos bellorum eventus maluerunt. Manfredus urbem ingreſsus, è veſtigio ſe promiſſis exſolvit, omniaque fideliter præſtitit; & nihil magis quam Conrado oppoſitus videri affectavit: ſuo ſumptu publica ædificia inſtauravit: eos, quos vertere ſolum Conradus juſserat, in gratiam recepit, plures honore, ac divitiis auxit, atque inter domeſticos admiſit, inter quos primum locum plurimi ex Capyciorum veteri, ac numeroſa familia tenuerunt, qui ſummos ea ætate honores adepti ſunt. Emicuit inter ceteros Henricus, qui Siciliam pro Manfredo adminiſtravit, ex qua etiam gente Conradus eamdem inſulam pro Petro Aragonio gubernavit.

Nobiles, qui proſcripti à Conrado fuerant, aliique plures, qui acerrimi Svevorum hoſtes erant, V. Kal: Nov: ejuſdem anni MCCLV. Canuſium profecti, ut Pontificii exercitus reliquias, quæ adhuc in Apulia degebant, colligerent. Quibus coactis per Daunios iter habuerunt, Florentinum oppidum, & Draconariam vi ceperunt, quique in eis locis erant, Saracenos ad unum trucidarunt, oppidiſque incenſis, ac dirutis, Luceriam adorti, quam cum corona capere nequiviſsent, oppugnatione omiſſa, in Pelignos, ac Marrucinos moverunt. Per eos dies, univerſę Peucetiæ gentes conventum Barulii habuerunt, ut quid eis expediret, conſulerent. Dum verò de Republica referunt, nuncius ſupervenit, deditam Manfredo Neapolim ferens. Miſerat eum nuncium Aſprenus Caracciolus, qui Juzolino Marræ conſobrino ſuo ſignificabat, Manfredum ſummam in Neapolitanos benevolentiam oſtendiſse: tres & triginta in ea urbe equites creaſse: ideoque bono eos animo eſse jubebat, confidere ſe fore, ut & ipſi eandem benevolentiam experirentur. Paratum Manfredum eſse ad ſe Pontifici ſubmittendum, & fidelem ſe Eccleſiæ futurum, ſacramentoque ſe ſponſurum, affirmaſse. Imo ſcire eum velle tantam grati animi in Manfredo memoriam eſse, ut Archipresbyteri Caraccioli, à quo educatus, atque eruditus fuerat, recordatus, illicò de eo rogaſse, an adhuc in vivis eſset, cumque reſponderetur, ſupremum diem objiſse, duoſque nepotes reliquiſse; acciri eos ſtatim juſſiſſe, venienteſque benignè complexum equites è veſtigio creaſse, ac L. auri uncias ſingulis ex Regio Ærario ſolvendas quotannis tribuiſse. Quibus in magnam ſpem erecti Barulitanorum animi, ut illicò Legatos ad Manfredum miſerint, ſe in ejus poteſtate futuros, quod & reliquę urbes fecerunt. Tantum apud gentes oſtentatæ beneficentiæ ſpecies valet: & in illius facilè amorem adducimur, à quo non veniam modò, ſed & premia nos conſecuturos ſperamus.

Por-

Digitized by Google

Porrò Manfredus Sicilia, atque ulteriore Italia in poteſtatem redacta, ad majora animum applicuit; neque enim tanta Regnorum acceſſione cupidiſſimus homo explebatur. Ut verò Pontificem ad pacem impelleret; ſine qua nec partis frui, nec alia adipiſci tutò ſe poſſe arbitrabatur, vi uti ſtatuit. Saracenos, quos ex Africa conduxerat, & Luceriæ ad omne ſcelus promptiſſimos habebat, Romanum in agrum immiſit; ut omnia ejus tractus depopularentur: & ſi occaſio daretur, Fruſinonem, munitum oppidum, & ad Romanam ditionem vaſtandam opportunum, occuparent. Ipſe Prid: Non: Nov: edictum promulgavit, quo univerſos exules, proſcriptos, ac deſertores in gratiam accipiebat. At nemo unus fuit, excepto Paulucio Marra, qui infido homini fidem adhibuerit: rectè arbitrati, haud ſervaturum hominibus fidem, qui Deo non ſervaſſet. Exin D. Martini feſto celebrato, quo plures Neapolitanorum ad convivium excepit, ac regio apparatu tractavit, urbe digreſſus Capuam venit, ex qua Sveſſam Auruncam ſe contulit. Sveſſæ ipſe ſubſtitit, Saracenorum vero cohortem, ac Germanorum turmas aliquot Fundos miſit, ut eam urbem, quam ſimul cum circumpoſitis caſtellis Fridericus Eccleſię donaverat, occuparent. Atque ex hac parte regni finibus ultra Lirim promotis, Theate profectus: ſpecie, ut ibi Domini Natalitia celebraret, re vera ut ex ea etiam parte ditionis fines amplificaret: & Picenum ſi ſe occaſio oſtentaſſet, ad veteres terminos adjungeret. Per quas verò urbes iter faciebat, beneficia in populos conferebat, honores largiebatur, pluresque equeſtri ordini adjunxit, ratus popularis homo, hoc modo ſibi benevolentiam, ſine qua diu non ſe tutò apud eos regnaturum ſciebat, in quos contra Pontificis juſſa tyrannidem exercebat, conciliaturum. At poſteaquam nihil ex ea parte novari intellexit, firmiſque oppida præſidiis teneri, in Apuliam iter vertere conſtituit; ut & ſe, & ſuos venatione exerceret, & ſic, ſi non bello, ſpecie tamen belli oblectaretur. Eſt in Apuliæ Dauniæ finibus ampla planitie extentis, latiſſima ſylva, quæ ad radices uſque Gargani pertinet, in ea tanta omnis generis animalium multitudo; ut nullus in Italia aptior venationi locus ſit. In eo Fridericus Cæſar venari ſolitus, immo ut ibi commodè cum ſuis habitaret, nobiles ædes inſtruxit, omnique regio apparatu adornavit. Cum verò ſemel in quodam vaſtiſſimæ ejus ſylvæ angulo immenſæ molis aprum occidiſſet, convivium eo loci inſtrui juſſit, in quo univerſos Proceres ad menſam adhibuit, celebratumque convivium ſumma univerſorum hilaritate. Ad hujus facti memoriam caſtellum eo loci ædificavit, & à vicinis locis gentes ad incolendum deduxit, utque perpetua nomine ſervaretur memoria, Apricœnam appellavit, vulgus vocabulo pro more diminuto, Precenam vocat. Eum in locum quotannis

Digitized by Google

annis venandi gratia ire conſuevit: plurimumque ea venatione delectabatur. Hunc patrium morem imitari Manfredus affectavit; ut Friderici recordatione gratiam apud vulgus, honoremque ſibi conciliaret. Supra MCD. in eum locum venatum conveniſſe, eoſq; & ornatu veſtium, & armorum ſplendore mirum de ſe ſpectaculum exhibuiſſe in annalibus reperio. Ea verò, ut celebratior eſſet, voluit, ut quod quiſque venatus eſſet, ſui juris faceret: deque impenſo labore ſibi commoda, ac prandium cederet: ſe nihil velle, niſi quod ſua dextera, ac fortuna tribuiſſet. Venatione abſoluta, Sipontum proceſſit, quam urbem pene vacuam, nec ſano in loco ſitam, animadvertens, alio transferre ſtatuit. Novam igitur urbem ad mare ponere, deque ſuo nomine appellare aggreſſus, primaque lineamenta fieri mandavit. IV. Nov: Februarias Barulium movit, eique ad Pontem Aufido impoſitum DCC. ejus urbis cives obviam cum palmis exiverunt; ſummaque lętitia, honoreque exceperunt: devotumque diris hominem ſacri vatis hymno cohoneſtarunt. Tantum apud gentes, & tyranni timor, & ambitio valet. Dum autem Barulii hyemaret, Margaritæ, quæ Conrado mortuo, Bavariæ Duci nupſerat, Legati ad Manfredum venerunt. Illos Manfredus perhonorificè excepit, lautèque publicis impenſis tractari voluit, quibus certa exin die curia data eſt, cumque ad ejus præſentiam inducti eſſent; Abbas quidam Germanus, & ætate, & ore venerandus, qui Princeps erat legationis, ita orationem exorſus eſt: Quam iniquo animo, Margarita Regina tulerit, quantumque ex eo dolorem conceperit, nequam homines ad te, Manfrede, attuliſſe Conradinum filium ſuum, tuum verò nepotem, è vivis exceſſiſſe, haud equidem explicare verbis ſatis queo. Et ſanè quis non vehementer doleat, ni naturam omnem exuiſſet, tam triſte de filio omen evulgari? quo non vita tantum, ſed paterna hæreditate, quæ duobus clariſſimis regnis, ac tot Principatibus continetur, ante tempus ſpoliaretur? Avertant Superi tam luctuoſum preſagium; & quam dederunt vitam, quam diutiſſimè ſervent. Vivit equidem, vivit Manfrede, nepos tuus Conradinus, cui tu tutor à patre, atque avitorum regnorum adminiſtrator es relictus. Idcirco te Margarita poſcit, atque exorat; ut quando detectus error, omnibuſque aperta fraus eſt, filio regnum reſtituas, quò illum non humano, non divino jure privare potes, imo nec debes: nam ſi ſecus faxis, quis ille erit, qui te auctore evulgatam Conradini mortem non credat? te artifice telam illam contextam, ut tutius pupilli regnum invaderes? quo ut te purges ſumendum de ſceleratis illis ſupplicium eſt. Ita enim & illi merita pęna afficientur, & tua innocentia univerſæ Europæ palam fiet. Id Margarita, id Conradinus, id natura, id leges poſtulant; & illicò facturum certò confidimus. Cui Manfredus,

dus, qui paratus ad cauſam venerat, quidve reſponderet, diu ſecum præmeditatus fuerat; hæc verba habuit. Magna quidem me lætitia cumulaſtis, cum vivere, & benè etiam valere nepotem meum Conradinum attuliſtis. Margaritæ Reginæ mihi vel in primis chariſſimę de filii ſui incolumitate ſummoperè gratulor, eumq; totis ego ulnis complector; Superoſque omnes oro, quæſoque ut in poſterum ſervent. Cæterum nec mihi, nec illi, nec etiam populis expedire arbitror, ut in præſentia quidquam de Principe novetur. Etenim non Italis modo, ſed etiam Siculis tam odioſi Germani ſunt, ut ne illorum quidem nomen audire velint; neque id quidem immerito, abſit verbo invidia, ob tot ſcelera, ac rapinas, quæ paſſim ediderunt, ob intolerabilem ſuperbiam, ac vinoſitatem, quibus omnium ab ſe vitiis animos alienarunt: ideoque nunquam illos paſſuros arbitror, ut eorum jugum, quod ſemel excuſſerunt, ſubire iterum velint. Præterea, cum ipſe ex duorum Pontificum manu, qui armati ad illud repetendum contra me moverant, regnum armis vindicaverim, quis non videat, nullum amplius jus Conradino in illud eſſe relictum? Verum ut univerſæ gentes intelligant, me non regnandi ambitione, ſed populorum commodo moveri, hæredem illum inſtituam, ut ex quo jure excidit, hæreditate poſſideat. Ne verò Germani titulus obſit, ad me in Italiam nepotem Margarita tranſmittat; ut eum ipſe educem, ac Italicis moribus imbuam, ut ſic acceptus inde populis, & gratior fiat. Illius ego non uti nepotis tantum, verum etiam tanquam filii curam geram, eumque in filium, & jura regnorum adoptabo: atque his verbis Legatos dimiſit, plurimaque munera, generoſos equos omni ornatu inſtructos, gemmas pretioſas, aliaque id genus Conradino, Bavariæque Duci miſit: quæ & munificentiæ, & amoris argumenta erga illos videri poſſent.

Legatis honorificè dimiſſis, Leonem Fajellam Nobilem Neapolitanum ſupremum Peucetiæ Judicem conſtituit, ut eo beneficio Neapolitanorum animos, à quibus ſibi vehementer timebat, obligaret. Ad novam deinde urbem ædificandam curas omnes convertit. Nam cum videret Alexandrum Romanis turbis implicitum, & ſenectute gravem de Neapolitano bello minimè cogitare: qui, etſi Siciliæ jura ad Edmundum Angliæ Regis filium tranſtuliſſet, tamen quia hic tot terris, ac maribus à Sicilia ſejunctus, nec tantis inſtructus viribus, ut ei bello ſuſcipiendo par eſſet; nullam Manfredo ſolicitudinem intulerat. Ideoque ſecurum ſe à bello ducens ad pacis artes animum applicuit. Marinum Capyoium novæ urbi ædificandæ præfecit, ut ex Illyrico ligna, trabeſque, è Gargano lapides, calcem, aliaque id genus neceſſaria tranſportari diligenter procuraret, injunxit. Tanta ille hæc diligentia præſtitit, ut brevi

univerſa, quæ opportuna ad ædificandum erant, ad manus fuerint. Ejus vero urbis tanta Manfredum cupido inceſſit, ut illam, quam feliciſſimis condere auſpiciis exquiſiverit. Suum enim illa ad poſteros nomen perlatura erat. Quoniam verò vanis Chaldeorum prædictionibus ſuperſtitioſus homo ſummopere ducebatur, è Sicilia, & Gallia Ciſalpina accerſiri Mathematicos, magnaque ſpe oneratos in Apuliam mitti juſſit, ex quorum inde judicio aſtris diligentiſſimè obſervatis, is ad urbis fundamenta jacienda Aprilis dies dictus, qui D. Georgio ſacer eſt. Sub illius igitur diei ortum primi lapides jacti, ipſeque ut erat Geometriæ gnarus, acerque ingenio, urbem univerſam, viaſque, & fora magna arte delineavit. DCC. operas ædificationi quotidie incumbere decrevit. Atque his ita conſtitutis, Majo ineunte Tarentum profectus; ut inde in Siciliam ad ſedandos eos motus, quos à Pontificiis ortos nunciabant, primo tempore trajiceret.

Manfredo in Siciliam profecto, atrox inter Fajellam Judiciis Præfectum, & Rajelem Saracenorum, qui portoriis exigendis præpoſitus fuerat, ortum certamen eſt, in quo, ira ſtimulante, ad jurgia primum, mox ut plerumque fit, ad manus eſt ventum. Fajella ictum in ore accepit: Saracenus in capite. Fajella pro munere, quo fungebatur, Rajelem in nervum conjecit, inque Gargani arce cuſtodiri juſſit. Hujus certaminis rumor. brevi ad Caſertæ Comitem, qui Regnum Neapoli adminiſtrabat, delatus eſt, qui eo audito, Andream Capuam, confeſtim in Apuliam legavit, ut de eo certamine quæſtionem haberet. qui in Apuliam ſtatim profectus, Barulium venit: hic dum quæſtionem exercere incipit, Saraceni affines illum conveniunt, ac vehementer rogant, ut Fajellam vinciat. Negavit Andreas id ab ſe fieri poſſe, antequam de controverſia cognoſceret; dum autem teſtes conquirit, tabulaſque de more conficit, quidam Rajelis propinquus Neapolim venit: & à Tadæo Seſſa, ut Rajel, ad curandum vulnus, Barulium reduceretur, impetravit. Interea Andreas confectas à ſe tabulas in Siciliam ad Manfredum tranſmiſit, ſervarique interim Rajelem jubet: paſſimque evulgari curavit, jurgium ab illo ortum, eumq; illius certaminis authorem extitiſse. Manfredus controverſia cognita, ſatis pęnę Rajelem accepto vulnere luiſse exiſtimans, literas ad Capycium Manfredoniæ ædificandæ præpoſitum dedit, quibus vehementer injungebat, ut inter Rajelem, & Fajellam concordia iniretur, omnibus nervis curaret: idque ſibi gratiſſimum futurum. Marinus literis acceptis; ut Manfredo gratiam hanc faceret, cui chariſſimos eſſe eos barbaros noverat, Saracenum è cuſtodia eductum ſecum ad Fajellam deduxit, mutuoque amplexu conciliavit. Atque hæc brevis eo tempore litium componendarum via erat.

At

At non hic præter hiſtoriæ inſtitutum duco, ſi Curiæ, cujus hi adminiſtri, ac membra erant, à Friderico Cæſare conſtitutæ, mentionem faciam. Poſteaquam Fridericus Siciliæ regnum, atque Apuliam obtinuit, Tribunalia juris dicundi cauſa inſtituit, & Magnam Curiam appellavit. In ea Supremum Magiſtrum conſtituit, eumq; Magnum Judicem vocavit: quatuor præterea illi Judices adjunxit, qui à conſiliis eſſent, & minores controverſias cognoſcerent. Curiæ veterum Imperatorum more duos alios magiſtratus Procuratorem, & Fiſci Patronum addidit, qui magiſtratus ante Fridericum apud ſuperiores Siciliæ Reges non inveniuntur. In aliis Provinciis alii judiciorum Magiſtri reſidebant, qui jus in illis gentibus ferebant; à Magna tamen Curia, ad quam provocatio erat, dependebant. Hujus miniſter Curiæ Andreas erat, Fiſcique Patronum gerebat, à quo illuſtriſſima familia ex Capua denominata ortum duxiſſe perhibetur. Tadæus Seſſa unus erat, ex quatuor Judicibus, qui Magno Magiſtro aſſidebant. Friderici ætate hi quatuor eum magiſtratum obtinebant. Tadæus Seſſa, quem falsò Sigonius in expugnatione Victoriæ à Parmenſibus occiſum ſcripſit, Petrus Vinea, Joannes Proclaſta, & Robertus Panormitanus: qua vero ratione Tribunalia deinde aucta, atque immutata, inferius ſuo loco tNumber demus.

Per id tempus, quo Manfredi gloria, tot claris bello geſtis per univerſam Europam divulgabatur, magniſque ubique laudibus illius virtus commendabatur, Petrus Aragoniæ Regis major natu filius Conſtantiam ex Manfredo genitam ſibi in matrimonium dari petiit. Manfredus id ſibi, & gloriæ, & utilitati futurum ratus, Legatis honorificè acceptis, Petro filiam deſpondit. Exin Domini Natalitiis conventum ſuorum Procerum habuit: in quo cum de filia retuliſſet, ſe eam Aragonum Regis filio nuptum dediſſe pronunciavit. Proceres magna lætitia ratas eas nuptias habuerunt. Per univerſam mox ditionem, evulgari juſſit: admonerique populos, ut ad conflandam filiæ dotem donativum novo more cogerent, nam veteri Principes congiarium populo largiebantur. Alteram filiam Beatricem, ut Maurolycus eſt author, Montis ferrati Dynaſtæ junxit, quibus nuptiis, tantorum affinitate Principum auctus nihil Pontificis authoritatem, atque arma faciebat. Ignarus nullam potentiam quantumvis validam reperiri, quæ divinæ obſiſtat, & vindicem à tergo Deum ſuperbis inſtare: quamquam hic, Alexandro, & ſenectute, curis gravi, ſerius in eum agere diſtuliſſet. Ineunte Januario ſecuti anni MCCLVII. per univerſam ditionem, qui pecuniam pro dote repeterent rigidiſſimi exactores miſſi: & eam quam primum conflare juſſi: quod jam rumor erat, Aragonias naves propediem expectari, quæ nuptam in

Hiſpaniam deducerent. Tanta verò ex utroque regno pecuniç vis coacta, ut vix major ex tota Italia cogi potuiſſet: illius major pars in ærarium illata, nam pro dote tria non amplius unciarum millia ſe daturum ſponſo ſpoponderat. Nempe non omiſit avarus homo ea occaſione non tantum filiæ, ſed ſibi etiam dotem conquirere. Verum male parta, male pariter brevi dilapſa ſunt. At non interea Pontifex, ne hujuſmodi nuptiæ conficerentur, omiſit; haud ſibi expedire ratus, ut Aragonius tam accerrimo Eccleſiæ hoſti affinitate jungeretur. Raymundi Pennafortii viri tum ſanctimonia, tum authoritate Aragonio acceptiſſimi opera uſus, conatus eſt Regi perſuadere, ne Manfredi filiam filio ſuo Petro conjugem daret: verum plus apud Jacobum Regem ſpes Regni Siculi, quam Pontificis authoritas, aut Raymundi oratio valuit. Majo ineunte, Aragoniæ naves Panormum tenuerunt; quæ adeo ſordidæ viſæ, & tam inornata juventus; ut Petro filiam deſpondiſſe, Reginam pœnituerit: ſed jacta jam alea erat; nec illam revocare utrique parti honeſtum amplius ducebatur. Regio igitur comitatu nupta, unà cum dote in naves deducta, eaque magna lætitia accepta vela in Hiſpaniam fecerunt: atque unà cum ſponſa novam belli materiam ſuo tempore exarſuram in Aragoniam advexerunt.

Manfredus filia ad generum miſſa, è Sicilia in vicinam Calabriam trajecit: inde in Campaniam, cujus amœnitate plurimum gaudebat, ſe contulit. Hic Junio menſe in Caſertanum lucum venatum divertit, ubi ex defatigatione, annique intemperie graviſſimum in morbum incidit: ex quo tantum non interiit. Poſtquam verò ſive medicorum arte, ſive naturæ vi, quod facilius uſuvenit, convaleſcere cœpit; ut reſtitutæ ſalutis ſignum aliquod lætitiæ daret, Jordano Lanciæ ſubalpino homini, Juvenatium nobile Apuliæ oppidum dono dedit, Comitiſque titulo inſignivit. Quis verò is fuerit, his verbis Villanus nobilis Hiſtoricus tradit. Manfredus Friderico Patre, Matre vero natus conjuge Marchionis Lanciæ muliere pulcherrima. Hujus fœminæ cognatus Jordanus fuit, quem, poſtquam egregiam in bellis operam Manfredo navaſſet, hic ut & affinitas, ac virtus indonata non irent, eo comitatu, plurimiſque divitiis auxit. Verum Leone ſe magiſtratu abdicante, Rinaldus Aquinus ſuffectus, qui non ſolum in Peucetia, ſed etiam Japygia, Meſſapiaque Summus Magiſter judicia exercuit. Cæterum Fajella magna integritatis laude Provinciam adminiſtravit, neque unus fuit, qui de eo apud Principem conqueſtus: Saracenos in officio continuit; nec quempiam ab illis opprimi paſſus eſt, idque magis in eo commendabile; quod hi plurimum in ea Provincia pollebant; & vehementer à Principe amabantur; qui eorum commoda, cæteris poſt habitis, continuò procurabat, ut qui illo-

rum virtute, quod vi occcupaverat, retenturum ſperaret. Sed ea in Leone integritatis fama, ea prudentia, ac ſedulitas erat; ut quid quid egiſſet, ratum Manfredus haberet, & quemadmodum in magiſtratu ab accipiendis muneribus abſtinuit, ita eo abſoluto, Neapolim uſque munera ad eum tranſmiſiſſe, quod uti rarum, ita ſummopere laudabile.

Interea venationis tempore appetente, Fogiam ſe Manfredus deduxit, quo plurimi viri nobiles, & Neapolitani in primis convenerunt. dum verò venatio celebratur, res accidit, quam in annales referre non erit ab re. Saracenus Prætorianorum militum Dux Mazzęum Giuſſum nobilem Neapolitanum, in ipſius Principis conſpectu dextræ pulſu loco movit. Giuſſus eam ignominiam iniquè ferens, ſumma vi Saraceno alapam inflixit, plurimumque è naribus ſanguinem elicuit. Saraceni eo ſui Ducis dedecore irritati, ad arma conclamarunt, nec ſegnes Neapolitani, qui plurimi in comitatu erant, eductis illico gladiis ad pugnam ſe accinxerunt. Nec exigua quidem utrinque cædes ſecuta fuiſſet, ni Primi Procerum accurriſſent, interventuque ſuo litem diremiſſent; vulnerati tamen primo impetu non pauci. Tumultu ſedato, Manfredus, qui ſibi eam ignominiam irrogatam arbitrabatur, præcidi dexteram Mazzęo juſſit. Quo audito, Neapolitani ſupplices Regem adivere; enixèque rogant, ne unius canis gratia, ita Saracenos vocabant, nobilem virum, quem ipſe equeſtri ordini aſcripſerat, eo graviſſimo incommodo afficeret, quando Saracenus, qui primus nobilem virum ſine cauſa offenderat, pęna dignus videretur, plurimaque ad eam rem liberè, ut mos erat eorum temporum, quibus non ſervile populis ingenium, Gregorius Caracciolus, qui nativa quadam eloquentia multum valebat, diſſeruit. Manfredus eorum precibus, atque oratione paulum permotus: Vellem, inquit, hanc vobis gratiam facere, ni ſolvi hoc modo diſciplinam viderem. Ni latæ ſapientium judicio leges ſerventur, haud ſecura Principis Majeſtas, haud quieta erit Reſpublica. Non ille privatum hominem, ſed Principem lęſit, univerſamque Rempublicam offendit. Ut verò intelligat, plurimum apud me veſtras preces valuiſſe, ſiniſtram præcidi, non dexteram jubebo: itàque per lictorem factum. Saracenum in ordinem redegit, ac mitiorem indole virum Prætorianis præfecit. Non multos poſt dies quomodo Mazzęus ex vulnere valeret, rogavit, cumque à domeſticis reſponderetur, nihil propius factum eſſe, quam præ dolore, interiret, ſpem tamen, fore ut convaleſceret. Tum ille: Miſeret me, inquit, illius, centumq; Auguſtales ei dono miſit: ut & juſtitiæ, & miſerationi juxta ſatisfeciſſe videretur, & ut diſcerent Principes non privato odio, ſed publici boni ſtudio in reos animadvertendum. Fogia Manfredoniam

ut

Digitized by Google

ut illius urbis ædificationem ſua præſentia urgeret, ſæpius progreſſus. Æs Campanum ad uſum Principis Eccleſiæ novæ urbis tantæ molis fundi imperavit, ut ad L. millia paſſuum ejus ſonus exaudiretur, idque ex eo fecit, ut ſi forte ab hoſtibus ſubito navium appulſu invaderetur, circumaccolæ ſono acciti ad ferendum auxilium ſtatim accurrerent. Etenim ampla circuitu urbs, ac civibus infrequens haud tuto tueri à ſuis poterat, atque ob id ex ſingulis Apuliæ urbibus familias aliquot novam in urbem, ſimul atque ædificari deſiiſſet, deducere in animo habebat. VI. Non: Dec: Barulium ſeceſſit; nobili in urbe Domini Natalitia celebraturus. At non ſacro ritu, ea ſolemnitas, ſed profano celebrata, nam fœminarum choreas habuit: & ipſe cum elegantioribus ſaltavit: eaſque magnificè donavit. Ludos etiam exhibuit, & comœdias populo dedit, quæ ad emolliendos animos, moreſque corrumpendos inſtituta, plurimum ſecutis temporibus Reipublicæ nocuerunt.

Manfredo in Apulia degente, Gibellini, qui Florentia pulſi Senæ habitabant, Legatos ad eum miſerunt, ſubſidia contra Guelphos petituros. Ipſe, ut Gibellinorum factionem, quæ ſuarum partium erat, pro viribus ſuſtentaret, Jordanum Comitem Senam cum octigentis haſtatis miſit, quibus, quoniam Germanorum robur erant, ſummopere fidebat. Sipontum inde, & Civitatem everti juſſit; earumque urbium cives Manfredoniam & ſitu, & portu commodam, ac ſalubriore etiam aëre nobilem commigrare coëgit. Per eos dies res accidit, quam uti memorabilem Apulus author ſuis annalibus conſignavit. Amelius Moliſius Manfredi aulicus, virginem humili loco natam, ſed viſu pulcherrimam conſtupraverat, eumque unà cum virgine dormientem, hujus fratres in lecto deprehenderunt. Ille cum fugam moliretur, ab his vi comprehenſus, & ad Judicem deductus, à quo in carcerem conjectus: reſque ad Principem delata. Manfredus ſtupro comperto, Amelium eam, quam compreſſerat, uxorem ducere jubet. Amelius eas nuptias ſibi ignominiæ futuras ducens, noluit infimæ ſortis fœminam ſibi matrimonio copulare, priuſquam patruum Moliſii Comitem conſuleret. Hic certior de re factus, nepotem hortatus ne tam indecoris nuptiis nobiliſſimam familiam dehoneſtaret. Amelius, ut ſe ab eo onere ſubduceret CC. auri uncias, totidemque Comes virgini pro conficienda dote obtulerunt. Virginis germani haud aſpernendam eam pecuniam rati, rem cum Amelio tranſigere ſtatuerunt. Id Manfredus intelligens, virginem ducere Amelium ſine mora præcipit: ſe haud paſſurum ea ſorte, quam ſibi ſua pulchritudine pepererat, illam privare. Tum Amelius ſontica, ut ajunt, neceſſitate adductus, virginem ſibi copulavit. Manfredus, qui æquus juxta, & magnificus haberi cupiebat, ſuis ſumptibus nuptias cele-

bra-

bravit: aſſerens nihil omnino de ſua nobilitate Amelium amiſiſſe; quoſque ex ea liberos genuiſſet, patris nobilitatem, non matris adepturos; idque affirmans eò callidus homo ſpectabat, ut ſpurii maculam, qua notabatur, elueret. Ut autem non indotata à Principe abjiſſe virgo videretur, oppidum Aberon ab indigenis dictum, Amelio donavit. Quo facto, mirum quantam ſibi fœminarum benevolentiam conciliavit. Aulici eo documento edocti modeſtiores deinceps, ac caſtiores eſſe ſtuduerunt: ne talibus nuptiis & ipſi implicarentur. Ipſe verò quaſi ſolutus his legibus eſſet, quibus contineri reliquos volebat, ſæpe velut hiſtrio per urbem gradiebatur, amatorias cantilenas accinens: ſecumque muſicos quoſdam Sicilienſes circumferebat, qui cantu, & ſono totam urbem replebant. Uſque adeo facilius eſt præcepta tradere, quàm adimplere.

Per id tempus acerrimum inter Venetos, Piſanos, ac Genuenſes bellum erat. Ipſe hos ultimos, qui cum Eccleſia conſentiebant, vehementer perſecutus. Fœdus cum Venetis, ac Piſanis fecit; ut Ægeo mari, totoque Oriente Ligures excluderentur. Fœdere icto, C. roſtratas armari juſſit; ut valida fœderatis auxilia ſuppeditarentur. Nec tum difficile tantarum longarum navium numerum adornare: plurimæ enim urbes, virique nobiles propriis ſumptibus roſtratas aliquot Principi militaturas armabant, & florentiſſima tum hæc Italiæ pars erat, nec minus gentibus populoſa, quam divitiis affluens: quæ ita ſenſim tot inundationibus barbarorum prolapſa, ut ſuis enervata viribus veluti conſenuerit. Eam claſſem ſub Philippo Cinardo Maris Præfecto ad ferenda ſociis auxilia navigare in Orientem mandavit. Tantæ expeditionis pretium Divi Thomæ Apoſtoli corpus omni præda æſtimabilius, omnique nobilius triumpho fuit, quod claſſe in Italiam reverſa, Ortonam delatum. Quo id vero caſu contigerit, paucis perſtringere ſupervacaneum non erit. In Manfrediana claſſe tres roſtratæ, quas Ortona nobile Frentanorum oppidum armaverat, numerabantur: eaſque Leo ejus urbis civis ductabat, quæ cum Neapoli ſolviſſent, vela in Orientem fecerunt; ut inſulas, quas in Ægeo Ligures obtinebant, occuparent, aut ſaltem depopularentur. Inter eas inſulas nobilis Chios, ac Sporadum celeberrima, in quam ſuarum gentium coloniam Genuenſes deduxerant, atque egregii portus opportunitate, nobile æquè, ac frequens totius Orientis emporium fecerant. Hanc poſtquam ſecundo curſu Manfrediana claſſis tenuit, in terram Prætor illico militem expoſuit, ſuburbia invaſit, quibus occupatis, urbem aggreſſus vi cœpit, ac diripiendam militibus dedit. Leo in Principem ejus loci Eccleſiam ingreſſus, ut erat pietate ſupra reliquos inſignis, in genua accidit, numen adoravit, preces fudit. Inde oculos circumferens Eccleſiam marmore, & ſtructura elegantiſſimam

mam contemplari cępit: aram animadvertit præ reliquis inſignem, accenſiſque luminibus collucentem, ratus celeberrimi alicujus Divi in ea reliquias cuſtodiri, circum ſe vertit, ſi forte indigenam aliquem, ex quo ſciſcitaretur, inveniret. venerabilem in angulo ſenem, inque genua flexum animadvertit, qui D. Thomam precabatur, ut civibus ſuis in ea calamitate præſto eſſet: illum Leo adit, & quid ſancti in ea ara ſervaretur? interrogat: D. Thomæ, inquit ſenex, hic Lipſana ſunt repoſita, quæ magna nos veneratione habemus. Leo rem tantam edoctus, videnſque urbem incolis pene vacuam, ac direptam, pretioſum illud pignus in patriam ſecum transferre cogitavit, quo uno ditiſſimam prædam, atque immenſa ſpolia ex eo bello quæſiviſſe popularibus ſuis videbatur. VI. Id: Auguſti anni MCCLVIII. D. corpus magna religione ex ea ara accepit, atque in navim deduxit: ſecuto exin menſe, in Italiam reverſus, non patriam tantum, ſed univerſum Neapolitanum Regnum eo ſacro theſauro ditavit. Ejus Divi precibus innumera pene miracula ad univerſæ Eccleſiæ utilitatem Deus edidit, quæ in ſuo libello Joannes Baptiſta Lectis complexus eſt.

Per idem tempus VII. Id: Auguſti Balduinus Conſtantinopolitanus Cæſar Venetiis Barium appulit. Id ubi Manfredus cognovit, obviam illico proceſſit: cumque grandi honore excepit, & munificentia Cæſare digna tractavit. Ut vero ſpectaculo aliquo illius adventum cohoneſtaret, inſignemque redderet, atque hilaritatem aliquam, & Cæſari, & populis exhiberet, Troję luſum habere ſtatuit, quocirca per univerſas utriuſque regni provincias, urbeſque edici juſſit, ſe Balduino Imperatori Troję ludicrum edere decreviſſe: ſi qui ex nobilibus, & præcipuè ex ordine equeſtri ludere Trojam vellent, ad condictum locum venirent, gratiſſimam ſibi rem facturos, & præmia etiam non pauca relaturos. Dies ludicro Prid: Kal: atque ipſas Septembris Kal: dixit, ejus vero ſpectaculi quatuor Principes conſtituit: in primo variant Scriptores. Conſtantius Tricarici Comitem eum fuiſſe tradit: Riccarienſem Ferrarius, Loffredum ſecundum: reliquos duos Siculos Tancredum Vintimiliam, & Conradum Spataforam. Hi gratiis Regi perſolutis pro honore, quo afficiebantur, ad edendum ſpectaculum ſe accinxerunt. Interea amphitheatrum extra urbem, atque in conſpectu arcis Regia munificentia extructum: diſtinctique ordines, in quibus ſpectatores aſſiderent. Elegantiſſimo inde apparatu univerſum theatrum eſt adornatum. Tertio ab electione Principum die, dum Cæſar, & Manfredus innumero nobilium cætu ſtipati ſedent, Caduceator nitidis armis incinctus, nobilique equo invectus Circum eſt ingreſſus. Illum haſtiludii Magiſter regio vexillo ſequebatur; utrumque octo tubicines præibant. Hi poſtquam

in

in conſpectum Principum venerunt, eos venerati conſtiterunt, tubiſque occinuerunt, deinde Nuncius ſe Manfredi fecialem alta voce profeſſus, eumque Cæſaris gratia Trojam ludere velle, ideoq; quiſquis & Regi rem gratam facere, & præmia, plauſuſque conſequi voluiſſet, is ſe ad pugnam accingeret, atque iſto modo ludicrum bellum eſt indictum. Quamplurimi fuerunt, qui honoris ſtimulo incitati ad ludicrum certamen ſe paravere. Inſignes equis ſcuto & haſta præmuniti, ut in ea pugna mos eſt, habituque ſuperbiſſimo amicti X. Kal: Auguſti duo & viginti viri nobiles Barium luſuri pervenerunt, duo primi Saraceni fuerunt, Dictumen, & Gianat barbaris nominibus appellati, qui Hyacinthino, croceoq; colore inſignia fucaverant. Robertus Piſcicellus, Gottardus Saxo, Athanaſius Pudericus, Balardus Singinulphus, Stephanus Brancatius Neapolitani: quorum coccinea, nigraque inſignia fuerunt. Rogerius Stellatus, Mazzeus Porta, Cataldus, & Jacobus Protentini cives Tarentini ex antiqua nobilitate, Vincentius Falconus, Gaſpar Perſona, & Orlandus Maramontius, Hydruntini: Riccardus Lioneſſa, Gulielmus Ebolus, Sarrus Antinianus, Petrus Abenavolis Capuani. Simeon de Sanguine, Sacco Montania, Laurentius Tortus, & Eleutherius Valegnanus ex Frentanis, ac Pelignis orti. Quem verò exitum, hæc Troja Manfredoniana habuerit, in annalibus non invenio, ſive id injuria temporum, ſive vitio Scriptorum acciderit: verum eo ludicro omiſſo ad ſeveriorem Hiſtoriæ ſtylum redeamus. Anno ducenteſimo quinquageſimo nono ſupra milleſimum Michael Angelus Epiri, & Ætoliæ Deſpotes Manfredi auxiliis, cujus filiam Helenam uxorem duxerat, adjutus, Orientis Imperium, quod in dies præcipiti caſu, ut in maximis rebus conſuevit, ruebat, magna cupiditate affectavit. At victus à Joanne Sebaſtocratore, vix propria retinuit, ea ſpe lapſus, in Italiam navigavit: ubi à genero perhonorificè exceptus. Hic ut aliquam Manfredo gratiam faceret, ac rebus etiam ſuis conſuleret, eum Pontifici reconciliare, quod ille ardenter cupiebat, pro viribus adniſus. Re igitur cum Manfredo diſcuſſa, Anagníam ad Pontificem (ea in urbe tum Alexander degebat) ſe plurimo ſuorum comitatu deduxit. Ad Pontificem admiſſus, ſacros primum pedes de more oſculatus: agere deinde de pace ſumma eloquentia cœpit, & preces etiam, quæ apud Principes, plus ratione ipſa plerumque valent, adhibuit, enixèque Alexandrum exorans, ut tandem Manfredo, qui ea jam potentia creverat, ut Orientis rebus magno Chriſtianorum damno ruentibus, opportunam ferre opem poſſet, reconciliaretur; eumque in gratiam, atque Eccleſiæ ſinum reciperet. Alexander laudato Deſpotæ conſilio, ſe libenter Manfredo tot crimina, quæ fecerat, ipſius gratia condonaturum reſpondit:

pacemque cum eodem facturum; ſi bona exulibus redderet, ac Saracenos, immanem gentem, atque Eccleſiæ hoſtes ex Italia, Siciliaque ejeceret. Id ubi Marinus Capycius, qui Deſpotam ſecutus fuerat, Manfredo ſignificavit; Hic inſita Sveviæ Domus ſuperbia, nolle ſe, inquit, illis conditionibus pacem, imo parem Saracenorum, quos ſtipendiarios habebat, ex Africa numerum accerſiturum: nec quidquam exulibus, quorum pertinaciam fovere Alexandrum, ajebat, redditurum: atque ita re infecta, Michael redivit. Manfredus ad bellum animum applicuit, cujus belli triſte prænuncium dira tempeſtas habita, magnumque populis terrorem incuſſit. IX. Kal. Jun. vehementiſſimus ex Illyrico in Italiam turbo incubuit, omnemque Apuliæ oram pene ſubvertit. Inde per Apennini tractum diffuſus, ad Picentinos uſque, ac maris Thyrrheni litora ingenti ruina deſæviit. Ea ſedata, Manfredus accepto nuncio Neapolitanos res novas moliri, foreque, ut brevi ſe Eccleſiæ dederent, Apulia relicta, *magnis itineribus* in Campaniam venit, eumque univerſæ Saracenorum copiæ ſunt ſecutæ. Hic comperto, vanum eum rumorem fuiſſe, Saracenos in Romanam ditionem immiſit, ipſe Septembri ineunte eſt inſecutus; univerſamque terrore, ac depopulatione replevit: plurimaque loca, quæ vacua præſidiis erant, vaſtavit: præda inde ingenti, & captivis abductis, unde venerat eſt reverſus. Auxerat eo tempore Manfredi res, ejuſque nomen omnibus Italicis populis terribile inſignis victoria fecerat; quam Jordanus Comes cum auxiliis, quæ ſecum tulerat, & extorribus Florentinis, ac Senenſibus ſociis ad Apertum montem de Guelfis magna ſui laude reportaverat, qua ita Guelforum factio, quæ amica Eccleſiæ erat, afflicta eſt, ut penè conciderit. Qui deinde, quod pauci ſciunt, uſus victoria, Florentiam, Guelfis ejectis, occupavit: inque Manfredi verba ejus urbis Magiſtratum jurare coëgit, Prætoreque impoſito Vidone Novello nobili Florentino, ad Manfredum triumphanti ſimilis redivit: eo ſucceſſu adeo elatus Manfredi animus, ut non amplius Pontificem, non alium quempiam Chriſtianorum Principem pertimeſceret. Ignarus ideo ſinere Deum ſuperbos efferri; ut majori deinde ruina deprimantur. Alexander tantum ex Guelforum ſtrage, amiſſæque Florentiæ dolorem concepit: tantum item mœrorem, quod captam à Græcis Conſtantinopolim, deletoſque à Scythis Polonos eodem fermè tempore nuncii attuliſſent, ut brevi confectus interierit. Non ſolæ irruunt calamitates; & ubi una cœperit, reliquæ, quaſi ex condicto ſtatim ſequuntur: & generoſiſſimi quique multitudine malorum obruuntur.

HI-

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ

LIBER DECIMUSOCTAVUS.

DUodeviceſimum Hiſtoriarum Librum aggredimur, in quo duræ dominationis finem, & Svevicæ domus fatum narrabimus. Quæ ſive ingenita genti ſuperbia; ſive nimia regnandi cupiditate (qua etſi univerſi penè mortales laborant; ſunt tamen, quos hic ſtimulus ita ſupra modum accendit, ut nihil ſanctum, nihil æquum ducant, dummodo ad dominationem aſcendant) ſive quod pietatem, qua fulciri regna ſolent, parvi fecerit; perpetua cum Eccleſia, ac Romanis Pontificibus bella geſſit; à quibus cum armis contineri in officio ejus Principes non poſſent, ſacris fulminibus perſtricti fuerunt, ideoque turbidas res domi, atque infelices foris exitus habuerunt. Imo & ipſimet mutuis ſe fraudibus circumvenerunt, eorumque dominatio gravis plerumque populis fuit: tum quod ipſi impotenter regnarent: tum quod ipſorum cauſa ab Eccleſia ſejuncti, ita vivere coacti ſunt, ac ſi fidem ejuraſſent. Poſtquam igitur Patres Alexandro juſta ſolemni pompa perſolverunt, comitium ingreſſi, de novo Pontifice creando agere cœperunt. Cum autem non una cunctorum ſententia eſſet, ad tres menſes comitia dilata ſunt. Tandem V. Kal: Octobris Jacobus Patriarcha Jeroſolymitanus, Gallus genere, patre ſutore veteramentario natus, ſed vir, &

doctrina, & prudentia inter reliquos longè conſpicuus; Pontifex eſt cooptatus, & Urbanus IV. eſt appellatus. Prima novi Pontificis cura fuit, Manfredi potentiam infringere, Eccleſiæque bona, quæ vi occupaverat, recuperare. Sacrum igitur in eum bellum indixit: cunctiſque, qui ſe cruce contra illum tanquam acerrimum Eccleſiæ hoſtem ſignaſſent, pleniſſimam omnium culparum veniam impertivit. Bello indicto, univerſi penè Guelfi arma ſumpſerunt, nomenque ſuum ſacræ expeditioni dederunt. Id ſimul ac Saraceni, qui Romanum in agrum irruperunt, pro certo cognoverunt; veriti ne hoſtili in agro multitudine circumvenirentur, illicò in Apuliam redierunt.

At Manfredus, qui Saracenorum armis confiſus omnia ſibi felicia promittebat, totum ſe eo tempore inerti otio, ac voluptatibus tradiderat: eamque vitam agere videbatur, quam Epicurus vixiſſe perhibetur. Futuri, ac divinæ ultionis immemor, præſentia tantum curare videbatur, cumque expergiſci eo fulmine, quod jam capiti detonabat, ex ſomno debuiſset, ſeque Pontifici ſubmittere, expiationem petere, ac præteritorum pœnitentiam agere, inſani more, vel potius ebrii furore, invehi in Pontificem, probra jacere, arma minari, inque cœlum ipſum efferri impotentiſſimè cœpit: quibus effectum, ut brevi ea ruina deciderit, quæ memorabilis ſecutis ſeculis, & documento fuit, ne mortales in Superos extollantur. Urbanus vir magni animi juxta, ac fortitudinis; ne manſuetudini defuiſſe, quæ Pontificum propria dos eſt, argueretur; antequam copias moveret, ac vim experiretur, Legatum Manfredo miſit, qui eum hortaretur ab Eccleſiæ terris ſtatim diſcedere, quæque occupaverat, reddere ne moraretur: ſi ſecus, confidere ſe Deo tyrannum ex Italia, Siciliaque ejecturum. Manfredus quamquam timeret, ne Urbanus natione Gallus populares ſuos in Italiam evocaret, quibus Guelforum viribus adjunctis, bellum illud dubium futurum, quod cum tot hoſtibus ſuſciperet: nihilominus ambitione, atque ira præceps animus, ſcelerumque caligine obſcuratus, non quæ ſalubriora, ſed violentiora conſilia erant, eſt ſecutus. Negavit ſe ea relicturum, quæ armis, ſuorumque virtute acquiſiverat. Interea, ut armis dolos etiam, quibus magnas ipſe res geſſerat, miniſtros adjungeret, ita cum Romanis quibuſdam egit, qui & ſuas partes ſequebantur, & multa conducti mercede erant; ut Pontificem vi, dolove caperent, vinctumque ad ſe perducerent. At CHRISTO Vicarium ſuum protegente, conjuratio impiorum hominum detecta; inque reos Majeſtatis animadverſum. Urbanus ne ſe iterum periculo exponeret, Viterbium ſeceſſit; ſacrumque iterum ibi bellum indixit. Inde ab Alexandri ſententia, qui prudenter putabat, non eſſe exteros in Italiam evocan-

can-

tandos, è ſociis brevi hoſtes evaſuros, ipſe, ut qui exterus, diſceſſit: Legatumque in Galliam miſit, qui ſacrum in ea bellum contra Manfredum indiceret. Cui cum plurimi nomen darent, juſtus intra paucos dies exercitus eſt conflatus. Duces Crucesignatorum, Vido Præſul Antiſidiorenſis, & Riccardus Comes Vindocienſis cum Roberto Flandriæ Comitis filio, Carolique Andegavenſis genero, fuerunt. Hæ copiæ in Italiam ingreſſæ attritas Guelforum partes ſublevarunt; Gibellinorum vero animos attriverunt. Manfredus, quos ad firmandam Gibellinorum factionem per totam Italiam milites diſtribuerat, ſtatim revocavit; ne dum ſocios ſervare vellet, ſe ipſum periculo objiceret, cujus vero conſilii mox pœnituit. Etenim Umbertus Pallavicinus Manfredi conſanguineus, Gibellinos, qui in Etruria, ac Romaniola erant, collegit, & Gallis obviam vadens, prælium majore fiducia, quam prudentia commiſit. In eo magna occidione deletus, Gibellinorum res omninò dejecit. Id ubi Manfredus cognovit, vehementer doluit, quod ſuos, qui eo prælio magni momenti futuri erant, panico terrore, præcipitique conſilio revocaſſet. Mox univerſo exercitu adunato, ire in Etruriam, priuſquam hoſtes, eam Provinciam occuparent, ſtatim conſtituit. Verùm antequam in Picenum veniſſet, jam eſſe in Thuſcia hoſtes intellexit. Quo cognito ſuorum conſilium habuit, eoſque ſententiam rogavit. Viſum fermè univerſis per Veſtinos in Latium irrumpere, caſtriſque apto in loco communitis, aditum hoſtibus in Campaniam, in quam profecturos credebant, pro viribus intercludere. Hanc ille ſententiam, quæ tutior videbatur, accipiens, caſtra movit: atque Apennini jugis non ſine difficultate, laboreque ſuperatis, inter Fruſinonem, & Anagniam caſtra poſuit, valloque communivit.

Per idem tempus Crucesignatorum exercitus Viterbium, uti Pontifex præoptaverat, divertit. Illum luſtrare Urbanus voluit, Duces inde complexus plurimum laudavit. Robertum Flandrum ingentis ſpei juvenem præ cæteris commendavit, ac ſingulari amoris ſignificatione proſecutus. Mox benedictione ſignis impertita, ſpe omnes accendit; utque incœptum opus perficerent, vehementer eſt adhortatus: futuros ipſos Eccleſiæ vindices, tyrannidis everſores, optatæque pacis ſatores, nec apud homines tantum, ſed apud Deum ipſum, Superoſque omnes, quorum cauſam defendendam ſuſceperant, & pro honore quorum profuſuri ſanguinem erant, immortalem gloriam, ac gratiam ſibi comparaturos. His Urbani dictis animati tanta alacritate diſceſſerunt; ut nihil niſi hoſtem, prælium, ac victoriam cogitarent. Manfredus ne quid omitteret, quo parta tueri potuiſſet, univerſis Proceribus, ac præcipuè Toparchis, ut cum armatis pro ſingulorum ratione ad caſtra

quam

quam primum venirent, intra certum tempus, edixit; qui ſecus faxit, eum pro hoſte, ac perduelle habiturus. Hi crudeliſſimi hominis edicto territi; veritique ne præſentia amitterent, futura, æternamque ſalutem nihil penſi habuerunt. Singuli igitur pro ſuæ Toparchiæ conditione equites armaverunt; inque Manfrediana caſtra ire perrexerunt.

Manfredo ad Fruſinonem ſedenti, atque hoſtem opperienti tres nobiles à Neapolitanis Legati; ut totius urbis nomine eum rogarent; ne gravaretur pacem cum Pontifice componere: tędere Neapolitanos tot jam annos Eccleſiaſtico interdicto obnoxios ſacris arceri. Siquidem nolebat Antiſtes Pontificis juſſo obtemperans ſacra à Sacerdotibus fieri. Nec æquum eſſe, ut hi, qui ab Apoſtolorum Principe fidem ſuſceperant, ſacris interdicerentur. Hæc poſtquam Andreas Fajella, Princeps Legationis ad Manfredum habuit, hic diſſimulata in præſens ira, ita reſpondit: *Si hujus belli ipſe author eſſem, & componi honeſtis conditionibus pax poſſet, hanc Neapolitanis gratiam libenter facerem, eorumque conſilium amplecterer. At quoniam me Pontifex petit, ac velut inimicum perſequitur, paternoque regno ſpoliare enititur, haud equidem grave Neapolitanis erit, ut me vindicem, meaque armis jura defendam. Ne verò ſua ipſi pietate fraudentur, CCC. Saracenos Neapolim mittam, ut Sacerdotes ad facienda ſacra armati compellant, renuenteſque remo addicant.* Tum Legati una voce exclamarunt: *Ne iſtiuſmodi homines, ſi homines, & non feræ habendi, noſtram ad urbem mittas, nullo enim modo eos populares noſtri patientur.* Id Manfredus iniquè tulit; & quamquam iræ impotens, temperavit tamen. Non enim exaſperandos illos eo tempore ducebat, quo jam hoſtis caſtra caſtris conferre moliebatur, & exitium ſuis rebus illi afferre facilè potuiſſent. Idcirco Gotifredum Neapolim ire jubet; ut rem pro ſua prudentia componat. Legatis vix dimiſſis, nunciatum hoſtem non longè abeſſe, quo nuncio, illico ad arma conclamatum, vigileſque ad caſtrorum portas aliquot equitum turmæ collocatæ. Hæc illo agente, Robertus caſtra in conſpectu Manfredianorum poſuit: ſuoſque ex itinere defatigatos curare corpora juſſit. Poſtero die ex caſtris Manfredianis duæ Saracenorum turmæ in apertum progreſſæ totidem Pontificiorum invaſerunt, atque acre inter eos prælium eſt commiſſum; cumque Gallorum magnus impetus eſſet, cedere Saraceni ceperunt, & ne effuſi terga verterent, Geſualdus Comes prohibuit, qui tribus equitum turmis in ſubſidium progreſſus, Gallos continuit; ac tandem referre pedes coëgit. Eo certamine duo, & triginta Saraceni ceciderunt; duoque Beneventani cum Philippo Carafa Comitis Falconis armigero occiſi. Manfredus ut ob rem benè geſtam Comitem co-

honeſtaret, ad cœnam adhibuit. Dum vero uterque exercitus levibus præliis præludit, Manfredus conſilium ſuorum habuit, inq; eo concilio hos interfuiſſe reperio: Caſertæ Comitem Aquinatem, Jordanum Lanciam, Agnonis Comitem è Carbonaria domo, Falconem Geſualdum, Robertum Ruffum, Bartholomeum Geſualdum, Pandulphum Aquinatem, Gulielmum ex Abella, Comitem Ventimiliam, treſque alios nobiles Siculos, quorum obſcura nomina. Eos Manfredus, cum de pugna retuliſſet, expediretne in aciem prodire, unoque prælio totius belli ſortem tentare; an ſe caſtris continere, atque hoſtem cunctando vincere, ſententiam rogavit. Viſum penè univerſis non eſſe totius belli fortunam uni certamini committendam, ſed frangendum mora hoſtem; eumque aditu prohibendum: fore ut ille exercitus, tumultuario coactus brevi difflueret. Non ſe eò veniſſe, ut cum hoſte decernant, ſed ut fines ab inſultu tueantur. Quia vero timor erat, ne hoſtes commeatus intercluderet, tutum videri ſi ipſi Lirim trajicerent, inque altera ripa caſtra communirent: inde hoſti, ne traiceret, omnibus ſe viribus opponendos. Concordem hanc cunctorum ſententiam Manfredus probavit. Et ne cunctatione, occaſionem amitteret, ſub primam vigiliam caſtra movit: tanta verò celeritate, ac ſilentio uſus; ut ne extremum quidem agmen carpere Galli quiverint. Liri tranſmiſſo, in citeriore ripa caſtra metatus, valloque præcinxit: inque ea ex univerſa Campania afferri commeatus mandavit. Antea vero quam caſtra moveret, plures ad eum nobiles viri cum armatis venerunt. Ex Apulia Juzzolinus Marra, & Gentilis de ſanguine, à quo illuſtris familia nomen obtinuit, Divi Severi fani, quod vetuſtiſſimum Daunorum oppidum, Comes. Ex Marrucinis, ac finitimis populis Andreas Ebulus, Bernardus Carbonaria, Nicolaus Montania plures ſecum equites adduxerunt. At poſtquam ad Lirim caſtra tranſducta, Moliſius Comes cum LX. equitibus venit, eumque brevi Comes Lauretanus cum pluribus nobilibus ex Caldora familia, & LX. equitibus eſt aſſecutus: nec multo poſt Conradus Aquaviva cum ſex & triginta haſtatis caſtra eſt ingreſſus. Jacobus, & Raimundus Capycii duas Neapolitanorum turmas traxerunt, aliique plurimi, quorum nomina à ſcriptoribus prætermiſſa, Manfredi copias auxerunt. Tanta nihilominus univerſos formido ceperat, ut de victoria deſperarent. Nempe non juſtum in Eccleſiam bellum gerentes conſcientia arguebat; quemadmodum enim ex æquitate fiducia, ardorque animorum excitatur; ita contrario ubi juſto ex titulo excidimus, dejectio animorum, ac timor oboritur. Galli poſtquam ab explorantibus hoſtem noctu caſtra moviſſe acceperunt, vaſis illico collectis, quadrato agmine inſecuti. Verum ut trajeciſſe jam fluvium cognoverunt, in ulteriore ripa, &

ipſi

Digitized by Google

quam primum venirent, intra certum tempus, edixit; qui ſecus faxit, cum pro hoſte, ac perduelle habiturus. Hi crudeliſſimi hominis edicto territi; veritique ne præſentia amitterent, futura, æternamque ſalutem nihil penſi habuerunt. Singuli igitur pro ſuæ Toparchiæ conditione equites armaverunt; inque Manfrediana caſtra ire perrexerunt.

Manfredo ad Fruſinonem ſedenti, atque hoſtem opperienti tres nobiles à Neapolitanis Legati; ut totius urbis nomine eum rogarent; ne gravaretur pacem cum Pontifice componere: tedere Neapolitanos tot jam annos Eccleſiaſtico interdicto obnoxios ſacris arceri. Siquidem nolebat Antiſtes Pontificis juſſo obtemperans ſacra à Sacerdotibus fieri. Nec æquum eſſe, ut hi, qui ab Apoſtolorum Principe fidem ſuſceperant, ſacris interdicerentur. Hæc poſtquam Andreas Fajella, Princeps Legationis ad Manfredum habuit, hic diſſimulata in præſens ira, ita reſpondit: *Si hujus belli ipſe author eſſem*, & componi honeſtis conditionibus pax poſſet, hanc Neapolitanis gratiam libenter facerem, eorumque conſilium amplecterer. At quoniam me Pontifex petit, ac velut inimicum perſequitur, paternoque regno ſpoliare enititur, haud equidem grave Neapolitanis erit, ut me vindicem, meaque armis jura defendam. Ne verò ſua ipſi pietate fraudentur, CCC. Saracenos Neapolim mittam, ut Sacerdotes ad facienda ſacra armati compellant, renuenteſque remo addicant. Tum Legati una voce exclamarunt: Ne iſtiuſmodi homines, ſi homines, & non feræ habendi, noſtram ad urbem mittas, nullo enim modo eos populares noſtri patientur. Id Manfredus iniquè tulit; & quamquam iræ impotens, temperavit tamen. Non enim exaſperandos illos eo tempore ducebat, quo jam hoſtis caſtra caſtris conferre moliebatur, & exitium ſuis rebus illi afferre facilè potuiſſent. Idcirco Gotifredum Neapolim ire jubet; ut rem pro ſua prudentia componat. Legatis vix dimiſſis, nunciatum hoſtem non longè abeſſe, quo nuncio, illico ad arma conclamatum, vigileſque ad caſtrorum portas aliquot equitum turmæ collocatæ. Hæc illo agente, Robertus caſtra in conſpectu Manfredianorum poſuit: ſuoſque ex itinere defatigatos curare corpora juſſit. Poſtero die ex caſtris Manfredianis duæ Saracenorum turmæ in apertum progreſſæ totidem Pontificiorum invaſerunt, atque acre inter eos prælium eſt commiſſum; cumque Gallorum magnus impetus eſſet, cedere Saraceni ceperunt, & ne effuſi terga verterent, Geſualdus Comes prohibuit, qui tribus equitum turmis in ſubſidium progreſſus, Gallos continuit; ac tandem referre pedes coëgit. Eo certamine duo, & triginta Saraceni ciciderunt; duoque Beneventani cum Philippo Carafa Comitis Falconis armigero occiſi. Manfredus ut ob rem benè geſtam Comitem co-

ho-

Digitized by Google

honeſtaret, ad cœnam adhibuit. Dum vero uterque exercitus levibus præliis præludit, Manfredus conſilium ſuorum habuit, inq; eo concilio hos interfuiſſe reperio: Caſertæ Comitem Aquinatem, Jordanum Lanciam, Agnonis Comitem è Carbonaria domo, Falconem Geſualdum, Robertum Ruffum, Bartholomeum Geſualdum, Pandulphum Aquinatem, Gulielmum ex Abella, Comitem Ventimiliam, treſque alios nobiles Siculos, quorum obſcura nomina. Eos Manfredus, cum de pugna retuliſſet, expediretne in aciem prodire, unoque prælio totius belli ſortem tentare; an ſe caſtris continere, atque hoſtem cunctando vincere, ſententiam rogavit. Viſum penè univerſis non eſſe totius belli fortunam uni certamini committendam, ſed frangendum mora hoſtem; eumque aditu prohibendum: fore ut ille exercitus, tumultuario coactus brevi difflueret. Non ſe eò veniſſe, ut cum hoſte decernant, ſed ut fines ab inſultu tueantur. Quia vero timor erat, ne hoſtes commeatus intercluderet, tutum videri ſi ipſi Lirim trajicerent, inque altera ripa caſtra communirent: inde hoſti, ne traiceret, omnibus ſe viribus opponendos. Concordem hanc cunctorum ſententiam Manfredus probavit. Et ne cunctatione, occaſionem amitteret, ſub primam vigiliam caſtra movit: tanta verò celeritate, ac ſilentio uſus; ut ne extremum quidem agmen carpere Galli quiverint. Liri tranſmiſſo, in citeriore ripa caſtra metatus, valloque præcinxit: inque ea ex univerſa Campania afferri commeatus mandavit. Antea vero quam caſtra moveret, plures ad eum nobiles viri cum armatis venerunt. Ex Apulia Juzzolinus Marra, & Gentilis de ſanguine, à quo illuſtris familia nomen obtinuit, Divi Severi fani, quod vetuſtiſſimum Daunorum oppidum, Comes. Ex Marrucinis, ac finitimis populis Andreas Ebulus, Bernardus Carbonaria, Nicolaus Montania plures ſecum equites adduxerunt. At poſtquam ad Lirim caſtra tranſducta, Moliſius Comes cum LX. equitibus venit, eumque brevi Comes Lauretanus cum pluribus nobilibus ex Caldora familia, & LX. equitibus eſt aſſecutus: nec multo poſt Conradus Aquaviva cum ſex & triginta haſtatis caſtra eſt ingreſſus. Jacobus, & Raimundus Capycii duas Neapolitanorum turmas traxerunt, aliique plurimi, quorum nomina à ſcriptoribus prætermiſſa, Manfredi copias auxerunt. Tanta nihilominus univerſos formido ceperat, ut de victoria deſperarent. Nempe non juſtum in Eccleſiam bellum gerentes conſcientia arguebat; quemadmodum enim ex æquitate fiducia, ardorque animorum excitatur; ita contrario ubi juſto ex titulo excidimus, dejectio animorum, ac timor oboritur. Galli poſtquam ab explorantibus hoſtem noctu caſtra moviſſe acceperunt, vaſis illico collectis, quadrato agmine inſecuti. Verum ut trajeciſſe jam fluvium cognoverunt, in ulteriore ripa, & ipſi

ipſi caſtra metaverunt. Dum autem Manfredus ad prohibendum hoſti tranſitum accingitur, Pontificios refixis ſubito tabernaculis, Romam verſus progreſſos, exploratores retulerunt. Cur verò ex improviſo Galli retroceſſerint, hæc cauſa traditur: Cives Romani, qui Manfredum ſequebantur, multa ab eo pecuniæ vi accepta, populum ad defectionem ſolicitarunt, tumultuque concitato, arma ſumpſerunt. Urbanus, ut eos ad officium revocaret, ſtatimq; rebellionem extingueret, Gallos, quos in Manfredum miſerat, Romam accerſivit. Romani nè à Gallis opprimerentur, Legatos ad Manfredum miſerunt, ut ad urbem ſibi ſubſidia laturus accederet. Hic haud omittendam eam occaſionem ratus, quam tāti emerat, & qua vel Pontificem ad pacem cogere potuiſset, vel ita illius vires infringere, ut timendus deinceps non eſſet; & commodum ſibi futurum ratus ſi in hoſtili agro bellum gereretur, paratum ad iter eſſe militem juſſit: velle ſe ſociis Romanis maturè opem ferre. Id ubi Dynaſtæ intellexerunt, ad Moliſii Comitis tabernaculum frequentes convenerunt: quidque in eo rerum ſtatu ſibi agendum eſſet, in medium contulerunt. Diſplicebat pleriſque illorum, quod inferenda Pontifici arma eſſent, cujus Majeſtatem venerari debuiſſent, ideoque illud apud univerſas gentes vituperabile, atque odioſum futurum, plurimumque eos belli conſcientia, quod minimè æquum rebantur, torquebat, atque ob id unam in ſententiam cuncti deſcenderunt: Renunciari Manfredo ſe ad regni tutelam, ad quam tenebantur, non verò ad gerendum contra Pontificem bellum, quod ſalva Religione non poterant, veniſſe. Hæc Manfredo renunciata, acriter animum pupugerunt, ſervire nihilominus tempori duxit, nec eos irritare, à quibus non leve detrimentum eſſet accepturus, idcirco reſpondit: Nolle ſe eos ad bellum invitos trahere: redirent domum, ſe ultro eis miſſionem, quam honeſtam tamen non cenſebat, concedere: rogare tamen ipſos, ut eam pecuniam, quam ad illius belli uſum attuliſſent, ſibi mutuam darent. Datumque Caſertano Comiti negotium. qui ita apud Proceres egit, ut illi Regis poſtulato ſatisfecerint; pecunia enim tradita, cuncti ad ſuas domos dilapſi.

Manfredus etſi valido eo præſidio nudatus, inferre nihilominus Romanis auxilia conſtituit, aſſumptoque Saracenorum, ac Germanorum robore, in Eccleſiæ ditionem movit, & primo Latium vaſtavit. Gallos inde adortus; qui fracto primo impetu, quo plurimum valent, & quod ſtipendia non ſolverentur, ita diffluere cęperant, ut non ſolum minimè timendos, ſed laceſſendos etiam ſibi Manfredus duxerit; tantumque illos fatigavit, ut repetere tandem Alpes coacti ſint.

Anno MCCLXII. Bernardinus Caracciolus, qui Neapoli Prę-

ſu-

ſulatum obtinebat, III. Nov: Octobris ſupremum diem obivit: inque ſacellum familiæ Principis Eccleſiæ magna pompa elatus, marmoreoque in tumulo conditus. Vir fuit, tum liberalibus artibus, tum medica facultate inſignis, at vigilantia, fortitudineque multo clarior. Nam ſpretis Manfredi minis, fieri ſacra, quibus Pontifex urbem cum tota Manfredi ditione interdixerat, Sacerdotes prohibuit. Qui vero inter ipſum, & Petrum Antiſtites ſacrorum fuerint, non ſatis compertum: memoratur unus tantum Bernardus, cui Innocentius IV. injunxit, ut Samuelem è Minorum familia, virum apprimè doctum, in Neocaſtrenſem Pontificem cooptaret.

Sed ut ad Urbanum revertar; hic cum videret Eccleſiæ vires non ſatis eſſe ad domandam Manfredi audaciam, nec ab Imperatore expectanda auxilia eſſe; nam in comitiis Auguſtalibus diſſidentes Germani Principes duos eodem tempore renunciaverant, Alphonſum X. Caſtellæ Regem, & Riccardum Angliæ Regis fratrem, quorum neuter eas in præſentia vires habebat, quibus in Italiam ad debellandum hoſtem trajiceret. Conradinum adoleſcentem, inexpertum, nec ſatis copiis, ac pecunia inſtructum: quin imo ſuſpectam in eo Friderici progeniem, à qua tot Eccleſia, atq; Italia damna acceperat, non immerito habebat; idcirco pendere ad populares ſuos cœpit, atque à Gallia auxilia accerſere, qui, ſi Italiam ad concordiam revocare ſtuduiſſet, habiturus domi erat. Ad id conſilii plurimi è Guelforum factione, vindictæ potius ſtimulo, quam communis boni ſtudio inſlammati, quotidie incitabant. Poſtquam igitur id jam animo præconceperat, Urbeveteri, quo in loco ſedebat, conventum indixit. Ad quem poſtquam Patres ex variis Provinciis convenerunt, in hunc modum eſt exorſus. Luctuoſum oppido, ac veſtris grave auribus futurum eſſet, Patres, ſi quæ damna Fridericus, Conradus, Manfredus, uno verbo univerſa Svevorum Principum domus in Eccleſiam intulere, ſingula referre vellem. Imo cum æque atrocia, ac nota omnibus ſint, ut quæ impetuoſi inſtar torrentis clara vaſtitatis veſtigia reliquerunt, ſupervacaneum foret ea repetere, ac percenſere. Cum morbi genus manifeſtò tenemus, medicina malo quærenda eſt, non verò qui morbus ſit, explicandum; ut interdum imperiti, ac verboſi facere medici ſolitaverunt, qui dum longa oratione contagii naturam, ac progreſſum narrant, nihil interim ſolidi ad curationem expromunt. Manfredus, quo uno petimur (nam reliquos mors ſuſtulit) ob enormia crimina, quæ edidit, proculcatam religionem, contemptam Pontificum Majeſtatem, Maumethanorum patrocinium, expilatas Eccleſias, Sacerdotes vexatos, tributum Eccleſię non perſolutum, uno verbo, ob humana, divinaque omnia violata, regno excidit: eoque in Lug-

dunenſi concilio privatus, anathemate perſtrictus, èque piorum ſocietate ſejunctus eſt. Sed quid dico regno excidit, quando nunquam illud legitimè poſſedit; ſed per fraudem patre, ac fratre occiſis, tyrannus invaſit, ac per vim occupat. Cumque ſæpius admonitus ſe ad pœnitentiam reducere debuiſſet, ac veniam præteritorum petere, furore magis, beſtiæque ritu cum ſtimulo incitatur, cædem, ac ruinam minitari, moliri, & jam jam inferre pro viribus conatur, ut jam mihi vincula, & carceres ſubire videar, & vos mecum omnes ignominia affectos vinctos rapi, ac miſerè diſcruciari. At cum ejus viribus obſiſtere nequeamus, aliunde quærenda auxilia ſunt, atque unus ex Chriſtianis Principibus eligendus, qui & viribus, & conſilio pollens nos metu, Eccleſiam periculo, populos ſervitute liberet, hoſteque debellato pacem Italiæ reſtituat. Quis igitur ad tantum opus optimus cenſeatur, vos maturè decernite. Hæc ubi Pontifex magno animi ardore, atque eloquentia verba ad Patres fecit, univerſi fermè Præſules, & hi præcipuè, qui tranſalpini erant, eligendum eum Principem cenſuerunt, qui afflictis rebus opportunum afferre remedium poſſet. Urbanus poſtquam in ſuam ſententiam tranſiſſe Patres vidit, ita ad eoſdem iterum loqui cepit: Diu mecum meditatus, quis aptior ad tantum bellum, & tam arduum foret, multoſque claros viros cum recogitarem, unus mihi animo adhæſit, quo præſens ætas meliorem non tulit. Is Carolus Andegavenſis, Ludovici Gallorum Regis germanus, qui ob geſta in Aſia contra Saracenos, ac Turcas eam ſibi gloriam comparavit, ut inter primos ſui temporis Duces numeretur. In eo tantæ divitiæ, tam ampli Principatus, tantæ affinitates, amicitiæque ſunt, ut magnum brevi exercitum ſcribere, atque armare queat, ac in ſuperbientem tot victoriis hoſtem primo tempore ducere, eumque collatis ſignis uno prælio debellare. Ideoque huic ego Siciliæ Regnum ea conditione concedendum puto; ut ſe Eccleſiæ vectigalem profiteatur, & eam pecuniam, quam reliqui Reges pendere conſueverunt, ſe quotannis ſoluturum promittat. Aſſenſere tum Patres, ac Senatus conſulto decretum Legatos ad Carolum mitti, qui ei Siciliæ Regnum deferant, ac Ducem Eccleſiæ ſalutent. Conventu dimiſſo, Simon Cardinalis Torſus Gallus, ut author eſt Villanus, ad Carolum Legatus, Fazellus Bartholomæum Pignatellum Melphiæ Gubernatorem illum fuiſſe tradit, Conſtantius Archiepiſcopum Amalphitanum Neapolitanum genere. Mihi veriſimile Pignatellum Cardinali, atque Archiepiſcopo ſocium datum; nam plures fuiſſe Legatos quidam ſcripſerunt. Pignatellum vero eum ipſum extitiſſe, qui Brunduſio à Friderico accerſitus Neapolitano in Gymnaſio Jus Canonicum eſt interpetratus, quidam memoriæ tradidit. Legati opportunum nacti tempus in Pro-

vin-

Digitized by Google

vinciam navigarunt: & tum Ludovico Rege, tum Carolo, quæ à Pontifice acceperant, expoſuerunt, & quibus conditionibus Carolo Duci Andegavenſi, Provinciæque Comiti opulentiſſima Regna offerebantur. Pignatellus, qui utriuſque Regni res optimè noverat, plurima ad impellendum Caroli animum, ut tantam expeditionem ſuſciperet, adjunxit. Terræ ubertatem, Cęli clementiam, urbium magnificentiam, populorum divitias, ſitus opportunitatem, qua commodè in Africam, atque in Græciam navigare potuiſſet, ut & Saracenos debellaret, & ruentes in Oriente Latinorum res reſtitueret, præ oculis poſuit. Populos à Svevis, ac Manfredo in primis, quorum violentam dominationem, atque impotentiam tot annos paſſi fuerant, maximè alienos, & ad excutiendum jugum promptiſſimos: nec aliud, quam Ducem, quem ſequantur, expectare. Carolus his verbis, & propria cupiditate, qua ſua quiſque ſponte ad imperium ducitur, vehementer inflammatus, conſilium cum Ludovico, & Comite Arteſiæ, Alenconiique fratribus init, de quorum ſententia ſuſcipiendum bellum, atque Eccleſiam ab hoſte vindicandam decrevit. Nec exiguus Beatrice uxor ſtimulus erat, quæ Provinciam dotis nomine Carolo attulerat. Hæc muliebri impotentia haud ferre æquo animo quibat; quod reliquæ ſorores Galliæ, Angliæ, Germaniæque Regibus nupſiſſent; ipſa cum tanta dote, regio titulo fraudaretur. Quocirca ſimul ac oblatum marito regnum cognovit, adeo eo titulo erecta, ut virum ad bellum inflammare nunquam ceſſaverit, neſciens quantam belli molem eo titulo, & poſteri ſui, & univerſa Gallia ſuſcepturi erant: ut verò exercitus conflaretur, omnem pecuniam, gemmas omnes produxit, nobiles viros, Gallię Principes virili animo adhortata, ut Carolum ad ſacrum bellum; ex quo ingentem gloriam univerſa Gallia conſecutura erat, comitarentur, opibuſque ſuis juvarent. Neo putarent eum laborem ſine lucro futurum: eſſe ampliſſimas Provincias, uberes agros, quæ victoribus cederent. Nec ſegnior Carolus expeditionem adornabat. Ex Provincia, Gallia Narbonenſi, atq; Andegavenſi ditione legi militem, arma parari, commeatus, ac naves, quibus copiæ tranſvectarentur magna cura, ac ſolicitudine comparari juſſerat.

Poſtquam Legati in Italiam reverſi ad Pontificem retulerunt, Carolum ei gratias agere, quod ad tantam rerum molem ſe Ducem elegiſſet, ampliſſimaque regna in poſſeſſionem obtuliſſet, adeo erecti Guelforum animi, tanta Urbanus lætitia affectus; ut excuſſiſſe Manfredi jugum jam ſe univerſi putarent. Extorres Neapolitani, qui apud Pontificem erant, ad ſuos ſtatim ſcripſerunt, bono animo eſſent, brevi eos una cum Carolo in armis viſuros. Quod quidem Manfredum non latuit, qui, ut parem ſe tanto bello

efficeret, ad Gibellinos Etruriæ, ac Galliæ Ciſalpinæ ſcripſit; ut & ipſi copias conſcriberent, commeatus adornarent, quibus iter Carolo in Italiam venienti intercluderent, utque ſuo conſilio, atq; authoritate res gereretur, Marchioni Pallavicino, quem ſuum Legatum dixerat, in cunctis parerent. Non minor cura domi fuit: ingentem pecuniæ vim è populis corrogavit, novos tum Saracenorum, tum Germanorum delectus habuit, loca munivit, aditus, quibus tranſmitti exercitus potuiſſent, præſidiis occupavit, validam claſſem, aſcitis Piſanorum auxiliis, earumque gentium, quibuſcum fędus percuſſerat, inſtruxit. Atque his ita præparatis haud multum ſibi à Carolo timendum ducebat, quem ſuperbus homo, diminuto vulgi more vocabulo Carlottum vocitabat, neſciens neminem in bellis contemnendum: in quibus tot, tantique caſus ſunt; ut interdum unde minus timebatur, graviora damna, ac fatales exitus oriantur.

Anno ducenteſimo ſexageſimo quarto ſupra milleſimum Auguſto menſe crinitum in cœlo ſydus ſpectatum, quod ex Oriente aſſurgens longiſſimam, ſplendidamque cæſariem in Occidentem effundebat, viſumque uſque ad Novembrem. Eo conſpecto, territæ gentes, triſtia portendi arbitrabantur. Nec defuere, qui è Caldęorum ſchola docti, exitium regnis, cędemque regibus eum Cometen apportaturum jactitarent. Gibellini Carolo, Guelfi Manfredo triſte prænuncium ſydus illud afferre, pro ſtudio partium evulgabant. Quidam Pontifici futurum fatale, eo ducti argumento dixerunt, quod ſimul ac in cœlo ſydus affulſit, tentari morbo Urbanus occęperit, quam prædictionem veram fuiſſe eventus comprobavit. Nam ea nocte, qua ſtella ſpectari deſiit, Pontifex è vivis exceſſit, quæ cauſa fuit, ut in ſequentem annum Carolus expeditionem diſtulerit; veritus ne quid à novo Pontifice novaretur. Timebat quippe, ne, ſi Italus crearetur, haud paſſurus, ut exteræ gentes ad diripiendam Italiam inducerentur. Manfredo lęta Urbani mors fuit; etenim, eo mortuo, eum turbinem, quem in ſe ille concitaverat, facile diſſari ſuis viribus poſſe ſperabat. Non hic pretermittendum duco ab religioſo hoc Pontifice feſtum Dominici Corporis magna Eccleſiæ utilitate inſtitutum: juſſumque quotãnis per univerſum terrarum orbem ſolemni ritu celebrari. Illud prior ipſe Urbeveteri magna populi ſupplicatione peregit, quo tempore D. Thomas, qui in ea urbe ſacras diſciplinas tradebat, hymnum compoſuit, eaque ſolemnitate decantatum, & jam tum in morem inductum, ut quotannis per eos dies, quibus ea feſtivitas celebratur, per totam Eccleſiam repeteretur. Occaſio, qua ſolemnitas inſtituta, hæc traditur: Volſenæ in Etruria Sacerdos quidam dum in D. Chriſtinæ pro more facit, tentari dubio cępit, eſſetne

ſetne

ſetne re vera ſub panis ſpecie Dominicum Corpus, quod ipſe ſuis manibus jam jam populo adorandum oſtendebat: mirum oppido, ſtillare ex hoſtia ubertim ſanguis occepit, lateque altare ſuperfuſum. Id Pontifex ubi reſcivit, tanto miraculo ſtupefactus afferri linteum, quo ara tegebatur, & ſanguine madidum dicebatur, præcepit, oſtentique certus publica populi ſupplicatione per totam eam urbem circumduxit: inde Principe in æde ſervandum repoſuit. Sed ad ſuſceptam narrationem revertor. Patres Peruſiæ, ubi Urbanus diem obiverat, comitia habuere, in quibus cum quidam Manfredi partibus ſtuderent, quidam vero ægrè ferrent, ab exteris gentibus Pontifices acceſſiri, non niſi ſeptimo menſe convenerunt. Tum Vido Fulcodius Narbonenſis Sabinus Antiſtes Pontifex eſt cooptatus, vir juris peritia inter primos ſui temporis, qui, cum abſens renunciatus Pontifex eſſet, ubi de electione certior factus mendici habitu aſſumpto, Peruſiam venit, unde à Cardinalibus Viterbium deductus; ibique conſecratus Clemens IV. eſt appellatus. Pontificatu vix inito, ad bellum contra Manfredum, quod jam Urbanus indixerat, animum applicuit, habitoque iterum ea de re conventu, Archiepiſcopum Amalphitanum rurſus ad Carolum legavit, ut expeditionem maturaret. Legatum tum etiam Torſum Cardinalem; eumque conditiones attuliſſe, quibus illi regnum ab Eccleſia tradebatur, Conſtantius eſt author. Carolus poſtquam conditiones admiſit, eaſque ſe ſervaturum ſacramento adſtrinxit; ſtatim ad expeditionem curas convertit. Copias in variis Galliæ locis ſcriptas in Provinciam ad luſtrationem venire: commeatus, & eam pecuniam, quam plurimam coëgerat, in naves importari: omniaque, quæ ad uſum belli erant, maturè adornari imperavit. Ipſe primò vere Pariſiis in Provinciam venit, Vidonem Monfortium Simonis Linceſtriæ Comitis, & Heleonoræ Henrici III. Angliæ Regis ſororis filium MC. equitibus præfecit, eoſque unà cum Beatrice uxore terreſtri itinere ducere Romam juſſit. Eo profecto, ipſe Maſſiliam ſe contulit; & triginta roſtratarum claſſem, quam ibi inſtruxerat, multis Gallis nobilibus comitatus conſcendit, velaque in Italiam fecit. Manfredus cum Genuenſium, ac Piſanorum auxiliis octoginta roſtratas armaverat: eaſque Liguſticum, Tyrrhenumque mare obſidere juſſerat; ut Carolo venienti occurrerent, aditumque in litora prohiberent. Et ſanè temerarium Caroli conſilium fuiſſet, ſe tam validæ claſſi objicere, niſi vaſtiſſimam ſylvam mare eſſe, in qua ſe quiſque occulere, hoſtemque evitare facilè poſſet, apprime cognoviſſet. Imo ſolitus ſuis illud identidem repetere: Fortem, ac ſolertem animum adverſæ fortunæ impetum ſuperare: nec quidquam magni ab eo effici, qui audere neſciviſſet. Plurimum præterea Numini fidebat, cujus ſe cauſam ſuſcepiſſe

piſſe profitebatur. Nec ſpe ſua falſus; nam cum non longè à Manfredianis navibus navigaret, uſus venti beneficio altum tenuit, hoſtemque vitavit. Tandem Majo exeunte, anni MCCLXV., non verò IV., ut quidam perperam ſcripſerunt, claſſe incolumi ad Tiberina oſtia delatus, milite expoſito Romam progreſſus, in quam urbem grandi honore, ac plauſu à Romanis, qui, ut fit in mutatione Fortunæ, Manfredi amicitiæ renunciaverant, eſt exceptus. Inde ne vi expreſſa ea pompa videretur, urbis Senatorem, qui ea ætate Regius Magiſtratus habebatur, annuente Clemente, creaverunt. Qui etſi Viterbii tum degeret, non tamen omni ſpe Carolum fovere, præſidiis amicorum firmare, conſilioque regere unquam prætermiſit. Quia verò equitatus, qui à Monfortio ducebatur, ob viæ difficultates, & Manfredianos, qui, aditibus occupatis, ſe venientibus oppoſuerant, tardius quam conſtitutum fuerat, moraretur, eam æſtatem nulla re geſta, *Romæ, & Viterbii* apud Pontificem Carolus inſumere eſt coactus. Quamvis non omninò inutilis ea cunctatio fuit; nam maturè qua via, & quibus inſtructum rebus in ulteriorem Italiam exercitum induceret, cum peritis locorum perpendit.

At Manfredus, qui nunquam Carolum cum exigua ea claſſe incolumem Romam venturum putaverat; poſtquam veniſſe, & Senatorem à Romanis ſalutatum, certior factus, vehementer indoluit; ſuoſque vel negligentiæ, vel perfidiæ damnavit, & quem antea contempſerat, timere cœpit. Non tamen animum deſpondit. Jordanum cum CD. haſtatis, inter quos Ajoſſa cum turma Neapolitanorum erat, in Tranſpadanos præmiſit, ut Gibellinis fœderatis, & Pallavicino junctus omni conatu ſe Monfortio opponeret. Interea ne quid domi omitteret, quo motus caveret, Petrum Toccum multæ authoritatis, ac potentiæ inter Samnites, & finitimas gentes, ne quid clam moliretur, in carcerem conjecit. Audiverat enim ab exploratoribus literas illum accepiſſe, quibus de Caroli adventu ab extorribus admonebatur. Exinde IX. Saracenorum millibus ſecum aſſumptis, in Picenum progreſſus plurima ejus tractus loca pervaſtavit, atque ingentes domum prædas abegit.

Porro Monfortius cunctis ad profectionem adornatis, Non: Juniis ex Gallia cum equitatu movit. Hos verò turmarum Duces ſecum duxiſſe comperio, Boccardum Valdemontium, Joannem fratrem, Vidonem Belluogum, Philippum Monfortium, Gulielmum, & Petrum Belmontium, Robertum Bettonam majorem natu filiorum Comitis Flandriæ Caroli generum, Gillium Brunum Flandriæ Magnum Stabuli Comitem Roberti magiſtrum, atque educatorem, Gulielmum

mum

mum Eſtendardum, Joannem Berſeluem, Caroli Ducem, Mareſcallum Franci indigetant, & Mirapiſcium Ludovici Regis Ducem. Et quamquam horum tantum Villanus meminerit, plures nihilominus nobiles Galli extiterunt, qui unà cum Carolo in Italiam profecti, quorum plerique bello abſoluto, partim Neapoli, partim aliis in urbibus, plurimis aucti donis, novi incolæ futuri remanſerunt. Clariores, præter enumeratos, hæ familiæ fuerunt: Brenna, Baro, Salia, Appia, Villa, Laureata, Diniſſiaca, Balgia, Sabrana, Baucia, Agota, Cantelmia, Scota, Arteſia, aliæque minoris famæ, quæ inter Neapolitanas admiſſæ gentiles habitæ. Ut verò ad Monfortium redeam, ductis per Burgundiam copiis, in Allobrogum fines venit; quibus ſuperatis, Alpes tranſcendit; itinerisque difficultatibus diù luctatus, Auguſtam Taurinorum devenit. Hic à Montisferrati Domino, cui tum ſubalpinæ gentes parebant, perhumaniter exceptus, & commeatu abundè inſtructus. Sequebatur hic Eccleſiæ partes, Manfredo, cujus potentiam ſuſpectam habebat, vehementer infenſus. Taurinis relictis. Mediolanum acceſſit, acceptum Mediolanenſes Parmam uſque incolumem deduxerunt. Quamquam Pallavicinus cum tribus Germanorum equitum millibus, aditus cuſtodiret, ſive Numinis conſilio factum, ut eorum adventus Manfredianos lateret; ſive, ut rumor fuit, quod Boſus Duera Cremonenſis, pecunia à Gallis corruptus, ita effecit; ut Manfrediani non ſe Monfortio opponerent. Qua re inde à Cremonenſibus, qui fędus cum Manfredo fecerant, explorata, omnem illius familiam in furorem acti deleverunt. Antequam Parmam Monfortius cum ala equitum perveniret, Vido Florentinus cum CD. Guelfis Florentia ejectis, eis ad Mantuam occurrit. Galli eo præſidio vehementer lætati, ſummo gaudio, amoriſque ſignificatione exceperunt, plurimumque mirati, quod exules, patriiſque bonis exuti, tam nobilibus equis, atque egregiis armis inſtructi eſſent. Parmæ reficiendarum virium cauſa plures dies ſubſtiterunt; ingentem Parmenſium in ſe benevolentiam experti. Parma exinde egreſſi, præſidio Italorum, quos Vido duxerat, Bononiam perrexerunt. Nam per Etruriam, quà brevius iter futurum erat, propter Gibellinorum arma, qui eam provinciam occupaverant, ire non potuerunt. Bononia relicta, per Romaniolam in Picenum juſtis itineribus pervenerunt. Ex quo inde non ſine labore, ac periculo propter vicina Manfredi arma, Romam ineunte Decembri ſumma omnium ordinum gratulatione ingreſſi. Carolus ſuos benignè complexus, plurimum Monfortii prudentiam laudavit; ut qui ea parva manu, ex tot, tantiſque armatis incolumis evaſiſſet. Singulari vero humanitate Guelfos Etruſcos, qui primi ex Italis ipſum ſecuti fuerant; & quos ei Pontifex ſummopere commendaverat,

deque

deque illorum virtute inſigne Galli teſtimonium faciebant, excepit: fidem laudavit, & futurum ſe eorum patronum ſpopondit. Sperare inde eos juſſit, quando æquum bellum ſuſcepiſſent, victoria potituros, qua & patriam, & amiſſa bona magna laude reciperent, nec ſe ipſorum virtuti confiſum de victoria dubitare; cum pauci numero tot Manfredi copias contempſiſſent. Tum Vido Thuſcorum Dux eleganti oratione Carolo gratias egit, quod tanta ſe, ſociosque ſuos benevolentia proſequeretur: cæterum id eum ſcire Etruſcos velle, ſe futuros non ſolum ſocios, ſed clientes, ac ſervos: & quæcumque mandata dediſſet, omni ope executuros: nec aliud præmium, quam patriæ libertatem, quæ miſerè à Gibellinis vexabatur, expectare.

Tum etiam Nicolaus Rogatus Patavinus Carolum ſecutus perhibetur: qui Icelini, cæteroqui affinis, à quo unà cum patre ad necem quærebatur, tyrannidem fugiens, Patavio cum lecta militum manu egreſſus, ad Caroli ſigna ſe adjunxit. Poſt verò Manfredianam cædem, in qua fortiter cum ſuis dimicaverat, cum Beneventum à victoribus diriperetur, è cœnobio S. Sophiæ D. Paulæ, quam ſuam ferebat, Lipſana clam extulit: ſacellumque D. Nicolai Myrenſis Antiſtitis, quod ad cœnobium pertinebat, ejuſque prædia cum militibus vaſtavit, qui ſacro fulmine perſtrictus, ut eo ſe crimine moriturus piaret, DD. Apoſtolorum quaſdam reliquias ei Eccleſiæ donavit: ædiculamque D. Nicolao inſtrui juſſit, annuoque cenſu locupletavit. Extat adhuc Stabiis, ubi ejus poſteri ſedem fixerunt, ſacellum, quod ex ea familia orti vetuſtiſſimo jure poſſident.

Hæc autem Carolo agente, ut ad hunc redeam, duo Cardinales à Clemente Legati, Romam venerunt, à quibus Carolus unà cum conjuge Neapolis, ac Siciliæ Rex coronatus, tanta verò ea celebritas fuit, tanta pompa peracta, Populique Romani lætitia, ut veterum Imperatorum memoriam revocaverit. Pridie Non: Jan: anni MCCLXVI., qui dies ingenti feſtivitate ab Eccleſia celebratur, quo CHRISTUS ab Orientis Regibus eſt adoratus, inauguratio facta; inque æde Lateranenſi; ubi Carolus Regalia inſignia accepit: & uno nomine ob imperitiam eorum temporum utriuſque Siciliæ Rex ſalutatus. Nunquam enim à Latinis Scriptoribus ulterior Italiæ pars, quæ ad Meridiem, & Orientem ſpectat, Sicilia appellata fuit. Etiamnum Carolum Jeroſolymorum Regem inunctum nonnulli perperam ſcripſerunt. Siquidem multo poſt eo titulo inſignitus, cum Carolo Maria Regina ſua jura conceſſit, id ipſiusmet Caroli teſtimonio conficitur: qui in eis tabulis, quas tum condidit, Siciliæ ſolum titulum uſurpavit: ſecutis inde temporibus Jeroſolymitanum adjunxit, pluresque tabulæ reperiuntur, quæ,

Sici-

Siciliæ titulum præfixum, quam quæ Jeroſolymitanum habent? Errant pariter, qui Collenucium ſecuti, duas tantum conditiones à Clemente poſitas ſe ſervaturum ſacramento Carolum obſtrinxiſſe, ſcripſerunt; illas verò has extitiſſe: ut octo & quadraginta millia aureorum Eccleſiæ tributi nomine in annos penſitaret: & ne ipſe, & ſucceſſores ſui futuris unquam temporibus Cæſares crearentur. Adeo Romanis Pontificibus odioſum Cæſarum nomen Fridericus I., & II. & quæ per eos dies inter Alphonſum, & Riccardum lis agitabatur, reddiderant; ut illud ferre in Italia non poſſent. Ad id ex eo etiam inductum Clementem fuiſſe, quidam arbitrantur, ne Germaniæ Principes ad tollendam controverſiam Carolum elegiſſent, eumque Imperii ſpe facilè ab Italia, & Manfredoniano bello animum averſurum, atque hoc pacto illi occaſionem dari tyrannidis confirmandæ. Piures igitur conditiones fuere, quas ex aurea Bulla, ut ajunt, excerptas huc inſeram.

Conditiones, quibus Neapolis, & Siciliæ Regna à Clemente IV. Carolo I. Andegavenſi Feudi titulo in poſſeſſionem tradita.

Clemens IV. Romanus Pontifex Neapolis, & Siciliæ Regna, Benevento excepto, Carolo I. Regi Franco, ejuſque poſteris tum maribus, tum feminis Feudi titulo in poſſeſſionem tradit.

Feminæ maribus extinctis ſuccedant, quibus fato ſublatis, vel ſi quid contra ſacramentum patratum ſit, regna ad Eccleſiam iterum ſuo jure redeant.

Regna dividere nullo pacto ei liceat, ſed integra, unitaque ſunto.

Eccleſiæ ſacramentum dicat; ſeque illius vectigalem futurum profiteatur.

Se Regem, aut Imperatorem Romanorum, Germanorumve inungi ne premittat: neve Galliæ Ciſalpinæ, aut Tuſciæ ditionem etſi ultrò delatam ſuſcipiat, quibus, niſi ante quatuor menſes renunciet, regno excidat.

Nunquam Romanum Imperium, Germaniæ Regnum, Tuſciam, at Tranſpadanam Provinciam occupet.

Si eum vel invitum Germaniæ Principes Ceſarem cooptent, filium natu majorem è manibus Romani Pontificis emancipet, eique regna cedat, nullumque amplius ei regnandi jus eſto.

Qui regnaturus duodeviceſimum ætatis annum exceſſerit: ſi minor Regnum ſub Eccleſiæ tutela eſto, donec ad eum annum evaſerit.

Femina, ſi, vivo Patre, Ceſari nupſerit, eoque inde defuncto, hæres ſit, Regnum non adeat: ſi eo delato nubat, regnandi jure illico excidat.

Neapolis, & Siciliæ Regna Imperio ne uniuntor.

Die Divis Petro, & Paulo dedicato, octo millia unciarum auri perſolvat, & album equum regio apparatu phaleratum Eccleſiæ offerat, quod ni præſtiterit, regnis ſpoliator.

Singulis item ſex menſibus V. millia marcharum Eccleſiæ penſitet.

Ad tuendam Romanæ Eccleſiæ ditionem, cum Pontifex juſſerit, trecentos equites omnibus armis inſtructos mittat, & ſinguli tres equos habeant: eoſque per tres menſes quotannis alat: ni forte hæc ſubſidia in navale præſidium commutentur.

De terminis Beneventanæ ditionis definiendis Romano Pontifici arbitrium eſto.

Liberum Beneventanis per univerſum regnum commeare: de propriis bonis diſponere: eorumque privilegia ſervantor.

Nihil unquam in Romanæ Eccleſiæ ditione ſibi uti proprium adjudicet: neque in ejus urbibus, aut Provinciis magiſtratum ullum exerceat.

Eccleſiis, quæ in utroque regno exiſtunt, univerſa quocumque modo ablata reſtituantur.

Eccleſiæ univerſæ, earumque Antiſtites, Præpoſitive, ſua libertate fruantur; neque Regis beneplacitum, conſiliumve petere compellantur; niſi jus Patronatus intercedat.

Eccleſiaſticorum cauſſæ apud Eccleſiaſticos Judices agantur, etiam per provocationem à Sede Apoſtolica.

Omnia, quæ contra Eccleſiaſticam libertatem à præteritis Regibus fuerunt conſtituta, reſcinduntor.

Clerici nulla ex cauſſa, aut crimine, niſi feudi jure agatur, ad ſeculare forum trahantur.

Nulli cenſus, aut onera Eccleſiis imponuntor.

Eccleſiarum ſuo Paſtore vacantium fructus Regi non cedant.

Extorres univerſi, atque Exules in patriam ex Pontificis juſſo revocentur.

Fœdus contra Eccleſiam cum nemine ineat: nec arma capiat.

Mille equites Tranſalpinos inſtructos in hoſtes Fidei ſemper habeat.

Quas omnes conditiones niſi inviolatas ſervaverit, ab accepta poſſeſſione ſtatim decidat, regnumque in Eccleſiæ poteſtate ſit.

His igitur conditionibus, tantam duorum regnorum poſſeſſionem adeptus, regioque titulo inſignitus, nihil morandum ſibi Carolus duxit; ne mora longius protracta, vel hoſtis accitis fœderatorum auxiliis validius firmaretur; vel ipſe ſegnior conceptæ de ſe ſpei detraheret. Ideoque exercitu luſtrato, in Manfredum movit, & quà expeditior via putabatur in Campaniam copias induxit. Manfredus, qui iniquo animo tulerat Gallicum equitatum, Monfortio Duce, feliciter Romam perveniſſe; nec ſuos, quos ad intercludendum iter oppoſuerat, quidquam effeciſſe, omnem in his copiis, quas ſecum habebat, ſpem ſibi ponendam duxit. Idcir-

cir-

circo poſtquam hoſtem Roma moviſſe intellexit, cuſtodire aditus, quibus intrare in Campaniam quiviſſet, omni ſolertia, diligentiaque ſtatuit. Ad Ceperani Pontem, quo facilè Carolum tranſiturum credebat, Jordanum, & affinitate, & plurimis ſibi beneficiis obſtrictum, & Caſertæ Comitem ſororis ſuæ virum, doniſque pluribus ab ſe auctum, cum valida manu poſuit: utque eum aditum omni conatu cuſtodirent, vehementer injunxit. Ad Caſſinum majorem Germanorum, atque Apulorum partem, cum Saracenis excubare juſſit; tutoque in loco caſtra communiri: ratus ſi eum aditum venienti hoſti commodum, conſervaſſet (& ob paludoſum ſolum, & arduos montes teneri facile poterat) haud facile tranſiturum. Commeatus, omnemque belli apparatum ad duos annos comparaverat: portus validis claſſibus firmaverat: nec plurima ex provinciis coacta pecunia deſiderabatur. Et ſanè ni lęva ei mens, & vindicis dextera Numinis jam pęnas exigentis, obſuiſſet; tueri ſe ab eo hoſte, cui nec commeatus, niſi in dies paucos erat, & pecunia vehementer laborabat, facili negotio poterat. Cum verò nihil, niſi ſua ipſiuſmet conſcientia, eſſet, quod timeret, Legatos ad Carolum, ut de pace, aut induciis agerent, præmiſit: quibus Carolus ſic paucis reſpondit: Ite & Lucerino Sultano (ita barbaro vocabulo Manfredum, quod Saracenis mercenariis uteretur, appellabat) hæc meo nomine renunciante: Me nihil, quam pugnam velle, qua vel ego ipſum ad inferos Manes, vel ipſe me ad Superos mittet. Legatis dimiſſis, caſtra movit, & Fruſinonem venit. Ex quo Lirim verſus ad Ceperani Pontem contendit. Jordanus, qui ad eum locum excubabat, ut Gallos adventare animadvertit, conclamari ad arma juſſit, certus omni vi pontem tueri: à quo ſi hoſtem ſubmoviſſet, ſe victoriam relaturum arbitrabatur. At Caſertanus Jordanum conveniens: Quid ni, inquit, partem copiarum tranſire permittamus, quam facile inde aggredi, ac delere poterimus? Jordanus optimum conſilium ratus, aſſenſit. Ubi verò plurimos Gallorum tranſiiſſe cognovit, eos invadere ſuos jubet. Caſertanus videns plures, quam voluiſſet, jam pontem tranſmiſiſſe, Jordanum obteſtatus ne pugnam, non ſine certo tùm periculo futuram ob Gallorum numerum, quem ipſi ſua paucitate ſuſtinere non potuiſſent, committeret. Jordanus tum & ipſe multitudinem veritus, relicto ponte ad Manfredum confugit. Caſertanus ad ſua oppida, quæ non longè erant, unà cum ſuis ſe recepit. Quidam Scriptores Caſertanum Comitem jam ſecretò ad Carolum defeciſſe, doloque uſum Jordano perſuaſiſſe, ut partem Gallorum equitum pontem tranſire fineret, indeque fugæ authorem extitiſſe, memoriæ mandarunt. Cur autem nobiliſſimus hic vir, atque inculpatæ hactenus fidei à Manfredo defecerit, hanc cauſſam tradunt. Manfredus ſoro-

Digitized by Google

ris ſuæ, quæ huic Comiti nupſerat, amore captus, repetito Græcorum Regum exemplo, vi conſtupraverat. Id adeo acerbè honeſtiſſimus vir tulit, ut licitum ſibi duxerit, ei fidem non ſervare, qui ſibi, ſororique fregiſſet: cumque ex eo etiam excuſant; quod cum Pontifex Manfredum non ſolum regno ſpoliaſſet, ſed à piorum pariter communione ſejunxiſſet, ſubditoſque univerſos ſacramento abſolviſſet, non illi dedecori, ſed religioni vertendum, quod devotum diris tyrannum reliquiſſet. Atque ob id immerito, inquiunt, Collenucius, homo plus felis, ac veneni, quàm hiſtoricæ veritatis habens, illum proditionis arguit: quo crimine noſtros ſæpe onerat, aſſerens haud credibile adeò inhumanum, ac voluptuoſum Manfredum extitiſſe, ut ſororem nobilis viri, atque amici ſui conjugem vi compreſſerit. At quid magis vero ſimilius, quam eum, qui Patrem ſuffocaverat, fratrem veneno ſuſtulerat, eodemque nepotem aggreſſus, regnoque ſpoliaverat: *qui Pontificem vel barbaris gentibus venerandum contempſerat*, ſacra violaverat; quique voluptuosè cum concubinis volutabatur, ſororem etiam vitiaſſe? Ipſe certiſſimo ductus argumento exiſtimo Caſertanum non prius ad Carolum acceſſiſſe, quam deletus cum omnibus copiis Manfredus fuit; nam ſi tum ab eo deſciviſset, non iterum ad illum cum ſuis dimicaturus acceſſiſſet: & tamen certum apud Scriptores, Caſertanum in acie contra Carolum decertaſſe. Verum hæc illi diligentius perquirant, quibus iſta rimari eſt otium.

Carolus præter ſpem eo ponte, à quo vel exigua manu arceri potuiſſet, exercitu feliciter tranſmiſſo, Aquinum vetuſtum oppidum proceſſit. Aquinates veriti ne extrema paterentur, ratique ſuos à ponte cum ſtrage fugatos, ſtatim ſe Carolo dediderunt. Aquino in poteſtatem redacto, Arcim, oppidum & ſitu, & præſidio munitum eſt aggreſſus. Cum verò præſidiarios pro mœnibus armatos ſtare, nec Aquinatium exemplum ſequi, victoriſque clementiam experiri velle cognoviſſet, invadi muros jubet. Acerrimum diu certamen fuit, tandem ſuperantibus Gallis, oppidum vi captum, ac direptum. Caſtra exinde Caſſinum promovit: ducens ſi eam urbem, quam egregiè hoſtis muniverat, vi, deditione ve cepiſſet, univerſam mox ſe Campaniam occupaturum. Caſtris in conſpectu oppidi poſitis, ad aggreſſionem ſe accinxit. Cis Lirim in ipſo Campaniæ aditu, ubi Volſci, antiquiſſima gens, priſcis temporibus habitabat, altiſſimus mons eſt, qui ex Apennino deſcendens, plurimiſque vallibus interciſus Circęis jugis conjungitur, quæ Tyrrhenum in mare ſupra Cajetam irrumpunt. In edito vertice Caſſinas monaſterium toto orbe celeberrimum, magnifico ſtructu poſitum eſt. Ad radicem montis, quà hic ad Orientem ſpectat, oppidum ſedet, Caſſinum veteribus dictum; D. Germani fanum novi appella-

runt,

runt, & ſitu, & propugnaculis ea tempeſtate validiſſimum. Ampliſſimus circum campus, & rivulis, & paludibus interſectus, ſoli ubertate nulli Italiæ poſt Campanum ſecundus. In oppido mille equites, peditum V. millia omni armorum genere inſtructi præſidio erant: ſagittarii Saracenorum lectiſſimi inter eos numerabantur, commeatus ad longam obſidionem tolerandam largiſſimi. His freti oppidani, nihili Gallorum exercitum faciebant. Ut verò quantam in armis fiduciam haberent, hoſtibus oſtentarent, jis, qui extra muros ad præter labentem rivum aquatum equos ducebant, ut probris Gallos laceſſerent, præceperunt. Hi ex oppoſita fluvi ripa Gallos aquatores nacti, plurima in eos probra exonerabant. Contra Galli in Manfredum, & ſuos invecti convicia jacere non omittebant. Eò res venit, ut à verbis, ac jurgiis ad manus iretur. Qui caſtris ſedebant, arbitrati hoſtem eruptionem feciſſe, ad arma concurrere, globoque facto, magno in aquatores impetu irruperunt. Hi per anguſtam portam ſe in urbem recipientes, aditum hoſti præbuerunt, qui unà cum aquatoribus ingreſſi acrem cum jis, qui portam tuebantur, pugnam conſerverunt. Primi, qui arma ceperant, Vademonius, ejuſque frater fuere: qui, etſi reliqui, qui eos raptim ſecuti erant vel occiſi, vel vulnerati ferè omnes, ipſi fortiter dimicantes hoſtem porta expulerunt. In murum inde evadentes ſignum explicuerunt. Vido cum ſuis Florentinis proximè ſecutus tam acriter in Manfredonianos invectus, ut brevi illos fugaverit; liberumque in urbem aditum Gallis aperuit. Præſidiarii, ut hoſtile ſignum in muris conſpexerunt, captum jam oppidum rati, cuneo facto per averſam portam evaſerunt. Captum Galli oppidum diripuerunt. IV. Id: Feb: Caſſinum in Gallorum poteſtatem venit. Qui quidem dies memorabilis Carolo fuit: quo inſperato eventu validiſſimum munimentum, quod ſuas vires frangere, nedum morari poterat, nullo labore ſubegit. Plurimum ad eam victoriam Carolo juvit, quod præcedente nocte inter Chriſtianos, ac Saracenos jurgium extiterat; in eo enim cum plures Saracenorum cecidiſſent, hi ignominia, & ſuorum cæde irritati, primi, relicto oppidò, terga verterunt, atque ab his cepta fuga, quibus ſummopere Manfredus confidebat. Carolus gratiis Deo pro tam inſigni victoria peractis, aliquot ibi dies, ut defatigatum militem reficeret, utque certa de hoſte cognoſceret, eſt moratus.

At Manfredus, qui munitiſſimo eo in oppido ſpem omnem ejus belli collocaverat, ubi uno die captum, & tanta ſuorum ſtrage audivit, vehementer perturbatus, adverſamque jam ſibi parari Fortunam intellexit. Putaverat ſagaciſſimus homo; bellique ſcientiſſimus nunquam Carolum ulterius progreſſurum; niſi eo munimento in poteſtatem redacto: ne tam validum retro præſidium relin-

linque.... Dum igitur oppugnando oppido moras duceret, fore ut commeatus deficeret, cujus defectu, & anni intemperie urgente, ab obſidione recederet. Interea ſuas ipſe vires novis Saracenorum ſupplementis, quæ ex Africa accerſiverat, & Apulorum, Brutiorum, Siculorumque auxiliis, quæ propediem expectabat, augere plurimum potuiſſet. Verum multi in bello caſus accidunt, qui prudentiſſima Ducum conſilia evertunt: & Deus, quem tot ſceleribus præcipuum ſibi hoſtem comparaverat, quæcumque ipſe ſagaciter machinatus fuerat, diſſlare, ac perdere uno nutu quibat. Auctus inde dolor, ac perturbatio, cum ſuorum reliquiæ ad caſtra pervenerunt. Verùm timore in præſens diſſimulato, Proceres in concilium accivit; & quid, Caſſino jam capto, ſibi è re agendum, rogavit. Calvanus Lancia, Jordanus Comes, Bartholomeus Geſualdus, Beneventum jis copiis, quas habebant, petendum eſſe; eaque in urbe & ſitu, & munimentis valida Gallorum impetum ſuſtinere, & ſi expedire ibi viſum fuiſſet, pugnam hoſti offerre, ſin minus illi aditum prohibere, ne in Apuliam, vel Neapolitanum agrum exercitum induceret; tutumque præterea videri in omnem belli eventum ſe in Apuliam recipere: ubi viribus novo delectu reparatis, rurſus in aciem prodire, ac bellum trahere potuiſſent. Quæ ſententia cum ab omnibus probaretur, libenter eam Manfredus eſt amplexus. Colligi igitur vaſa juſſit, ſignoque profectionis dato, caſtra Beneventum movit.

Porro Carolus, ut Beneventum ſe hoſtem recepiſse ab exploratoribus cognovit, veritus, ne Benevento in Apuliam, ut & bellum longius traheretur, & ſuorum copiis auctus, validiſque ejus provinciæ arcibus tutus fortius obſiſteret, è veſtigio petiiſset, eum illicò inſequendum ſibi duxit. Præſidio Caſinate in arce relicto, Beneventum ire pergit. At non iter per Campaniam, & Capuam habuit; ne ſi turres ad Vulturni pontem inſtructas ſuperare nequiret, retro cedere cogeretur. Nam vadari eo tempore, quo maximè excreverat, amnis nullo modo poterat, neque ipſe materiam ad pontem faciendum in promptu habebat. Idcirco ad Tulivernam Vulturno tranſmiſſo, per Alliphas, ac difficiles montes, quos ſi vel modico præſidio Manfredus occupaſset, facilè illum repuliſſet, magno labore, ac defatigatione in Beneventanam vallem deſcendit, ſecundoque ab urbe lapide ad Calorem amnem caſtra poſuit. Manfredus, quem jam vindex Numinis ira præcipitem ferebat, ubi Gallos in conſpectu urbis caſtra metari vidit, eos confeſtim aggredi conſtituit; ducens tanto, ac tam difficili itinere defatigatos, integris ſuorum viribus nullo negotio oppreſſurum. At prudentiores maturo conſilio lentè feſtinandum cenſebant; eoſque hoſtes, qui plurimum primo impetu valerent, patientia frangendos.

Nec

Nec expedire in dubios belli caſus duorum regnorum ſortem committere, nec eum exercitum periculo exponere, quo cæſo nihil ſpei ad ſalutem reſtabat: hoſtem plurimos in via equos amiſiſſe, rerum omnium inopia peſſimè acceptos, ut plerique herbis, toto eo itinere veſci coacti fuerint, & quid facilius, quàm fame jam victos unius, vel alterius diei patientia omnino delere? Præterea cum majoribus pugnare viribus, ac majore ſecuritate victoriæ poſſent, nec in aciem prodire ulla præſenti neceſſitate cogerentur, ſtultum, ac temerarium eſſe fortunam tentare: brevi ex Pelignis Conradum Antiochenum cum valida manu venturum: ex Calabria Fridericum, Vintimiliam ex Sicilia cum earum gentium lectiſſima juventute in dies expectari: quibus de ſumma rerum majore ſecuritate victoriæ decerneret. At nullus conſilio locus, cum aliter fato decretum eſt: & quem punire vult Deus, ei mentem adimit, ne ſalubriora conſilia ſequatur. Sua igitur opinione ductus, copias Manfredus eduxit; amneque tranſmiſſo, in eo loco, cui Petræ ad roſetum vulgus nomen indidit, ſuorum agmen explicuit, inque tres illud acies diviſit, in prima Germanos, quibus plurimum fidebat, locavit. Erant MCC. equites ſub Calvano Duce: in ſecundâ Gibellinos Etruſcos, ac Ciſalpinos, Germanoſque M. equites inſtruxit, eoſq; ductandos Jordano dedit. In tertia, quam ipſe ducturus erat, M. & CD. equites Apulos, ac Saracenos, pluribus ſtipendiis emeritos ſtare juſſit. Hos magna peditum multitudo ſequebatur; quorum plerique ſagittarii lectiſſimi. Poſtquam ordines inſtruxit, milites hortatus, ut eam virtutem, quam ſæpius oſtenderant, in eo diſcrimine, fortes exprømerent, nec ſinerent, ut quam tot palmis gloriam acquiſiverant, uno eo certamine turpiter amitterent; cum hoſte defatigato, ac pene enervi rem eſſe, quem aggredi vincere erat: curarent, ut qua ipſi eſſent fortitudine Galli diſcerent, ſuamque temeritatem damnarent. Reputarent etiam animo una ea pugna confici bellum poſſe; victoriæque præmium perpetuam pacem, ac poſſeſſionem Italiæ futuram: divitias ingentes, atque immortalem laudem conſecuturos.

Carolus, ut in apertum aciem Manfredum eduxiſſe, pugnæq; poteſtatem facere animadvertit, conſilium cum ſuis init, cenſerentne è veſtigio dimicare, an in ſequentem diem certamen differre? Univerſi fermè Proceres expectandum cenſebant; ut & equi tanto itinere defatigati reficerentur; & ipſi etiam milites, qui vix eo die paſti fuerant, unius noctis quiete, majores ad dimicandum vires capeſſerent. Unus tamen Ægidius Brunus certandum illico ducebat, ne ea cunctatione animos inimici ſumerent, & ne ſi illi mutato conſilio, ſe oppido tenuiſſent, ipſi commeatus inopia, quo maximè laborabant, vel unde venerant, ingenti periculo redire

co-

cogerentur, vel fame enecti incruentam hoſti victoriam concedere. Quod ſi pugnam reliqui detrectarent, ſinerent ſe unà cum Roberto ſuo, & quos ducebat, pugnæ aleam ſubire: confidere ſe Superis, quorum cauſam tuebantur, victoriam ab eo, quem ſacro fulmine Eccleſia percuſſerat, reportaturum. Carolus hujus fiduciam, ac virtutem admiratus; ratuſque divini aliquid ineſſe, quo victoria ſponderetur, illius ſententiam ſequi maluit; nihilque cunctatus aciem ſuorum inſtruxit. Primo agmine M. equites Gallos Ducibus Philippo Monfortio, & Mirapaſcio collocavit. Secundo MDCCC. equites Provinciales, Romanos, & Campanos (erant hi Neapolitani exules, quorum Dux Rogerius Sanſeverinius) explicuit, inque duas cohortes totum illud agmen diviſit. Unam ipſe ductandam ſuſcepit, ſignumque in ea Gulielmus Eſtendardus gerebat: alteram Vidoni Monfortio attribuit. Tertio MCC. Gallos, Flandros, ac Burgundiones poſuit, illudque Roberto, & Ægidio ducere permiſit. Præter hos ala erat CD. equitum, quos Vido cognomento Guerra ex Etruria adduxerat. Nobiles omnes, atque ex præcipuis familiis, quos eo rerum articulo Equites Carolus creavit. Alæ ſignum Conradus à Monte magno geſtabat: in eo Aquila rubri coloris in nivea areola appicta, quæ rubrum capite lilium, viridem inter ungues ſerpentem tenebat, quod ſignum pro virtutis merito tam egregiis viris Clemens Pontifex gerendum conceſſerat. Iſtam præ cæteris inſignem equitum alam Manfredus ò longè conſpicatus, quinam eſſent? rogavit, cumque eos Guelfos Etruſcos, quidam è ſuis eos eſſe, reſpondiſſet; acriter ingemuit: Et ubi ſunt, inquit, qui meum latus Gibellini ſtipent; pro quorum ſalute tot homines amiſi, tantam pecuniam effudi? Illi certo vincent, quæcumque belli futura ſors ſit; qui tam fidam ſuo Duci operam præſtiterunt; nam eos in amicitiam admiſſurus erat, ſi victoria potitus fuiſset. Carolus acie ordinata ſuos his verbis allocutus: Venit jam dies, fortiſſimi commilitones, quem vehementiſſime expetiſtis. Ipſemet hoſtis, quam ardentiſſimè cupiebatis, occaſionem ultro obtulit, votiſque veſtris obſecundavit; ut jam nihil omnino ſit, quod veſtra deſideria impleri vetet, atque animorum impetum retardet. Unum tantum ſupereſt, ut vota nunc factis comprobetis, & conceptam de vobis opinionem vincatis. Hic campus eſt, in quo, qui ceciderint, ampliorem victoriam, æterna præmia conſequentur. Pro Eccleſia, ac Fide contra Saracenos, Saracenorumque Ducem, ac fautorem pugnatis, quocirca pugnæ præmium perpetua felicitas, imo & ipſe erit rerum omnium fator Deus. Ideoque fortunatiorem me putabo, ſi tam juſto certamine, & tam æqua cauſa, in acie occumbam. Ita vobiſcum ſtatuite, aut terrena, ac fluxa, aut cæleſti, æternaque vos hodiè victoria potituros. Ita fiet ut tanta, ac tam

certa

certa ſpe animati, pedem nemo referet, nam ſive vincamus armis, ſive moriamur, nemo ſine palma, nemo ſine victoria ab hoc campo diſcedet. Hac Caroli oratione ſumma in cunctis alacritas excitata, ingens animorum ardor; & nec contineri amplius quibant, vix tantum temporis Pontificius Legatus obtinuit, quo univerſos piaculis expiaret, ac pleniſſimam culparum omnium indulgentiam imperttiret. Signo dein dato, magno utrinque concurſu initum certamen eſt. Et quamquam Aretinus Gallos primùm in Manfredianos irrupiſſe ſcripſerit, tamen re vera Germani Calvano Duce in Andegavenſes impetum primi fecerunt. Et tam atrox ea pugna fuit, ut plurimi utrimque caderent; cumque vehementius Germani urgerent, validiſque ictibus ferirent, Galli impetum non ſuſtinentes, paulatim referre pedem occeperunt. Id Carolus animadvertens, non ſecundum hoſtium agmen invadendum, ſed ſuis ſubſidio accurrendum ſibi duxit, ratus ſi illud, in quo ſpem omnem locaverat, vinceretur, haud multum in reliquis ſperandum. Guelfi ubi conſeruiſſe manus Carolum aſpexerunt, illico ſecuti, tantoq; ardore certamen iniverunt, ut brevi pugna reintegrata, nutanteſque firmati fuerint. Tum Jordanus ſecundam aciem movit: & Ægidio, Robertoque Flandro occurrit: commiſſumque prælium eſt, in qua ſumma virtute, conſtantiaque ab utriſque pugnatum, diuque uti atrox, ita anceps dimicatio fuit. Piccardi magna prædarum cupiditate irruebant, non enſes, non ictus pertimeſcentes; quemque occidiſſent, ſtatim ſpoliis exuebant. Emicuit tamen inter cæteros Guelforum virtus, qui Regem ſecuti inter confertos hoſtium cuneos audaciſſimi penetrabant. Nec minor eorum Neapolitanorum ardor erat, qui à Manfredo vertere ſolum juſſi, ad Pontificem confugerant, eorumque Duces Rogerius Sanſeverinius, & Pandulphus Faſanella, qui pro recuperanda patria, ac paternis bonis, ſupra homines dimicabant, ingentem hoſtium ſtragem edebant. Ita ut Italorum virtuti ejus diei victoriam aſcribendam nemo negaverit. Nempe Italiæ fatum erat, ut diſcordium ſuorummet armis exteris gentibus in poſſeſſionem traderetur. Inter Provinciales Jacobum Cantelmum emicuiſſe, inſignemque in eo certamine virtutem edidiſſe, Galli ſcriptores tradunt. Dum verò atrociſſimum certamen arderet, quidam author, Carolum equo dejectum, rumoremque inter ſuos ſparſum, ſato occidiſse, memoriæ tradit. At brevi erectum magna voce exclamaſſe; Urgete, viri, hoſtemque fortiter ferite, qua voce Andegavenſes confirmati, vehementiſſimo Germanos, ac Tranſpadanos impetu aggreſſi, loco moverunt. Manfredus ſimul ac laborare ſecundam aciem vidit, ſuos hortatus, ut ſequerentur, & nutantem ipſi ſuorum aciem ſua virtute ſuſtinerent, pugnamque in integrum reſti-

tuerent: ipſis honorem victoriæ reſervari. Verum hi cum adverſam jam Manfredo fortunam viderent;nec ſuâ illi cæde profuturos; quin potius ſuas familias, ſua bona, quæ plurima poſſidebant; everſuros, præſenti cedendum ſorti judicarunt,quin etiam conſcientia ducti, quod inimicum Eccleſiæ ſequerentur, ſe ſtatim ex acie ſubduxerunt. Horum Duces fuerunt Manfredus Bovetta Ærarii Præfectus, Acerrarum, & Caſertæ Comites, his quidam Calvanum etiam adjungunt. Ex iſtis alii Beneventum, alii Marſos, ac Pelignos petierunt. Manfredus cum paucis relictus, tum demum didicit haud multum jis fidendum eſſe, qui amittendorum bonorum metu, facilè ad eam ſe partem vertunt, ad quam pendere fortunam vident. Non tamen ipſe perterritus, ſed eum animum, quem fortem ſæpe oſtenderat, recolligens, in medios hoſtes audaciſſimus invehitur. At prius quam in ultimum ſe diſcrimen conjiceret, illud memorabile accidiſſe tradunt: dum capiti galeam aptat, Aquila ex argento ficta, quæ pro cono erat, è caſſide decidit, quo caſu vehementer perturbatus, ad reliquos, qui ei adhuc adhærebant: Hoc ſignum, inquit, Dei eſt, nam conum iſtum ita meis ipſe manibus galeæ inſerui; ut nullatenus, niſi miraculo excidere potuiſſet. Atq; hæc dicens, ubi ardentiſſima pugna erat, equum calcaribus incitavit, & quemcumque obviam habuit, aut occidit, aut vulneravit. Cedentibus deinde ſuis, qui validè ab hoſtibus premebantur, pluribus ipſe ictibus cæſus interiit. Quidam a Piccardo ſcutifero occiſum tradiderunt, qui cum haſta equo oculum eruiſſet, hic præ vulneris dolore erectus ſeſſorem excuſſit, quem circumfuſi hoſtes pluribus mox ictibus confecerunt, armiſque, & veſtibus ſpoliatum nudum in campo reliquerunt. Eo occiſo in fugam ſe reliqui dederunt, proximumque Beneventum petierunt: eorum tamen plurimi ab Andegavenſibus, qui effuſis retro habenis ſequebantur, ſunt comprehenſi. Tanta verò fugientium multitudo fuit, inque ipſa Beneventi porta ſe mutuò impedientium, ut victores unà cum victis urbem ingrederentur. Tum Beneventanus Præſul, ac Sacerdotes univerſi ſolemni ſupplicatione obviam victoribus veniunt, veniam civibus, qui Pontificiæ ditionis erant, vique à Manfredo oppreſſi, poſtulantes. At Galli victoria efferati, prædarumque cupiditate accenſi, inter primos Antiſtitem ipſum, ac Sacerdotes male exceperunt: urbemque univerſam excurrentes prædis, incendiis, ac ſtupris impleverunt. Non à matronis, non à ſacris virginibus, vel in ipſis triviis abſtinuerunt: quo facto non ſe vindices Eccleſiæ, non ſacros milites oſtenderunt, & Carolus, uti in Aquilanis Annalibus Cirillus eſt author, crudus, & inhumanus eſt habitus. Verum quis à militari licentia modum exigat, & tum maximè, cum multo ſanguine victoria eſt parta? Siquidem

ea

ea victoria, uti dubia principio Gallis, ita cruentiſſima fuit, pluribusque viri fortes deſiderati, quamquam certum eorum numerum non inveniam. Manfredianorum magna cædes, pluresque capti, inter quos Jordanus Comes, & Petrus Humbertus Florentinus, quos Carolus in Provinciam miſit, & crudeliſſimè necavit. Ex Germanis, & Apulis, quos in Italia cuſtodiendos retinuit: & quibus veniam, inde & libertatem largitus, hos notatos reperio: Manfredum Jordani fratrem, Bartholomæum Geſualdum unà cum germano, Bonifacium Malettam, Gulielmum Groſtum Provincialem, Albertum, & Stephanum Tartarum, Marinum, & Jacobum Capycium, alioſque minus celebres. Unus vir nobilis juxta ac fortis Conradus Capycius evaſit, atque in Siciliam ſe recepit, cui certè tum Carolus minimè pepercisset. Siquidem unus hic ex decem fuerat, qui Manfredo juraverant ſe Carolum occiſuros, qui omnes unà cum Manfredo, Conrado excepto, fortiſſimè dimicantes occubuerunt. Quid verò de Manfredo factum eſset, nondum Carolus cognoverat. Quidam occiſum ferebant, alii fuga ſe ſubduxiſse, quæ cura non parum Caroli animum ſolicitabat. Inquiri igitur diligentiſſimò juſſit, ſi fortè inter mortuos inveniretur. Quia verò argentea Aquila regium Svevorum inſigne prodigio exciderat, nec ipſe iterum galeæ aptaverat, ſponte ſe eo honore exuens, quem jam eripere fortuna moliebatur, ejus cadaver tres totos dies conquiſitum, in tanta occiſorum ſtruę minimè reperiebatur. Tandem à viliſſimo homuncione manifeſtis ex ſignis inventum, aſino tranſverſim impoſitum, quidam tradunt, inque urbem ab agaſone, identidem alta voce clamitante, quis vili Manfredum emat? tranſportatum, idque cum nobilis Apulus conſpexiſſet, ira accenſus pluribus hominem verberibus oneraſse. Alii, quod ſimilius eſt vero, & à pluribus ſcriptum invenio, hac occaſione inventum perhibent. Piccardus, à quo Manfredum equo excuſſum meminimus, cum eum equum, cui oculum ipſe eruerat, per urbem circumferret; illum Manfredianum eſse plurimi cognoverunt. Quo ad Carolum delato, acciri hic militem juſſit, & unde eum equum habuiſset, rogavit. Qui cum modum, locumque indicaſset, eo certi homines miſſi, ut ibi Manfredum requirerent; inventumque ibi cadaver, & luto, & ſanguine ſordidum lavarunt, & ad Carolum adduxerunt; ejuſque juſſu coram captis Proceribus collocatum, ſingulique interrogati eſsetne illud Manfredi corpus? cum autem frigidè quidam reſponderent, Jordanus Comes (Collenucius, hunc Bartholomæum fuiſse tradit) ut Manfredum vidit, vultum pugnis tundens, altumque gemens in eum irruit, arctèque complexus: Heu mi domine, heu inquit, quam luctuoſam, quam acerbam ſcenam video. Quis te, domine, tam bonum,

Digitized by Google

tam ſapientem ita crudeliter occidit? Tu vas prudentiæ, ac ſcientiarum eras, tu honor militiæ, tu Regum gloria. O utinam ad manus mihi ferrum eſſet,quo mortem cōſciſcerem; ut quemadmodum miſeriarum, ita funeris ſocius eſſem. Corpuſque jam pene fetidum tenens, vix ab eo tandem divelli potuit. Qua ille amoris, officiique ſignificatione magnam ſibi apud ipſoſmet hoſtes laudem comparavit, qui maximam captivi hominis erga Regem ſuum jam mortuum fidem vehementer admirati, ſummoperè laudaverunt. Carolum inde Proceres Galli adiverunt, eumque, ut humari defunctum ſineret, rogaverunt, quibus ille: Facerem, inquit, ni religione tenerer; vetat enim hæc à piorum ſocietate ſejunctis ſacrum ad humandum locum concedi. Etenim, & Regi,& forti bellatori ſepulchri honorem non inviderem. Ne verò inhumatum jaceret, juxta Beneventi pontem Calori impoſitum foſſa occludi juſſit, in quam ſinguli milites ſaxum injecerunt, ex quibus lapideus tumulus effectus. Conſentinus inde Antiſtes ex eo loco cadaver Pontificis juſſu effodit, atque extra Beneventanum agrum aſportatum, ad Viridis fluvii ripas tumulavit, ut in ſuo Poëmate Dantes ſcriptum reliquit. Atque hic finis Manfredi fuit, qui cum regnum parricidio invaſiſſet, vique contra Eccleſiæ jura retinuiſſet, perque omne ſcelus audaciſſimè excurriſſet, à ſuis tandem deſertus, acieque victus vitam infelici exitu terminavit, ejuſque cadaver ludibrio expoſitum, indignumque habitum, ut ſacro in loco ſepeliretur. Cujus memorabili exemplo diſcent Principes haud ſtabiles ſine religione, pietateque Principatus eſſe; nec regna ſcelere parta diu duratura; eorumque miſerabiles futuros exitus, qui Eccleſiam, Sacerdoteſq; contemptui habuiſſent. Cæterum Manfredi, ſuorumque cædes Prid: Kal: Martias contigit, anni MCCLXVII., poſtquam regnaſſet annos IX., & menſes VI. ex quo à Siculis Panormi Rex ſalutatus, ab obitu verò Conradi annos XIII. Geminas uxores habuit, Beatricem Mœſiæ Ducis filiam; quæ prius Saluciarum Marchioni nupſerat. Ex ea Conſtantiam ſuſcepit, quam Petro Aragonio copulavit. Secundam Helenam Epiri, Ætoliæque Deſpota genitam, quæ illi Beatricem, & duos mares genuit: quorum unus deceſſit, alter patris nomine appellatus, qui una cum matre in Lucullanum caſtrum à victore incluſi lacrymabili fato vitam finivere. Beatrice à Carolo II. Conſtantiæ ſorori eſt reddita; cum hic navali prælio captus ab Aragonenſibus fuit. Manfredus aſpectu pulcher, ac venuſto ore fuit, cui flava Cæſaries non exiguum decus addebat, doctrinis, & præcipuè Philoſophia egregiè inſtructus; inque Ariſtotelis libris verſatiſſimus, natura comis, atque affabilis, magni animi, corporiſque viribus inſignis, calliditate æquè, ac liberalitate ſingularis. Riccobaldus ingenio, liberalitate, ac beneficentia il-

lum

Digitized by Google

lum Tito comparavit: at vitia de induſtria præteriit, quæ Villanus enumerat, patrique ſimillimum fuiſſe ſcripſit: atque Epicuri vitam vixiſſe, nullumque libidinum genus extitiſſe, in quo non ad ſatietatem volutaretur. Hiſtrionibus ſæpe operam dabat, atque inter concubinas, atque exoletos frequenter verſabatur. Romanos Pontifices vehementer odio perſecutus, Sacerdoteſque impotenter vexavit; Eccleſiarumque bona, etſi ditiſſimus occupavit. Siquidem Friderici patris, ac Conradi fratris theſauris potitus, atque opulentiſſima regna poſſedit, ideoque minimè mirum ſit tot bella ſuſceperit, tot claſses inſtruxerit, tot exercitus aluerit, totque per Italiam amicitias coluerit, totque in Gibellinis urbibus copias ad earum præſidium ſtipendiarias habuerit. Manfredoniam urbem ædificavit, arceque, & mœnibus communivit. Portum Salernitanum ad earum navium commoditatem, quæ in magnis nundinis mercimoniorum cauſa plurimæ conveniebant, inſtrui juſſit: eique operi perficiendo Joannem Prochytam civem Salernitanum, qui ei à conſiliis erat, (quidam medicum fuiſſe imperitè ſcripſerunt) præpoſuit. At ingens opus, & futurum percommodum propter ingruentia bella neutiquam abſolutum, quodque ædificatum jam fuerat, Pęſtani ſinus violentiſſimæ procellæ, atque æſtuantis pelagi violentia, ita diſiecere, ut vix pauca quædam veſtigia superſint. Extat etiam marmor cum inſcriptione operis, quod ex litore erutum Auguſtinus Guarna Salernitanus veterum monumentorum ſtudioſus in majori Eccleſia repoſuit.

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ

LIBER DECIMUSNONUS.

SVevis extinctis, qui jam indigenæ noſtro cœlo conſueſcere cœperant; diuque duraturi, ſi concordiam Italæ gentes inire voluiſſent; & ſuis ipſi ſe terminis modeſtius continuiſſent, Andegavenſes, Carolo Duce, ſucceſſerunt, cujus uti lęta principia, ita lacrymabiles exitus fuerunt; ut pro inſigni viciſſitudinis rerum humanarum exemplo illum Reges univerſi intueri poſſint; ne ſecundis nimium credant, neve præſentis Fortunæ proſperitate extollantur; quando mutari momento vices, caſuq; inſperato queunt; atque ex magnitudine ſecundorum eventuum in infelices ſucceſſus delabi: nec quidquam ſtabile mortalibus eſſe, quorum, uti natura, ita & caduca ſors eſt. Enim verò ſi Caroli exordia intueamur, nemo certę eo fortunatior, ac glorioſior fuit; & ſi illis poſtrema reſpondiſſent, futurus fęlicitatis exemplum, quod cum admiratione, æquò ac gaudio inſpicere poſteri potuiſſent. Etenim conjugis dote nobiliſſimis provinciis auctus, egregiiſque in Aſia geſtis illuſtris ad nobiliſſimorum regnorum poſſeſſionem ab amico Pontifice invitatus, inter tot arma, ac Manfredi propugnacula, tot claſſes, ac fęderatarum urbium conatus incolumis ipſe in Italiam navigavit: & terreſtri itinere ſui Romam ſalvi pervenerunt. In urbe quondam

dam

dam terrarum orbis domina, cunctarumque gentium victrice, incredibili plauſu exceptus, ac Senator urbis ab jis ipſis eſt ſalutatus, qui paulo ante Manfredi amicitiam affectabant. Exinde in Manfredum movens militare ſibi Superos apertè vidit; adeo inſperatæ victoriæ, proſperique eventus ſecuti. Quo una acie victo, opulentiſſima ulterioris Italiæ, & Siciliæ regna, quæ libertatem vindicare facile potuiſſent, nullo ei negotio ceſſerunt. Jeroſolymitani Regni glorioſum titulum adeptus, Africam vectigalem habuit: Florentinorum tutelam, & Guelforum totius Italiæ patrocinium obtinuit, Regias affinitates cum Græcis, ac Pannonicis Regibus contraxit, ditionemque plurimam in illis provinciis conſecutus. Fortiſſimum Conradini exercitum, & Germanorum vires fregit, ac profligavit, hoſtium Ducibus captis, & extinctis. Ad Orientis Imperium jam jam ſibi gradum faciebat, ut priſcorum Cæſarum gloriam, ac dominationem æmulus conſequeretur. Cum ex tanta magnitudine rerum, ex eo gloriæ faſtigio, ingentique futuri ſpe, non labi paulatim, ſed præcipiti caſu ruere eſt viſus, ſive quia nimia ſeveritate, ac ſuperbia corruperat ipſe Fortunam ſuam; ſive quia hæc nimiæ ſatietatis perteſa vultum averterit. Etenim unius proditoris arte Siculi defecerunt, atque amiſſa Sicilia eſt: tanta vero ſuorum cæde, quos conjuratorum ferrum uno omnes momento abſtulit, ut nondum poſt tot ſecula illam vel vindicaverint ſui, vel concoxerint. Eo caſu reliquæ gentes motæ, vix in officio contentæ, tributa Africæ non amplius accepit, fractæ vires, naves perditæ: & ipſe à Petro Aragonio quam turpiter illuſus, conjux, & unus filiorum fato ſublati, alter navali prælio victus, atq; in captivitatem abductus, quibus rebus adeo perterritus; ut humili Superos prece exoraret; ut quando eis viſum ipſum è majeſtatis faſtigio dejicere; lapſus per gradus fierent, non verò ſubitanei, ac præcipites eſſent. Atque hiſce calamitatibus oppreſſus, cum ſummam juvenis gloriam paraviſset, ſenex inglorius, obſcuroque in oppido fato conceſſit. Idcirco inter miſeros illum Principes Boccacius repoſuit. Quæ quidem mala (nam quiſque ſuæ artifex Fortunæ eſt) ipſe ſibi magna ex parte Carolus creavit; ut qui nimium rigidus, atque inexorabilis fuerit; ut non immerito crudus, atque inhumanus audiverit: quo gentes ab ſe alienavit, in victos ſupramodum ſæviit, victoriiſque impotenter uſus: ſuæ ſententiæ pertinax, quod magna ſuarum ærumnarum pars fuit. Sed jam hiſtoriæ filum retexam.

Carolus, Manfredo cum omnibus copiis deleto, Beneventoq; eodem victoriæ impetu capto, ac direpto, Neapolim movit: & caſtra ad Acerras eodem die poſuit. Inde propior urbi factus, ad eum locum, quem Salicem populares vocant, obviam nobiles una

cum

cum populo habuit, eique Franciſcus Loffredus urbis claves his verbis obtulit: Quando te Superi, Rex invicte, Eccleſiæ vindicem, noſtræ aſſertorem libertatis conſtituerunt; ſingularique hactenus benevolentia complexi ſunt, atque inſigni palma cohoneſtarunt, Neapolitanus Ordo, ac Populus te Regem, ac victorem ſalutant; & has tibi urbis ſuæ claves offerunt, ut libertatem, quam armatus aſſeruiſti, pacatus cuſtodias; Deumque precantur, ut quemadmodum ſua providentia te ad hanc diem tot inter caſus, ac pericula incolumen ſervavit, ita in poſterum quam diutiſſime ſervet. Nec tibi tantum, ſed ſibi etiam gratulatur noſtra Neapolis, quod te Regem ſortita, cujus fortitudine, ac ſapientia omnem merito ſibi felicitatem auguratur, ærumnaſque, quas perpeſſi ſumus, mala, quæ toleravimus, tua præſentia evanuerunt, mœroremq; preteritorum tua victoria deterſimus:& ſi benignè noſtrum obſequium dignaberis, omnem conſecuti felicitatem ſumus. *Carolum* eum dicentem humaniſſimè audivit; ut verò finem dicendi fecit, equum aſcendere, ac tenere latus imperavit. Marcheſius nobilis ſcriptor, Petrum Pignatellum claves Regi obtuliſſe memoriæ mandavit:duodeviginti nobiles, qui tum urbem adminiſtrabant, ad Carolum Legatos, Conſtantius eſt author. Verum cum notus Carolo Loffredus eſſet; ut qui in Aſia ſub Ludovico Rege unà cum ipſo Carolo militaverat, Gallicique ſermonis, quo orationem habuiſſe perhibetur, ſciens, facile inducor, ut credam præ cæteris ad id muneris delectum à Neapolitanis fuiſſe, quod & Apulus eorum temporum ſcriptor in ſuis commentariis poſteritati mandavit.

Urbem magno Procerum comitatu per Capuanam portam ingreſſus, grandi honore exceptus, lætaque populi acclamatione Princeps ſalutatus. Subinde eo plauſu vehementer lætatus unà cum Conſentino Antiſtite ad Principem ædem recta contendit; ut nimirum Regem Regum adoraret, proque accepta victoria, atque iis beneficiis, quibus abundè cumulatus fuerat, gratias perſolveret. Quo vero ordine urbem intraverit, idem author in iiſdem commentariis conſignavit: CD. equites, tum armis, tum veſtibus inſignes, præeuntem Regem ſequebantur, qui nobili equo, regioque cultu phalerato, inſignis & ipſe, totuſque gemmis renidens inſidebat. Eos equites, qui & cono, & galea altius eminebant, Friſiorum turma non minori cultu præfulgens inſequebatur. Sexaginta exin Galli Proceres aureis torquibus, ac pretioſis lapillis ornatiſſimi Reginam præcedebant, quæ regio curru oloſerico criſpo, ac ceruleo, auratiſque liliis interdiſtincto, circumtecto; quatuorq; albis equis ſuperbè phaleratis vehebatur. Retro innumerus pene populus veniebat. Poſtquam Principe in æde gratias Deo Carolus perſolvit, Franciſcus Loffredus totius urbis nomine rogavit, ut vin-

ctos,

ctos, qui in arce cuſtodiebantur, libertate donaret; non enim æquum eſſe, ut in tanta lætitia, ac celebritate, illi ſoli dolerent. Annuit petitioni Carolus: ſtatimque univerſi, qui à Manfredo incluſi in carcerem fuerant, emiſſi, qui vinculis ſoluti Carolo arcem ſubeunti, oſculaturi pedes, gratiaſque acturi occurrerunt.

Poſtea verò quam Carolus in arcem conſcendit, inventum ibi Manfredi theſaurum, univerſum afferri juſſit, inque tapetis humi extenſis imponi imperavit. Illum ex auro Manfredus confecerat, ac ſollicitè cuſtodiebat; quo ſi bene uſus ad bellum fuiſſet, neque ipſe fortaſſe victus, neque hic in victoris prædam ceſſiſſet. Sed vitio mortalium factum, ut partis divitiis quam pauci opportunè fruantur. Theſauro in medium expoſito, afferri Trutinam jubet, ſimulque Beltramo Baucio partiendi negotium dat. Beltramus, Non opus, inquit, Rex, trutina; inque tres partes pede diſtribuit: & una, inquit, tua Rex eſto, Reginæ altera: Tertia tuorum Procerum tuo ſit munere. Id cum Carolo placuiſſet, ad eum modum diviſio eſt facta. Ob egregiam iſtam partitionem Abellini Comitatum Baucio ab Rege datum quidam ſcripſerunt. Verum in Ærarii tabellis Simonem Manfortium eo titulo inſignitum invenio. Illo extincto, ad Baucium eam Toparchiam perveniſſe: quod & Ammiratus diligens author ſcriptum reliquit. Multis inde diebus hilaritati, lætitiæque conceſſis, eos, quos bello ceperat, liberos dimiſit, & pleriſque eorum reddi ea bona, atque oppida, quæ ſub Manfredo habuiſſent, imperavit. Qui ſub ſe militaverant, cum præmio, ac laude domum remiſit, plurimaſque illi gratias pro fide, ac fortitudine, quam erga ſe oſtenderant, habere non eſt dedignatus. Capuanum caſtrum, quia Germanico more fabricatum, non ei arridebat, ideoque novam arcem juxta mare in eo loco, ubi noſtra ætate viſitur, Gallico ritu extruxit. Ædem Virgini ſacram una cum Franciſcanorum cœnobio ibi poſitam aliò transferri, ſuiſq; ædificari ſumptibus juſſit. In colle, qui non longè à portu aſſurgebat, eſt inſtructa; & nova pariter nuncupata. Olim in eo colle ingens turris ad ſubjecti portus tutelam eminebat; eaque in ſecunda urbis amplificatione ſub Adriano Cæſare excitata perhibetur, qui non longe Fanum ædificaverat, quod Conſtantini ætate Chriſtiano ritu expiatum D. Joanni conſecratum eſt. Novum caſtrum uti ſtructu magnificum, ita firmiſſimum eo tempore, quo nondum fulminalia, & nova expugnandarum arcium ars inventa fuerat, eſt habitum. Secutis inde temporibus ab aliis Regibus amplificatum, atque exornatum eſt, noviſque etiam propugnaculis communitum. Non procul turrim pariter, ad navium tutamen inſtruxit, quæ ab ædicula D. Vincentii, eo loco poſita, nomen apud vulgus popularium obtinuit.

Interea Sibilla Manfredi conjux unà cum liberis,fuſique exercitus reliquiis Luceriam confugerat, Saracenorumque præſidio confiſa aliquam adhuc dominationis ſpeciem retinebat. Id ubi Carolus accepit, Philippum Monfortium unà cum exercitu in Apuliam miſit, ut eam urbem expugnaret. Hic magnis itineribus in Daunios, per Hirpinos, ac Samnium progreſſus caſtra ad Luceriam poſuit, eamque corona capere conatus, fortiter ab obſeſſis repulſus;cumque iterum ſuos in aggreſſionem miſiſſet,fortiſſimos quoſq; illorum amiſit. Ne igitur militem tot præliis clarum, in unius urbis oppugnatione majori damno, quàm lucro perderet, eam fame capere conſtituit, poſitiſque circum caſtellis, ac præſidio firmatis, ne ſubſidia in urbem inducerentur, vel ſubita eruptione hoſtes egreſſi vicina loca depopularentur, ſpectator potius, quam actor ſedit. Verum tanta obſeſſorum conſtantia, tanta furtim, vel aperta vi commeatus intromiſſi, ut vix poſt victum acie Conradinum obtineri potuerit; tum enim omni ſpe, ac commeatu deſtituti ſe dediderunt. Ipſe dum hæc agerentur, componendis Etruriæ, ac Romaniolæ rebus duos annos inſumpſit: ut ſcilicet ea Italiæ parte pacata, ſociiſque potentia auctis, tutior ab externa vi foret. Siquidem continuus eum timor ſollicitabat, ne Germani, Conradino Duce, ad repetendam armis Siciliam venirent. Clemens, ut majorem Carolo authoritatem conciliaret, Romani Imperii Vicarium in Italia creavit; cum enim interregnum eſſet, ipſe, uti Leo III. fecerat, curam Imperii ſuſcipiendam ſibi duxit.

Quibus ex cauſis, opportunius ſibi Carolus futurum ratus ad res Imperii in Italia ordinandas, continendoſque in officio populos, atque ad eam ditionem adminiſtrandam, quam ampliſſimam in Galliis obtinebat, ſi in Italia reſideret; idcirco Neapoli Regnorum ſedem locavit: ita enim fieri, ut commodè è propinquo tum Romæ, Italiæque, tum Galliæ provideret: quod difficile admodum præſtitiſset, ſi in ultimum Siciliæ angulum, in quo reliqui Reges, qui ab ea inſula regnum auſpicati, degere conſueverant, ſe conjeciſset. Quod & Manfredus in animo habuiſse viſus, qui ferme ſemper Italiam Siciliæ præpoſuerat. Neapolim igitur amborum regnorum caput conſtituit, ſoliumque in ea collocavit, quæ potiſſima cauſa fuit, cur Sicilienſes ab eo alienati, alio deinde prætextu defecerint. Hoc igitur conſilio ſumpto mœnia inſtaurare,novis turribus communire ſedulo incubuit. Arces etiam novis operibus firmavit; ut ab hoſtium vi ſecurior civitas eſſet. Non minor illius cura fuit ſe adverſus civium potentiam ad omnem eventum munire. Cum igitur in adminiſtranda Republica Ordinem, & Populum ſumma inter ſe concordia cõvenire animadverteret; ex quo uti magna toti urbi, bonoque publico utilitas proveniebat, ita ſibi haud ex-

expedire arbitrabatur. Etenim quodcumque ipſe voluiſſet, quod in ſuum potius, quam commune commodum cederet, ab iis minimè probabatur, qui tum ex nobilium cœtu, tum ex plebis numero præpoſiti regimini erant. Idcirco conſueta Principum arte dividere eos ſtatuit. Hac de re dum Bonſillium, qui ei à conſiliis erat, interrogaſſet, illo vulgari Politicorum effato reſpondiſſe ferunt: nimirum, Divide, & impera. Quam ſententiam plerumque noxiam, paciſque deletricem ſecutus civicam Curiam, in quam ad publica negotia cives conveniebant, & in qua ea ætate, qua in Reipublicæ formam adminiſtrabatur, Magiſtratus degebant, hoc prætextu ſuſtulit. Finxit ſe eo tempore, quo cum Manfredo acie conflixit, ædem D. Laurentio voviſſe, ſi potitus victoria fuiſſet: velle nunc ſe ea religione exſolvere, votamque ędem excitare; & par eſſe, ut eo loco, qui pulchrior in urbe duceretur, fanum poneretur. Cum vero palatium, in quod ipſi ad publica negotia veniebant, dignius conſeretur; idcirco ut religioſior locus eſſet, velle ſe in ſacram ædem commutare. Neapolitani etſi optimè intelligerent, quò Principis non tam votum, quam commentum ſpectaret; qui ſuo commodo ſervire Religionem, non ſe ea liberare volebat, quia tamen adhuc extra pomęrium exercitus erat, & obligati Carolo videbantur, quod ipſorum urbem amplificaſſet, duorumque nobiliſſimorum Regnorum, plurimarumque Provinciarum, Regiam, ac Principem ſtatuiſſet, facilè aſſenſerunt. Dirui igitur vetus Curia, ædeſque ædificari eſt cœpta. Ne vero omni loco carerent juxta ædem, & Campanariam Turrim attributa eſt ſedes: ubi cives publica negotia, quæ ad annonam, aliaque, quæ civilis juris ſunt, congregati agerent. Curia exciſa, publicæ libertatis monumentum ſublatum eſt; Nobileſque à Plebe diviſi. Quantum inde detrimentum ea diviſio, tum publicæ utilitati, tum privato ſingulorum commodo attuliſſet, cum ſerò tandem intelligerent, inter Ordinem, & Populum diſſidium eſt ortum: dum uterque in alterum cauſam rejiceret. Ex quo illud effectum, quod maximè Carolus volebat, Populum nimirum ab Ordine diſceſſiſſe. Id ubi Rex obtinuit ab ædis ædificatione ceſſavit, quo oſtendit, ſe non exui, ſed indui religione voluiſſe. Religioſior Carolus filius, qui inceptum à Patre templum, atque inde intermiſſum abſolvit; ejuſque peccata emendans, religione liberavit.

At non cõtentus Carolus Ordinem à Plebe ſejunxiſſe, Ordinem ipſum, qui in duas claſſes, Capuanos, & Nilenſes dividebatur, latius diſtraxit, claſſeſque alias quatuor adjunxit, Montanos, Forcellenſes, Portuenſes, & Portæ novanos: locaque, in quæ congregabantur, ſedilia veteri vocabulo appellata; ibi enim ſedere Nobiles viri earum claſſium ſoliti erant, publicaque negotia pertra-

ſtabant. Id ut facilius executioni mandaret, præcipuos ex populo, ac ditiores elegit; eoſque nobilitate donatos in eas claſſes adoptavit, ut eo ſibi beneficio obſtricti, in ſuam ſententiam pedariorum more facilius deſcenderent. Atque ob id pariter Nobiles Gallos, qui ſecum venerant, iiſdem claſſibus eo titulo, qui honoris præ ſe ſpeciem gerebat, aſſignavit: ut nimirum Nobilitatem, Ordinemque Neapolitanum, ut regiæ urbi conveniebat, latius augerent. Quamvis verò de ſedilium origine, quibus aſcripti nobiles, alii aliter ſcripſerint, nihilominus hactenus relata magis communia, ac pro certis habentur. Id autem eo Carolus conſilio fecit, ut ab his tanquam à popularibus ſuis, quidquid in illis ageretur, ſtatim cognoſceret, quod & Aragonenſium tempore pariter factitatum accepimus. Atque in hunc modum civitatis regimine ordinato, Neapolis, quæ olim maritimæ Campaniæ, uti mediterraneæ Capua, præſidebat, totius Ulterioris *Italiæ*, quæ ab ipſa Neapolitanum Regnum minoribus appellatum, ac Sicilienſis caput, ac domina evaſit: inque ea haberi conventus cęperunt, qui in variis prius locis celebrabantur. Primus autem, ac magnus anno ducenteſimo octogeſimo octavo ſupra milleſimum grandi pompa celebratus, cęperuntque Comites, ac Toparchę, nobileſque plurimi Neapolim ad inhabitandum convenire, atque iſto modo aucta Nobilitas ſummopere à populo ſejuncta; neque amplius paſſi, ut ad ſedilia, quæ Plateæ etiam, uti noſtra ætate communius appellantur, plebs ad publica negotia conveniret. Qua membrorum diſiunctione, ac diſcordia animorum ſuſtineri Principum Majeſtatem, foverique pacem poſſe, privato quamvis civium incommodo, neſcio an rectè, exiſtimaverint.

Per id tempus tot Proceribus, ac Toparchis aucta nobilitas, ut ad altiorem ſe gradum evectam arbitraretur. Quia verò pleriq; illorum Equites erant, univerſi etiamnum nobiles equites nuncupati: quo honore Neapolitanam nobilitatem ſupra reliquas extulerunt, quaſi verò Equites ipſi naſcerentur; quando reliqui tam illuſtri titulo, vel à Pontifice, vel à Cæſare, vel etiam à Regibus ob illuſtria facta donabantur. Qua verò celebritate noſtris ab Regibus nobiles, vel ii, qui ſuis virtutibus, quę præcipua nobilitas, ſibi nobilitatem peperiſſent, equeſtri ordini aſcriberentur, hoc loco referre, haud ingratum legentibus reor: & ut hi, qui hoc titulo gloriantur, quid ab ipſis illius jure exigatur, probè intelligant. Siquidem adeo ignavi quidam ſunt, qui titulum illum jactitant, ut ſe illo indignos turpiſſimis moribus, quibus plerumque vivunt, efficiant. Dies in primis, quo honor iſte conferendus in aliquem erat, dicebatur, eoque affulgente, Principe in æde theatrum inſtruebatur, ſeu verius pegma; in quod is, qui eum honorem pe-

te-

tebat, deducebatur, ibique argentea in ſede viridi oloſerico exornata, collocabatur. Exin ab eo petebatur, an ſanus corpore, atq; integer eſſet, & præſtaret ne viribus, quibus egregiam pugnando operam navaret: ille ſe verum dicere profeſſus, integrum ſe, ac robuſtum, patientemque laboris aſſerebat, atque id ipſum rogati teſtes comprobare tenebantur. Subinde Antiſtes Diaconi veſtem intus, unàque cum Provincialibus Epiſcopis divinum codicem apertum præferens ad nobilem virum accedebat: ibique coram Rege, ac Proceribus, hæc fermè verba pronunciabat: Vir nobilis, qui equeſtri ordini adnumerari poſtulas, per hæc ſacroſancta Evangelia jura, ac vove nunquam te arma in Regem, qui te cingulo donat, illaturum; niſi cum tuo Rege, dominove fueris, cui parere tenearis: tum enim inſigne, quo te nunc cohoneſtat, ei reddes; ut ſic religione ſolutus arma rite induas: nec te quiſpiam vel ingrati animi, vel perduellionis damnabit; ſi ſecus infamiæ notam non effugies, belliqueque jure captus, capitis reus eris. Jura inſuper te omni ope, ac opera virgines, viduas, pupillos defenſurum: idemque pro conjugatis facturum, ſi tuam illi opem poſtulabunt, inque aciem pro illorum ſalute proditurum: dummodo & æqua ſint poſtulata, & juſta belli cauſa. Id poſtquam ille, ſacrum codicem deoſculatus, ſe facturum ſacramento obſtrinxiſſet, duo Equites ſeniores illum lacerto apprehenſo ad Regem ducebant, qui enſem humero, capitive his verbis imponebat: Optimum te Deus Equitem faciat. Septem mox Reginæ pediſſèquę niveis amictæ veſtibus procedebant, ac propiores viro factæ enſem Equiti aptabant. Quo lateri accomodato, aliquot ex primoribus equites aurea ocreis calcaria alligabant. Quibus adnexis, Regina dextrum lacertum, ſiniſtrum præcipuę matronarum apprendebant, atque hoc modo Equitem in elegantiorem alteram, ditioremque ſedem deducebant. Reliqui Proceres, ac matronæ tribus infra ſolium gradibus circumfuſi ſtabant. Tandem bellaria omnis generis, anquiſitique ſaporis afferebantur, & pro cujuſque conditione diſtribuebantur, atque iſto modo ea ſolemnitas finiebatur. Quem morem creandorum Equitum à Carolo inſtitutum reliqui Reges ſervaverunt.

Neapoli Regia conſtituta, ab ea Ulterior omnis Italia, ſive ea ditio, quam Normanni primi, Svevi exin Reges tenuerunt, Neapolitanum Regnum eſt appellata, quod cum dimidiam fermè Italiæ partem occupet, unum ex præcipuis Europæ regnis eſt habitum. Ejus fines ab Occidente, ultra Lirim, ac Truentum amnes, Latium, Umbria, Picenum, quæ Pontificiæ ditionis partes ſunt. Ad Septentrionem Superum mare, quod & Adriaticum ſinum veteres nuncupaverunt. A Meridie inferum, ſeu Tyrrhenum ab Oriente Jonium eſt, quo à Græcia diſcluditur. Ejus longitudo à Truenti

oſtiis

oſtiis ad Rheginum Promontorium CCCXL. millia paſſuum complectitur, à Fundis verò ad extremũ Japygiæ terminum, Leucadem dictum CCXL. millia paſſuum interſunt. Latitudo major ab Atheneo, quod & Minervæ Promontorium latinè dicimus, ad ultimam Gargani oram CXX. millia paſſuum continet: minima vero in Calabriæ iſthmo à Lameti oſtio ad Scyllaceum ſinum vix ad XL. extenditur. Ambitus variè definitur, quidam MCDLX. paſſuum millia; alii, quibuſcum ſentio, MDCC. illum complecti arbitrantur. In eo Nobiliſſimę Provinciæ Apulia, Samnium, Campania, Lucania, Magna Græcia. Populi celeberrimi æquè, atque opulenti Veſtini, Frentani, Marrucini, Peligni, Marſi, Volſci, Auſones, Picentini, Hirpini, Meſſapii, Salentini, Brutii, aliique plurimi: quorum tantę olim opes, tanta potentia, ut ſi Romam excipias, reliquam Italiam facilè ſuperaverint. Neque enim ante Romanum Imperium ulla Italiæ pars tantum floruit, quam *hæc Ulterior*. In qua Capua Imperii ęmula, Nola, *Calatia*, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Samnites populi *belliçoſiſſimi*, ac ditiſſimi, qui aureas primi veſtes induxerunt. Reſpublicæ potentiſſimæ Rhegium, Tarentum, *Sybaris*, Crotona, Locri, Metapontum, quorum omnium populorum clariſſima domi, militiæque geſta Veterum annales memorię tradiderunt. Quocirca jure, meritoque feciſſe Carolus videtur, ſi tantam ditionem, quæ prius Apuliæ, & Calabrię ducatus titulo circumſcribebatur, ampliorem inde aliarum acceſſione gentium, Regnum conſtituerit: & in ea urbe, quæ ſitus opportunitate, divitiis, numeroque civium, ac dignitate, jam ſupra reliquas eminebat, ejus regni ſedem collocaverit, Neapolitanumq; ab illa nuncupaverit. In qua etſi Prętor, & Judices eſſent, qui de controverſiis cognoſcerent, tribunalia inſtituit, & Magnam Curiam vocavit; utque ab ea, quam Fridericus inſtituerat, diſtingueretur, Vicariam dixit: eo quod in illa Carolum filium Salerni Principem Vicarium conſtituit: quin etiam leges, quas plurimas tulit, utq; à Normannicis, ac Svevicis, quæ conſtitutiones appellatæ, diſcernerentur, Capitula dici maluit.

Carolus poſtquam novam urbis formam, ac regimen ordinavit, in reliquas Provincias, ac Siciliam curas intendit. Novos in ea pręfectos, qui ius dicerent, miſit, pręſidia in arcibus collocavit, claſſes refecit; nec quidquam eorum omiſit, quæ ad pacem conſervandam, regendoſque populos opportuna, utiliaque ducebantur. Deinde Carolo filio Neapoli Vicario dicundi juris cauſa relicto, ipſe ad conveniendum Pontificem Romam progreſſus. Turrianos Mediolanenſium Legatos, qui ad eum confugerant, ſecum duxit; authorque fuit, ut illis Senatus ſine cunctatione daretur; atque æquis auribus à Patribus audirentur, totamque eam ęſtatem res

Pon-

Pontificis, ac Florentinorum mirificè fovit, omnibuſque conatibus adhibitis auxit. Id Gibellini indignè ferentes, utqui apertiſſimi Pontificis hoſtes, Guelfiſque infenſiſſimi eſſent, Legatos in Germaniam miſerunt, ut Conradinum Conradi Regis filium, ac Friderici Cęſaris nepotem, in Italiam contra Carolum evocarent. Per eoſdem dies Aquilani, qui coacti à Manfredo fuerant inceptam urbem evertere, ad Carolum Legatos miſerunt, ut urbem ſuam novo Regno preſidium juxta, atque ornamentum futuram ædificari permitteret. Idque ut à novo Rege facilius impetrarent, Pontificem adivere, magniſque illum precibus rogavere, ut pro ipſis apud Carolum, qui ad oſtia Tiberina jam applicuerat, interceſſor exiſteret. Qua de re cum Clemens Carolum rogaſſet, ſtatim impetravit. Id eo facilius Carolus permiſit, quod æmulorum inſtigatione, qui eam urbem haud utilem rebus ſuis futuram ducebant, excitari Manfredus immeritò vetverat. Cœpta igitur urbs ēxtrui, ampliſſimoque murorum ambitu præcingi. Quod ſimul ac ęmuli cognoverunt, iterum apud Carolum inſtiterunt, magnamq; pecuniam polliciti ſi eam urbem ædificari prohibuiſſet. Aquilani eam pecunię ſummam viritim coactam Carolo obtulerunt, qua ille iterum eſt impulſus, ut extrui Aquilam permitteret. Inſtructa urbs ſatis magnificè, ut inter Italas non ultimo loco ſit adnumerata. Ea vero pecunia donativi nomine data, quod & primum Regibus à populo donativum datum fuiſſe perhibetur. Aquilani Principis gratiam aucupati; cumque fidam deinde operam contra Conradinum pręſtitiſſent, humaniter ab eodem ſemper ſunt habiti. At Carolus Neapolim reverſus Conradum Antiochiæ olim Principem, ac Manfredi nepotem quędam in Sicilia oppida occupaſſe accepit. Ne igitur malum latius gliſceret, Monfortium, & Eltendardum cum copiis ad illum oppugnandum trajicere Meſſanam juſſit. Conradus impares ſibi vires eſſe animadvertens, quibus bellum traheret; nec ſpem proximi ſubſidii affulgere, prudenti conſilio uſus, æquis ſe conditionibus Carolo tradidit: nimirum, ut quando Antiochiam amiſiſſet, ſineret ſe ea oppida, ut reliqui Proceres, poſſidere: ſe Caroli ſubditum, ac vectigalem futurum. Quas conditiones ubi Carolus ratas habuit (nam æqua poſtulabantur) compoſita pax eſt. Interea Balduinus Orientis Imperator, comperta Manfredi cęde, victoremque Carolum Regem Sicilię ſalutatum, Legatos ad eum miſit, qui de victoria gratularentur; eumq; rogarent, ut unam ex natis, quas habebat, filio ſuo Philippo Theſſaliæ Regi deſponderet: ſibique contra Græcos, à quibus Conſtantinopoli ejectus, inque Gręciæ angulo incluſus vix Imperatoris nomen obtinebat, auxilia ferret, quod & ipſi glorioſum, & Romanæ Eccleſiæ utile futurum erat. Carolus, qui præſenti elatus

for-

Digitized by Google

fortuna, jam animo Orientem devorabat, ratus ex eo conjugio oriri titulum poſſe, quo arma in Orientem transferret, Balduino annuit: Philippoque filiam nuptui dedit. Quo audito, Peloponneſiacus Deſpotes, qui Gallico ex ſanguine erat, & verebatur, ne ſi Græci animos ſumpſiſſent, eo ſe principatu exuerent, ad Carolum præcipuum ex ſuis virum legavit: qui & de victoria gratularetur, & filiam ſuam Philippo ſecundo ex Caroli natis in conjugem offerret. Noverat enim Carolum natu majorem Mariam Stephani Pannonici Regis filiam duxiſſe. Neque id Carolo grave fuit: arbitratus iis nuptiis augeri fortunam domus, noviſque regnis illuſtriorem, ac potentiorem fieri. Verum pactis jam nuptiis, Philippus dum baliſtam nimium intendit, arcum difrupit, ictuque vulneratus: creſcenteque in dies dolore, magno Patris luctu interiit. Nempe nihil diu firmum, lętumque mortalibus eſt: cumque minus timetur, graviores in caſus incidimus. Carolus eam rem in religionem vertens triſtia ſibi impendere, non vanus omnino vates eſt ominatus; jamque fortunam, quam ſua ipſe aſperitate corruperat, vices mutare intellexit.

Anno MCCLXVII., qui ſecundus regni recurrebat, Carolus junior Salernitanus Princeps magno comitatu Apuliam, ac finitimas Provincias perluſtravit. Quacumque pertranſibat, ſumma populos benignitate, atque affabilitate complectebatur, itaut mitiorem in illo futuram indolem univerſi intelligerent. Tanta vero prudentia ea, quę ad regni adminiſtrationem à patre acceperat, ordinavit, ut magnum de ſe deſiderium excitaverit. Cuncti eum regnare Principem poſtulabant, cujus prudentia cum benignitate certaret. Ipſe autem Carolus feſtis Palmarum Romam rediit: illum Pontifex benignè, uti conſueverat, excepit; eique Roſam in ſacra celebritate donavit, iterumque Imperii Vicarium dixit. Quod ubi Neapolim perlatum, ludi ſolemnes magno apparatu celebrati. Neapolitanos reliquæ deinde gentes tum Italæ, tum Siculę imitatæ, eoſdem magno concurſu ubique egerunt. Eo die, quo Vicarius renunciatus, illud memorabile accidit, quod prodigii loco habitum, triſte quid imminere territæ gentes putaverunt. Improviſo enim terræ motu, univerſa pene ulterior Italia, magna ędificiorum lue, multaque cæde hominum excuſſa, ac jactata eſt. Inter cętera Turris Campanaria ingentis altitudinis, atque elegantis ſtructuræ Barii dejecta; magnumque ex illius caſu damnum Princeps Eccleſia accepit. Verum brevi tantę ruinę mœror excuſſus, reparata damna, ac feſta ſolemni celebritate peracta. Uſque adeo ad lęta facilè mortales divertunt, & adulatione Principum aut damna non ſentiunt, aut non ſentire ſe ſimulant.

Dum hæc in Ulteriore Italia adminiſtrabantur, in Citeriore

Guel-

Digitized by Google

Guelfi, qui Florentiam tenebant, ſecundis Caroli rebus audaciores facti, arma reſumpſerunt, & Vidonem Comitem cognomento Novellum, qui Dux à Manfredo conſtitutus in ea provincia fuerat, fugam capere coegerunt: Legatoſque ad Carolum miſerunt, ut ſubſidia cum Duce mitteret. Carolus etſi probè ſciret, quantam ſibi invidiam conflaturus eſſet, tamen & ne ſociis deeſſe videretur, & præſenti fortuna ſecurus, Vidonem Monfortium cum DCCC. haſtatis equitibus miſit. Eum Guelfi incredibili plauſu exceperunt, urbiſque regimen ad decennium tradiderunt, Carolumque ad idem tempus Ducem conſtituerunt, & ut libero urbem adminiſtraret imperio, permiſerunt. Quod miſſis inde ad eum Legatis publicis tabulis jure confectis comprobarunt. Carolus nihil ſe à Florentinis præter amicitiam affectaſſe teſtatus; ne verò onus detrectare putaretur, ſimplicem titulum accepit, & ſingulis annis Vicarium ad res adminiſtrandas Florentiam miſit. Per idem tempus Henricus Caſtellanus ſecundus natu ex liberis Caſtellani Regis, Carolique conſobrinus, qui apud Tunetanum Regem ſtipendia meruerat, cum DCCC. Hiſpanis ex Africa Neapolim trajecit. Carolus exceptum honorificè hominem apud ſe retinuit, eumque Senatorem Romanum, ſe eo magiſtratu abdicante, ac Pontificii exercitus Ducem creari curavit. Hic immenſam ex Africa pecuniam ſecum attulerat, quod cum Carolus cognoviſſet, ſexaginta millia aureorum mutuò ab eo poſtulavit, quam exin pecuniam cum nunquam ille repetere potuiſſet, acre inter utrumque diſſidium eſt ortum, quod deinde majore fomite admoto, majus evaſit. Petierat Henricus Pontificem, ut ſe Sardiniæ Regem conſtitueret: Carolus, qui eam inſulam ſibi dari affectabat, apertè ſe oppoſuit. Pontifex, ne diſſidium fovere videretur, neutri adjudicavit. Verum id non extinguere, ſed augere diſſidium fuit. Siquidem Henricus repulſa irritatior, ſe Carolum occiſurum, ſi non ipſe ab eo occideretur, ſacramento ſe obſtrinxit. Villanus hìc Carolum reprehendit, quod cum tot regna poſſideret, exiguam fratri inſulam invidiſſet; at ea eſt humana cupiditas, ut expleri nunquam poſſit.

Interea Carolus in Etruriam progreſſus, ut ſubſidia Guelfis inferret, Kal: Auguſti ejuſdem anni Florentiam ingreſſus: Guelfi obviam ingenti multitudine effuſi exceperunt, eumque quaſi dominum, ac libertatis aſſertorem lætis vocibus ſalutarunt. Florentiæ dies octo magno civium gaudio egit, pluresque ex nobilibus equites creavit. Inde ad Bonicii Podium firmiſſimum oppidum, in quo ſe Gibellini muniverant obſidendum, unà cum Florentinis proceſſit; maturandam enim eam expeditionem duxit, ne Piſani, ac Senenſes novas in eam arcem vires inferrent, ad quod ſe accin-

gere ex pluribus locis nunciabatur. At diuturnior ea obſidio fuit, quam ducebatur, quatuorque menſes Carolum tenuit. Tandem Id: Dec: in deditionem accepit: eo oppido capto, Piſas movit: pluribuſque circumpoſitis oppidulis nullo negotio expugnatis, Piſanum portum occupavit, cujus turres ſtatim diruit. Quod gratiſſimum Lucenſibus accidit, quibus utpote Guelfis, & Piſani, & Senenſes inſenſi erant. Inde Februario ſequentis anni Morronem munitum oppidum obſedit, quod cum ſuperare vi nequiret, aſtu feliciter cepit, ac Lucenſibus tradidit.

Hæc Carolo non minus fortiter, quam proſperè agente, Piſani, Senenſes, cunctique Italiæ Gibellini, iniquo animo intelligentes ipſorum ſectam ruere, contrariam verò ita erigi, ut meritò dubitarent, ne omninò opprimerentur, fędus inter ſe, & cum Henrico Caſtellano, quem Carolo infenſum noverant, iniverunt. Ad partes etiam ſuas aliquot utriuſque Regni *Toparchas*, qui ob Gallorum Præfectorum impotentiam, deficere à Carolo moliebantur, facilè pertraxerunt. Legatos iterum ad Conradinum mittunt; ut in Italiam ad paternam hæreditatem armis repetendam veniret, ſe futuros ei ſocios, opemque ſubminiſtraturos; ut vero delectum haberet, centum millia aureorum tranſmiſerunt; idemque Henricus per eoſdem Legatos ſe facturum ſpopondit, addens, quo facilius illum incitaret, plurimos in Apulia, ac Sicilia Comites eſſe, qui Svevorum partes ſequebantur, illicoque ad eum acceſſuros. Conradinus Legatis benignè acceptis, quæque ab illis afferebantur, intellectis, juvenili levitate, regnique cupidine inflammatus venire in Italiam, invita matre, promiſit. Videbat enim prudentiſſima mulier non illum tanto bello parem eſſe, rerumque bellicarum inexpertum: nec jis ſociorum munitum viribus, quibus opus erat ad veteranum Ducem, ac præpotentem, inque illorum poſſeſſione regnorum jam confirmatum, exuperandum. In Gibellinis parum confidendum, qui ſuam, non Conradini utilitatem quærebant, ideoque ſi principia non proſperè ſucceſſiſſent, facilè defecturos. Verum plus apud juvenem ſua cupiditas, quam matris admonitio, & oratio valuit. Milite igitur ſcripto, & commeatu comparato, unà cum Auſtriæ Duce, coętaneo, atque affini ſuo (ipſe vix ſextumdecimum ætatis annum exceſſerat) in Italiam per Tridentinas valles deſcendit, & Veronam primum fidam ſibi urbem pervenit. X. millia fermè equitum in exercitu numerabantur. Verum cum ſtipendia non ſolverentur, commeatuſque in dies deficeret, plures dilapſi, domum redierunt: vixque è tanto numero ter mille, & quingenti in caſtris remanſerunt. Veronæ, (in quam urbem XII. Kal: Februarias veniſſe plures authores tradunt, etſi Octobri præcedentis anni ad eam copias admoviſſe Sigonius ſcripſerit, &
uſque

uſque ad Januarium manſiſſe) exercitu luſtrato, reficiendarum virium cauſa aliquot dies ſubſtitit. Carolus cognito Conradini adventu, relicta Etruria, Neapolim ſe contulit; ibique Beatricem conjugem è vivis exceſſiſſe cognovit. Diem Nuceriæ Paganorum obivit; inque æde Virginis dedicata, regia pompa eſt tumulata, tumuloque addita epigraphe. In qua etiam æde juxta parentis tumulum Robertus filius ſepultus: horum gratia Carolus bona quædam ei cœnobio donavit, ac ſacra plurima pro conjuge, ac filio fieri curavit.

Hoc anno Delphinus quidam, qui jam ab anno MCCLXV. Neapolitanus Præſul deſignatus fuerat, objiſſe diem perhibetur, illius obſcura, & vix in quadam ſucceſſionis tabula exarata memoria eſt. At Conradinus, ut ad hunc ſtatim redeam, Verona egreſſus ad Boſonis Rochetam devenit; trajectoque Abdua per Laudenſem agrum Papiam copias duxit. Ex qua Liguriæ montibus ſuperatis, ad Macræ oſtia deſcendit: ibi quinque & viginti Genuenſium roſtratis exceptus, Piſas ſecundo curſu tenuit. Qua in urbe ab univerſis penè Italiæ Gibellinis veluti Imperator incredibili plauſu, gaudioque acceptus: plurimique apud eum militaturi convenerunt. Inter reliquos Vido Comes à Monte Feltrio emicuit. Nec ſegnior Henricus bellum adornabat: literas ad Conradinum dedit, quibus maturare expeditionem admonebat, magnis conatibus moram perſæpe obeſſe: & tum Carolum opprimendum cum ſub novo adhuc Principatu gentes fluctuarent: jam ſe plurimos ad arma concitaſſe; nec defuturos ſocios eſſe, cum ſignum ipſe propior admoviſſet. His admonitionibus properatum eſt bellum. Siquidem Piſani educta claſſe Oſtiam navigarunt, ubi Conradum Capycium ex Manfrediana clade ſuperſtitem ſecum acceperunt, ut eo Duce Campaniæ maritima facilius occuparent. At Henricus illum cum parte navium in Africam ire juſſit, ut Fridericum fratrem, qui cum Saracenorum valida manu in Siciliam trajecturus erat, vehementer ad celerandam expeditionem urgeret, ut dum ipſe, & Conradinus Carolum in Italia invaderent, vacuam ipſi Siciliam tenerent. Alteram verò navium partem, quam Conradus Trincius, & Marinus Capycius (Conradi frater hic traditur) unà cum Matthæo Vallo ducebant, ad depopulandam Campaniam immiſit. Conradus ſecundo vento in Africam navigavit: & inde cum Friderico copias in Siciliam tranſvexit. His ſtatim Conradus Antiochenus eſt adjunctus. Arma ſubinde fœderati magno terrore populorum circumferentes, præter Panormum, Meſſanam, ac Syracuſas, quæ validis præſidiis tenebantur, univerſam inſulam occuparunt, in qua eodem Conrado Antiocheno ad præſidium relicto, Marinus cum roſtratis, quas habebat, in Campaniam navigavit. Primo Ænariam

tentavit, cumque capere oppidum ſitu validum nequiviſſet, totam inſulam deprędatus. Mox ſinum ingreſsus Stabiarum caſtrum, Surrentum, aliaque ejus tractus loca vi cepit. Caroli exin claſsem nactus Meſsanam uſque, ſi elicere ad pugnam potuiſset, proſecutus, illa certamen detractante, Mylas profectus, nec ſatis munitum prężidio oppidum vi cepit. Aſsumpto deinde Conrado Capycio cum reliquis navibus iterum una omnes in Campaniam redierunt. Claſse hic Neapolim admota, quo tempore Carolus uxori juſta perſolvebat, Capycius audaci, ac temerario auſo, in ipſum portum invectus ſalutari Conradinum Regem juſſit, ratus ſic populum ſe ad arma converſurum. At Neapolitani, qui Svevorum inſolentiam, ac crudelitatem perpeſſi ſępius fuerant, hominis impudentiam deriſerunt.

Non multo ante, quam hęc in Campania ſunt geſta, Saraceni, qui Luceriam tuebantur, rerum omnium inopia laborantes, omni ſubſidii ſpe deſtituti, ſe Carolo ea conditione tradiderunt; ut nimirum ſuo ritu, ac religione viverent, inque Regis poteſtatem Manfredi conjugem, ac filios dederunt. Quos ille Lucullanum in caſtrum incluſit, ac ſolicitè cuſtodivit. Audita deinde Siculorum rebellione, Saracenos populares ſuos in inſulam trajeciſſe, Conradinum non longe cum exercitu eſse, in novam ſpem erecti illico defecerunt. Et quia excitato ſemel igne, facile incendium creſcit, Frentani, Peligni, finitimæque his gentes; quę trans Apenninum incolunt, unis Aquilanis exceptis, à Carolo deſciverunt. Aquilanos & Manfredianę crudelitatis memoria, & Caroli beneficium in officio continuit. Defeciſse tum etiam Averſam in Campania, aliaque Brutiorum oppida, Villanus eſt author. Interea Henricus urbis Senator, ne otioſus ſederet, ita Romanos à Pontifice, & Carolo alienavit, ut tandem unà cum finitimis defecerint. Clemens videns eo motu haud ſe Romæ ſecurum fore, Viterbium, quam urbem, & munitam, & Eccleſię addictam ſciebat, ſe recepit. Carolus his motibus, Procerumque ſuorum defectione comperta, plurimum animo perturbatus: ſeque erga eos, quos jure belli captos delere potuiſset, mitem, ac munificum ſe exhibuiſse, vehementer pęnituit: qui tot bonis, ac beneficiis aucti, nunc tantorum munerum immemores, novas res molirentur, nec contenti præſentibus ſecurò frui (quemadmodum turbida ingenia conſueverunt) ad futura, & incerta per tot pericula, ac neces intenderent. Ut igitur tempeſtivè malis occurreret, omnium Procerum conventum habuit, in quo Regiarum quoque urbium Legati adfuerunt: in eo cum de populorum motibus, ac bello retuliſset, decretum, ut univerſi Toparchæ Regem armati ſequerentur; reliquæ gentes pecuniam, & commeatum ſuppeditarent. Ferunt in eo conventu

Pe-

Digitized by Google

Petrum Pignatellum Regem admonuiſſe, ut univerſas eas familias, quæ à Germanis ortæ fuerant, utpote ſuſpectas, & venienti Conradino adhæſuras, vertere ſolum juberet, quo conſilio magnam apud Caracciolos, Ajoſſos, & Conſtantios, qui Puteolani etiam dicebantur, quod ea pariter in urbe degere conſueſſent, ſibi invidiam conflavit. Carolus conſilium uti aſperum rejecit; maluitque illos ſibi clementia devincire, quaſi beneficium clementiæ eſſet, quod duram ſententiam reſpuiſſet. His ita conſtitutis, Luceriam profectus, ut Saracenos ad obſequium revocaret, & reliqui, qui nondum rebellaverant, ſua præſentia continerentur.

Porrò Clemens poſteaquam per certos nuncios appropinquare Conradinum cognovit, ut imminentibus malis remedium aliquod afferret, Legatos ad illum miſit, qui juberent eum ab armis diſcedere, nec vellet in legitimum Dominum bellum inferre, populoſque ad rebellandum incitare: quod ſi Pontificiis parere juſſis renuiſſet, pergeretque arma circumferre, illum anathemate percuterent. Conradinus ratus ad ſe ea regna pertinere, Pontificis juſſa contempſit, atque ea fulmina, quibus ille in ſuum caput detonabat, bruta judicavit. Infelix juvenis ſpreti conſilii pœnas, memorabili exemplo, brevi luiturus. Certus igitur bello decernere, Gibellinorum copias contraxit, pecuniam corrogavit, juſtoque exercitu conflato, Lucam, quæ Pontificis, Carolique partes ſequebatur, obſedit. Eam urbem cum præſidio à Carolo impoſito Berſelvęus tuebatur: aderant ſocii Guelfi Florentia, aliiſque Etruriæ urbibus acciti, & Cruceſignati vocabantur. Pontificis Legatus, qui urbem adminiſtrabat, univerſos ad tuenda mœnia, libertatemq; Eccleſiæ inflammavit, utque alacriores in dimicando eſſent, anteactorum veniam pleniſſimam impertivit. His tum cives, tum milites animati ex urbe in aciem prodivere, hoſtique pugnæ poteſtatem fecerunt, rectè arbitrati tantas in certamine vires futuras, quantas quiſque præſenti animo oſtentaſſet, ipſamque vincendi præſumptionem, certam eſſe ſecuritatem victoriæ. Conradinus, qui nec tantam in urbe multitudinem, nec tantam pugnandi alacritatem eſſe putaverat, à certamine abſtinuit; nec Lucenſes ultra procedendum duxerunt, rati ſatis ad victoriam eſſe, ſi hoſtes aciem detrectaviſſent. Conradinus Piſas, Lucenſes in urbem redierunt. Poſtquam igitur à ſpe Lucæ potiundæ Conradinus ſe excidiſſe ſenſit, ad Bonicii Podium caſtra Piſis iterum egreſſus movit, oppidani ſtatim à Carolo, ac Florentinis deficientes, ſe ultro Conradino dediderunt. Qui lętus, quod ſine certamine munito oppido potitus eſſet, Senam amicam urbem proceſſit. Incredibili ſtudio à Senenſibus exceptus, ac magnis etiam honoribus affectus. Tum Caroli Legatus, qui Florentiæ cum copiis erat, Areſium, ut Conradino

iter

iter intercluderet, magnis itineribus eſt profectus. Areſium tutò aſſecutus, ſuis plus juſto fidens, Florentinos ſocios dimiſit, nec paſſus eos ſui cauſa amplius vexari. Neſciens haud prudenter facere eum Ducem, qui cum certare tutius adjunctis ſibi ſociis poſſet, illis dimiſſis, totum pugnæ onus ſolus ſuſciperet: ſed Gallorum ea fiducia fuit, quæ illos, & exercitum perdidit. Ducebat ipſe D. equites, Eſtendardus CCC. nec in itinere militiæ ordinem ſervabant, ſed laxatis ordinibus, ac manipulatim incedebant: ut igitur ad Arni pontem è valle popularibus dictum perventum eſt, Conradini alam ex improviſo obviam habuerunt. Germani unà cum Gibellinis magno in illos impetu irruentes brevi deleverunt. Dux Amelius cum aliis nobilibus captus, ac Senam deductus, Eſtendardus fuga ſe cum paucis ſervavit, & incolumis ad Carolum pervenit. Quidam Ducem fortiter in acie dimicantem occiſum ſcripſerunt. Ea cęde tum Andegavenſes, tum Guelfi vehementer perterriti dubitare cęperunt, ne res in contrarium verterentur. Adeo facile ad omnem caſum mortalium animi permutantur. Non melior in Regno Neapolitano, quod adhuc eo tempore uno Apuliæ nomine vocabatur, Andegavenſium fortuna fuit. Tricarici Toparcha à Carolo ad Conradinum deficiens Marcum Duram Caroli Ducem ad Caſtellanetam delevit, uſuſque victoria, ita effecit, ut plures populi Conradinum Regem ſalutaverint. Inde ad Franciſcum Loffredum à Carolo ad jus dicendum in Apuliam miſſum, nuncio miſit, ut ſe ſtatim dederet, ni ultima experiri vellet. Loffredus præſentis vir animi, reſpondit ſapientius illum facturum, ſi, omiſſo Conradino, quem Pontifex tanquam injuſtum invaſorem damnaverat, Carolum legitimum dominum, cui etiam ipſe ſacramentum dixerat, ſequeretur. Per eoſdem dies Rogerius Sanſeverinius rebelles nactus acie cum illis conflixit, magnaque occidione delevit. Exin Melphiam, quam verſus Tricaricenſis iter ceperat, ſigna movit. Loffredus multis oppidis nullo negotio receptis, Boſillum Caracciolum, quem Andrianenſes tumultu facto expulerant, magna cum pecunia ad Carolum miſit. Interea Andria, Potentia, Venuſia, Mateola, univerſaque fermè loca, quæ vacua præſidiis erant, reliquorum exemplum imitata Conradinum ſalutarunt. Principes rebellionis Raimundus, & Petrus à Sancta Sophia, Petrus & Gulielmus Potentiæ Comites, Henricus Ribelli Toparcha, & Henricus alter Petra palumba Germanus. Quibus Caſtanei, Scornavaccenſes, Filingerii, ac Lotterii nobiles familiæ adhæſerunt: qui ſociatis in unum viribus, Lymphati, ac prædonum more cuncta populabantur. Carolus ad hos profligandos Sanſeverinium miſerat: ipſe Luceriam expugnare inſtitit. At ubi Conradinum magnis itineribus properare in Campaniam audivit, omiſſa Luceriæ oppu-

pu-

pugnatione, obviam illi ire conſtituit, & antequam fines illius provinciæ ingrederetur, vel inſtructa acie invadere, vel caſtris tuto loco poſitis aditu, & commeatu intercludere.

Porrò Conradinus Sena egreſſus Romam iter intendit; ut ibi Henricum Senatorem ſibi adjungeret, inde in Campaniam magna ſpe regni potiundi accenſus, quod plures jam gentes ad ſe defeciſſe cognoverat celerare. Cum verò illum propter Viterbii mœnia tranſeuntem è Pontificiis ædibus Clemens conſpicatus eſſet, divino afflatu futuri præſcius, fertur aſtantibus dixiſſe: Cernitis milites illos fulgentibus armis inſignes, & Ducem illum juvenem, qui tam ornato, ac forti exercitu confiſus incedit? miſeret me illius: quaſi agnus ad necem ducitur, parentis ſui, avorumque pęnas luiturus. Quo audito, quidam ex circumſtantibus validum eum exercitum intuentes de vaticinio dubitaverunt. At Pontifex illorum dubitationem intelligens. Et hic exercitus, inquit, ceu fumus à vento diſſipabitur. Romam ubi Conradinus pervenit, ab Henrico, univerſoque populo triumphantis in morem exceptus, ac feſtivo comitatu in Capitolium eſt deductus; ibi quaſi Cæſar ingenti honore, ac plauſu ſalutatus. Tanta Novis Romanis levitas inerat, ut vaniſſimæ illiuſmodi ſcenę ſumma adulatione ſervirent. Hic ut ſtipendia militi ſolveret, novoſque delectus haberet, D. Petri Baſilicam, aliaſque Eccleſias ſacris vaſis ſpoliavit. Avos ſcilicet imitatus, quorum ſcelera jam ipſe ſuo ſanguine erat piaturus. Luſtrato deinde exercitu, in quo quinque millia Germanorum, atque Italorum equitum erant, Henricus DCCC. Hiſpanos ducebat, caſtra movit. Cum autem per exploratores accepiſſet, Ceperani pontem Liri impoſitum magno præſidio teneri: nec niſi difficili certamine ſuperari poſſe, omiſſa Campania, Apenninum petiit, perque Cellenſem vallem, quæ nullo præſidio occupabatur, in Marſorum campum cum copiis evaſit. Hic autem celebris famæ campus, qui Polentæ novis dicitur, dextra Fucino lacu clauditur; ubi Romani aquæductus ad Marſiam aquam in urbem deducendam olim extructi: ſiniſtra altiſſimis Marſorum montibus, qui illum circumplectuntur, finitur: ad Orientem collis, quo campus terminatur, aſſurgit, milleque ab Alba paſſus diſtat: poſt collem anguſta vallis eſt, ambituque ſuo mille non amplius paſſus amplectitur; is autem illius eſt ſitus, ut è Marſico campo, quid in ea lateat, deprehendi neutiquam poſſit. In hoc campo Conradinus caſtra eſt metatus, certus ibi dimicare, ſi hoſtis pugnæ copiam feciſſet. Carolus, qui ad Soram caſtra habebat, Liriſque partem tuebatur, cognitis Conradini rebus, ponte relicto, Aquilam proceſſit, inque ea urbe, quam ſibi fidam ſciebat, copias, quæ propter impedimenta, & viarum difficultatem tardè ſequebantur, opperiri

ſta-

Digitized by Google

ſtatuit. Hic de Conradini exercitu certior ab exploratoribus factus, cumque ſe ſuperiorem animadvertens, in varias curas diſtrahebatur, partem enim copiarum, quam Meſſanam contra Fridericum miſerat, revocare non poterat; ni amittere totam Siciliam voluiſſet; partem ad Aretium Ducis temeritate amiſerat: quas verò cohortes cum Sanſeverinio, ad cohibendos rebelles ire juſſerat, ad ſe accire, plurimum præ ſe periculi ferre videbatur, ne ſcilicet rebelles novis viribus aucti, ipſum à tergo adorirentur. Dum in his curis verſatur, Aquilanoſque, ut in fide perſeverarent, adhortatur, ea beneficia, commemorans, quæ in illos contulerat: (etenim verebatur ne ſi ea urbe excederet, Aquilani ad Conradinum deficerent: quod extremum malorū ducebat, quo res ſuę in ultimum diſcrimen adducerentur) gravis quidam, ac prudens ex civibus, ita allocutus perhibetur: Ne tempus, Carole, tot conſultationibus teras: nec animum tot curis diu anxium, inquietumque teneas; ut perpetua pace fruaris, nullum laborem effugias oportet: I, moras tolle; hoſtique obviam procede: ne ille eo ſe campo, quem occupavit communiat: & tui confeſſione timoris animos ſumat. Nihil in bello plus valet, quam alacris feſtinatio, de noſtra fide ne dubites, ingratiſſimi hominum eſſemus, ſi tot beneficiis obſtricti, te in periculo deſereremus. Hujus oratione Carolus erectus, timorem ex parte excuſſit, atque in hoſtes ire conſtituit. Cur autem de Aquilanorum fide Carolus ambigeret, hanc cauſam Cirillus tradidit. In caſtris, in quibus plures exules erant, tumultus exortus, rumorq; incerto authore diſſipatus, Aquilanos ad Conradinum defeciſse. Carolus memor eorum, quæ Aquilanorum æmuli de illius urbis ædificatione exageraverant; futurum ſcilicet non levis periculi, ſi aliquando deſciviſsent; eoſque homines vertibiles ingenio eſse: & ut ſumus homines, & maximè Principes in anguſtiis ſuſpicaces, facilè credidit, Aquilanos tumultuari. Auxit ſuſpicionem nobilium quorundam dolus, qui literas Aquilanorum nomine ſcriptas, ad Conradinum miſerant; quibus ſe ejus imperata facturos pollicebantur, pluresque ad illum gentes pariter ſuo exemplo, atque authoritate adducturos: eaſque literas, quaſi interceptas ad Carolum deferri curaverant, ut ſic vel ipſe de illorum fide re vera dubitaret, vel illi, ne in ipſos Carolus pro ingenio ſæviret, illico deſciſcerent. Carolus dubitans an ita res eſset, an fraus aliqua in illis lateret, periculum per ſe de Aquilanorum fide facere conſtituit, antequam de pugna decerneret. Dum igitur caſtra caſtris collata, & quiſq; Ducum opportunitatem pugnandi oppeiretur, ipſe ſub Solis Occaſum tres ſecum equites, quibus maximè fidebat, aſsumpſit, & Aquilam clam progreſsus. Ad quam poſtquam multa jam nocte pervenit, Bazzanæ portæ propior factus, excubias rogat, pro quo,

ea

ea urbs teneretur? cum vero pro Carolo ſervari audiviſſet, ſummopere lętatus: accerſiri mox præfectum jubet: habere ſe gravia quædam, quæ ſcire eum operæ pretium eſſet. Præfectus de re admonitus pluribus ſtipatus, ne fraus aliqua ſubeſſet, ad portam acceſſit. Ibi cum Regem agnoviſſet, in genua accidit, ipſe erigi eum juſſit, atque ad aures allocutus, monuit, ut commeatus, quos maximos quiviſſet, ad ſe illico deduceret: eoque dimiſſo, ſumma celeritate ad caſtra ſub ortum eſt reverſus. Primo mane cives ad concionem Præfectus advocavit: eiſque Regem ab ſe commeatum poſt ulaſſe ſignificavit: viderent ipſi pro ea, qua in illum fide eſſent, qua arte fieri poſſet, ut quamprimum in caſtra deveheretur. His auditis, tanta in cunctis alacritas fuit, tantum ſtudium, ut brevi magnam commeatuum vim coëgerint, cumque jumenta ad deferendam annonam deeſſent, plurimæ fœminarum turmæ ſe commeatum in caſtra ſuis humeris allaturas ſua ſponte obtulerunt. Non abnuere Aquilani, imo laudato fœminarum ſtudio, illarũ miniſterio uſi, tota nocte cum valida manu iter facientes, primo diluculo ad caſtra pervenerunt, ſummamque tum ſuis, tum hoſtibus admirationem attulerunt, qui eas per Albæ declivia deſcendentes aſpiciebant. Quo facto docentur Principes ipſorum potentiam non tam in armis, quam in populorum benevolentia conſiſtere; qui ſi concordes animis fuerint, externa vi vinci nullatenus poterunt, & ne nimium ſuſpicaces omnium dictis, ac rumoribus credant: ne quos amicos habent, re vera alienent. Imo quæ certa interdum norunt, diſſimulent; ita enim plerumque fieri, ut dubii redeant in fidem.

Carolus ſuorum paucitate perſpecta, anceps animi quid potius expediret, ignorabat. Ipſe non pluſquam ter mille equitum ſub ſignis habebat: ſuper ſex mille Conradinus numerabat. Etenim temeritate plenum videbatur, eam aleam tanta virium inęqualitate jacere, ex qua nullum lucrum, certum damnum futurum erat; nec ſemel jactam revocare in ſua ſitum amplius poteſtate. Imo nec prudens conſilium duci, etiamſi vires ſuppares eſſent, ut ex uno jactu duorum regnorum fortunam penderet: quę cum nondum firma, ſed nutantia adhuc eſſent, quilibet ea caſus everſurus erat. Cæterum eo res loco poſitas, ut non dimicare, vinci eſſet, publicamque ſalutem in manifeſtum diſcrimen conjicere. Carolo in his anguſtiis conſtituto, Alardus Valerius nobilis Gallus, non verò Neapolitanus, ut quidam falsò ſcripſerunt, ex Aſia, ubi contra Saracenos, ac Turcas, magna laude militaverat, in Apuliam redivit. Id ubi ad Carolum perlatum, nuncium Alardo præmiſit, qui illum in caſtra ad ſe deduceret, & ne id facere gravaretur vehementer rogabat. Alardus eximiæ vir huma-

manitatis, inque ſuos Principes obſervantiſſimus, ſimul ac nuncium accepit, ad Carolum ſe contulit, qui virum ſingulari benevolentia excepit, grandique apud ſe honore habuit. Poſtquam munificè tractavit, magnoperè rogare inſtitit, ne ipſum in eo difficili rerum articulo manu, & conſilio juvare omitteret. Negavit principio Alardus in Chriſtianos arma ſumpturum, quæ in hoſtes Fidei induiſſet. Non enim decere hominem, qui ſe Cruce ad ſacrum bellum ſignaverat, in eos ſigna inferre, qui eandem Religionem profiterentur. Tum Carolus, pro Eccleſia bellum illud geri, inq; eos hoſtes, quos Divinæ Majeſtatis reos à piorum communione Pontifex ſejunxerat, atque infernis diris devoverat, Alardum edocuit; ideoque ne dubitaret in aciem deſcendere, ac bellum illud ſuſcipere, cujus tam honeſtus, juſtuſque titulus prætendebatur: cogitaret aliena hoſtes injuria invadere, ſummi Sacerdotis majeſtatem contempſiſſe; templa expilaſſe, divina, humanaque omnia evertiſſe, omnibus ſe ſceleribus obligaſſe: deinde, ut ſuis poſtulatis annueret, per Ludovicum Regem, per Gallicæ gentis gloriam eum rogare: ſeque ejus beneficii memorem perpetuo futurum. His Alardus permotus, ſic orſus perhibetur: Quando de Eccleſiæ libertate agitur; inque eos hoſtes bellum geritur, quos diris devotos ſacro Pontifex fulmine perſtrinxit, haud equidem laborem effugiam, aut pericula declinabo: nec mortem ipſam, quam honeſtam duco, ſubire recuſabo. Siquidem nihil glorioſius quam cum his hoſtibus decertare, & pro tam juſto titulo in acie occumbere. Cæterum quod ad præſentem rem attinet, haud dubium, Carole, quod ſi tuas vires cum hoſtibus conferas, ſperare certò victoriam neutiquam potes, imò certam futuram tuorum cędem timere non ſine ratione queas. Verum ſi meam ſententiam ſequi mavis, arte tibi potius, quam vi certandum, & militari utendum eſt fraude, qua peritiſſimi plerumque Duces inſignes ex hoſtibus, atque inſperatas victorias retulerunt, quod ſi feceris certam tibi palmam promitte. Carolus, cui in Aſiaticis bellis ſatis perſpecta Alardi virtus, ac militaris ſcientia fuerat, Te, inquit, Alarde, hodie Ducem conſtituo, tu aciem, tu prælium dirige, ego quaſi gregarius miles parebo; optimè ducens prudens Rex, non generis decus, non titulos, non diadema, vel purpuram, ſed longam experientiam, acremque ingenii ſagacitatem Duces facere, nec melius exercitui imperaturum, quam qui per longa ſtipendia artem didiciſſet. Suis inde ſeveriſſimè imperat, ut Alardo tanquam ſupremo Duci obtemperent, qui ſecus faxit, ſe eum pro hoſte habiturum. Alardus belli cura ex Caroli ſententia ſuſcepta, eo die, quo D. Bartholomæi pervigilium celebramus, è caſtris copias eduxit, atque in hunc modum aciem ordinavit: Primo agmine Provin-

vin-

vinciales, Etruſcos, Ciſalpinos, & Campanos locavit: quibus Henricum Coſantium fortiſſimum Ducem, præfecit, eumque regalibus inſignibus ornavit. Alam verò Provincialium ad Juventii amnis pontem, qui è vicinis montibus defluens per Fucinum integer tranſit, collocavit; ut ſi hoſtes tranſire per eum vellent, aditu arcerent, difficilemque tranſitum redderent. Secundo agmine Gallos explicuit, eoſque Joannem Gratim, & Gulielmum Eſtendardum veteranos Duces ductare juſſit. Tertio Triarios poſuit DCCC. equites lectiſſimos, quorum dexteram alam Regi dedit, ipſe ſiniſtram accepit, inque anguſta ea valle, quæ poſt collem erat, in inſidiis poſuit, inque eo agmine totam victoriæ ſpem locavit. Conradinus ubi copias inſtruere Carolum vidit, nihil moratus in tres ipſe etiam acies exercitum diviſit. In prima Germanos inſtruxit, quam ipſe unà cum Auſtriæ Duce agere in hoſtem voluit, inque ea eos Apulos, qui à Carolo defecerant, eo conſilio locavit; ne ſi in ultimo poſiti, & dubium certamen eſſet, terga verterent. Secundam ex Italis conſtavit, eamque Calvanum Lanciam ductare juſſit. Tertiam Hiſpani ſub Henrico Principe componere juſſi ſunt. Utroque exercitu jam inſtructo, tanta in Germanis alacritas erat, ut vix dimicandi ſignum expectarent; ea enim ſpes illos fovebat, ut primo impetu Andegavenſes Aquilanorum defectione, quam falsò crediderant, perturbatos loco facilè pellerent, plenamque victoriam, atque incruentam adipiſcerentur. Interea Carolus aciem luſtrans ita ſuos ad pugnam inflammabat: Si paucitatem veſtram, commilitones, inſpicerem, fortaſſe de victoria deſperarem; at quoniam non numerus in præliis, ſed virtus valet, quanta hæc in vobis ſit, tot pugnis, tot periculis, è quibus fortiter evaſiſtis, mihi ſatis perſpectum eſt, certam jam palmam & mihi, & vobis gratulor: & pro relata gratias etiam habeo: daturumque pro ea præmium promitto. quam ſpem Religio mihi certam præbet: & ingentes vobis afferre animos vehementer lætor; quam enim vultu fiduciam præfertis, non niſi à Superis eſt, quos futuros vobis auxiliatores non dubito. Pro Eccleſia, quam hoſtes conantur opprimere, pro Divorum fanis, quæ illi expilarunt, vindices in aciem deſcendimus. Quis igitur adfuturum certamini ambigat Deum, & quam optamus, victoriam largiturum? Ite, & quod cœperunt auſpicio Superi, veſtra fortitudine perficite. His poſtquam ſuorum animos firmavit, in ultimum ſe agmen recepit. Sed jam ſigno dato, Primus Henricus cum ſuis Hiſpanis Provinciales, ut eos à ponte ſubmoveret, magnis viribus eſt aggreſſus. At ubi commodè vadari amnem animadvertit, confeſtim ſuos trajicere juſſit, ac Provincialium agmen à tergo adoriri. Conradinus ſimul ac trajeciſſe fluvium Hiſpanos, ac Provinciales circum-

tumveniſſe cognovit, Videte, inquit ad ſuos, ut illi aditum ad victoriam aperuerunt? ite vos in partem palmæ; nec totam victi hoſtis gloriam illorum eſſe patiamini; ſtatimque aciem in Gallos movit, primoque eos impetu perturbatos fudit. Dum autem in medios hoſtes invehitur Henricum Coſantium regia inſignia præferentem conſpicatur: eumque Regem Carolum eſſe arbitratus, in illum una cum Henrico invectus, pluribus vulneribus confecerunt, quo occiſo tota Provincialium acies diſſipata. Nec melior ſecundæ fortuna fuit. Etenim cum diu impetum Itali ſuſtinuiſſent; ubi cæſam primam aciem, atque in fugam conjectam viderunt: & ipſi ſenſim referre pedes occęperunt. Tum Germani occiſum Regem rati, diſperſum exercitum, certamque jam eſſe victoriam, nec quidquam inſidiarum ſuſpicati, laxare ordines cęperunt, & ad prędas per campum diſpergi. Interea Carolus è colle, quem retrò vallis erat, quà tertia acies occultabatur, cum ſuos cædi videret, & deſperatam jam eſſe victoriam, Alardum, ac Monfortium rogavit, ut labantibus ſuccurrerent, cui Alardus: Mane, quæſo, inquit, pauliſper, donec hoſtes à ſuis ordinibus magis, magiſque recedant, inque prædas effuſi diſtrahantur, tum enim facili negotio ſuperabis. Poſtquam igitur per campum ad colligendas prædas diſperſos proſpexit, Jam tempus, inquit, virtutem exerere, & victoriam ſibi fortirer comparare, ſimulque in turbinis improviſi morem è valle egreſſi impetum in hoſtes fecerunt. Conradinus ratus ſuos eos eſſe nihil penſi habuit diſperſos ad ſigna revocare. At Carolus denſo illum cuneo adortus facilè ſubmovit. Etenim laxi, diſſipatique Germani Gallorum impetum ſuſtinere nequiverunt. Provinciales, ut Caroli aciem viderunt, pugnam reintegrantem, ex fuga ad eum accurrerunt, itaque animo, & numero creſcentes ingentem Germanis ſtragem intulerunt: qui brevi è victoribus victi evaſerunt. Conradinus poſtquam cędi ſuos vidit, nimiaque fiducia victoriam è manibus amiſiſſe: nec niſi in fuga ſalutem eſſe intelligeret, una cum Auſtriæ Duce terga hoſti dedit, quos illico Galvanus, Galferanus cum Girardo Piſano, aliiſque nobilibus ſecuti. Alardus ut fugere hoſtes animadvertit, Carolum admonuit, ne fugientes perſequeretur, nec ſuos ad prædas diſtrahi pateretur, ne eandem ipſe ſortem ſubiret, quam ſua inſcitia ſibi Conradinus creaverat; ſuſtinerent adhuc parumper, donec univerſi delerentur; tum ſecuram victoriam, & ſpolia ipſorum eſſe: Neque efficerent ut partam jam palmam & arte, & labore, nimia cupiditate amitterent. Nec ſua Alardum opinio fefellit, Henricus, qui cum ſuis Hiſpanis Provinciales, atque Italos inſecutus fuerat, poſtquam in vallem illos coëgiſſet, non conſpecta Caroli acie, in campum ad prædas, fructumque victoriæ revertebatur,

lon-

longèque Caroli agmina proſpiciens, ratus Conradini, de cujus fuga nihil cognoverat, militem eſſe, è tumulo ubi ordines collegerat, nullo hoſtis timore deſcendebat. At propior exin factus, eamque Caroli aciem eſſe animadvertens, non nihil animo perturbatus, hęſit: reſumptis mox viribus, hoſtem expectabat. Carolus cum ſuos prælio defatigatos ſciret, Hiſpanos invadere non audebat, ne ſcilicet iterum de victoria periclitaretur. Ita ambæ acies diu hęſerunt. Tandem Alardus Regem intuens, neceſſe eſt, inquit: ut illos laxare ordines cogamus; ſi integram eſſe victoriam velimus, quod ſi non vi, arte obtinendum: ſimulque valida veteranorum manu ſecum aſſumpta, fugam ſimulans ex acie confeſtim exceſſit. Id Hiſpani animadvertentes, ratique revera eos fugere, illico vana ſpe capti, magnis vocibus exclamant, fuſi hoſtes, noſtra victoria eſt; inde, ut illos inſequerentur, laxare ordines cęperunt; quod Carolus aſpiciens magno in eos impetu movit: nec ſegnior Alardus agmine ſtatim converſo, ad pugnam rediit, Hiſpanoſque adortus eſt. Acerrima ea dimicatio fuit, magniſque viribus utrimque certatum, quia verò præ armorum munimento, atque agilitate, quibus Hiſpani præſtabant, ferire eos Galli nequirent; ipſique & mole corporis, & viribus plurimum pollerent, manu apprehenſos hoſtes in terram dejiciebant, quo factum, ut fuſi tandem, ac cęſi fuerint. Henricus cum paucis in Caſſinas cœnobium evaſit: victumque Carolum evulgavit. At fruſtra mentimur cum vultus ipſe mendacium redarguit; ejus loci Præpoſitus ex illius vultu ſatis intelligens ipſum unum ex victis eſſe, comprehendi unà cum ſociis à ſuis juſſit. At Carolus uſque ad ejus diei ſerum in acie armatus perſtitit, ad ſigna ſuos reducens: plenæque victoriæ poſſeſſionem, ſi quis caſus eveniſſet, conſervaturus; quæ quidem non ſine manifeſta Dei ope à tanta militum paucitate, ac pene victa eſt reportata, de qua nunquam ſe Galli ſecuros duxerunt, niſi cum appetente jam nocte, nulli amplius hoſtes viſi ſunt. Plurimi ex utraq; acie cęſi, & uti major principio Andegavenſium cædes fuit, ità poſtremò maxima Germanorum: quorum pauci admodum evaſerunt. Viterbii Pontifex dum in Eccleſia D. Bartholomæi, cujus feſtum agebatur, orationem ad populum haberet, quaſi extra ſe raptus, diu immobilis, ac ſilens hæſit, inde veluti experrectus, Currite, inquit, currite, atque Eccleſiæ hoſtes jam profligatos vincite: cum verò victoriæ nuncium una eademque nocte per C. millia paſſuum afferri nequiviſſet, de ea Pontificem divinitus admonitum una omnium opinio fuit. Poſtero die, ut Laureatæ Viterbium literæ ſunt perlatæ, tanta univerſos lætitia corripuit; ut vix ſe præ gaudio continerent: illico per omnes ædes diſcurſum, gratię Superis actæ, atque hoſtiæ immolatæ. Primores Pontificem adi-

adivere, eique de tanta victoria gratulati. Deinde per totam Italiam tam inſignis victoriæ nuncius evulgatus dejectas Guelforum res ſtatim erexit: Gibellinorum verò animos adeo fregit, ut jam nullam in armis ſpem ſibi relictam, vel inviti confiterentur. Carolus ea victoria, qua nutantia regna ſunt ſtabilita, non tam humana, quam divina ope potitus, ædem, quam Virgini, ſi victor ab hoſte rediiſſet, voverat, eo loco ædificavit, eidemque ſolemni pompa dedicavit, & ut facti memoria perpetuo apud poſteros eſſet, à Victoria nomen fano impoſuit: in ea ſuorum corpora, qui fortiter in acie dimicantes occubuerant, ſepeliri juſſit, ac pro illis quotidiana ſacra fieri. Juxta ædem cœnobium adjunxit, in quod ex Gallia Benedictinos induxit: & ut commodè ſuſtentarentur, pluribus prædiis locupletavit. Cœnobium longo poſt tempore, movente terra, dirutum eſt, ejuſque bona Pontifici ceſſerunt. Poſtero die prima victoris cura fuit, quid de Conradino factum fuiſſet, inquirere; de quo cum nihil certi cognoviſſet, in reliquos ſævIit, quorum plurimos ſuſpendio necavit: impotenter ea victoria uſus, qua ut ſe modeſtius gereret, edoceri inſigni exemplo debuiſſet. Sed difficilè naturam exuimus, & quem quiſque à puero morem accepit, ipſaque ætate roboravit, non niſi cum vita tandem relinquit. Henricum Caſtellanum in Provinciam amandavit, atque in carcerem incluſit; ibique ærumnis confectum periiſſe tradunt. Eum verò unà cum Girardo Piſano, à Caſſinate Præpoſito captum Pontifici traditum, atque ab hoc ad Carolum tranſmiſſum, quidam ſcripſerunt: Girardumque Neapoli capite diminutum. Alii unà cum Conradino hunc fugam arripuiſſe, memoriæ mandarunt.

Porrò Conradinus tanto, & tam inſperato caſu perturbatus per eos montes, quos è ſuorum ſtrage evadens conſcenderat, fugere trepidus non deſiſtebat. Ex his inde, ipſa via fugientes deducente, in litus ire perrexit: ſperans maritimo itinere facile Piſas ſe perventurum, ibi, quo modo potuiſſet, vires reficere. Audierat enim Fridericum Henrici fratrem ex Africa cum ſupplementis trajeciſſe, pluresque Piſanorum longas naves ſibi adjunxiſſe: Conradique mox Capycii ope adjutum magnam Siciliæ partem occupaſſe. Poſtquam igitur per ſylvas, ac difficiles montium aditus agreſti habitu indutus plures dies cum ſuis erraſſet, Romanum ad litus vix vivus pervenit, inque vetuſtiſſimum oppidum Aſtur, Ciceronis nece, ut quidam autumant, memorabile, infelix juvenis eſt delatus. Ejus loci Toparchæ duo Fratres Petrus, & Joannes Francipanes erant. Eo in litore piſcatoria cymba comperta, piſcatorem, qui jam ſoluturus retia erat, vehementer rogavit, ut ſe cum ſociis in Senenſe, aut Piſanum litus tranſportaret; magno cum præ-

mio

mio donaturus. Piſcator promiſſi ſpe illectus, ſe illos trajecturum ſpopondit: verum commeatu opus eſſe ad illud iter, quod uno die confici non poterat, nec ſibi pecuniam ad manus eſſe, qua viaticum compararet; darent idcirco ipſi, ut vicino in oppido illud conquireret. Conradinus cum nec ipſe, nec ſocii pecuniam haberent, annulum, quem unum gerebat, piſcatori dedit; ut illo in pignus dato, pecuniam ad viaticum acciperet. Piſcator in oppidum profectus annulum apud divitem quendam pignori locavit; cumq; multi valoris eſſe ab eodem cognovit, rogatuſque à quo accepiſſet? à juvene quodam, inquit piſcator, vili quidem habitu induto, ſed aſpectu ſatis decoro, cui non diſſimilis lateri ſocius hæret: mox pane, ac neceſſariis conquiſitis, ad Conradinum redivit; eoq; unà cum ſociis in cymbam aſſumptis, remis naviculam agens ſecus litus ire perrexit. Interea hujus facti fama per oppidum divulgata ad Dominorum aures pervenit, qui cognita Caroli victoria, & Conradini fuga, rati unum ex illis Conradinum eſſe, quem ſumma Carolus diligentia conquirebat, adornari actutum navim juſſere, ac fugitivos comprehendi, ſperantes magnam ſe pecuniam à Carolo accepturos. Atque in hunc modum miſeri Principes capti, Aſtur deducti fuerunt. Carolus, ut id cognovit, ab iiſdem Toparchis, ut ferunt, admonitus, ad oppidum cum armatis advolavit, atque è veſtigio terra, marique obſedit; tradique ſibi fugitivos petiit, ne diripi, incendique oppidum vellent: nempe ut vi feciſſe Francipanes viderentur, ac proditionis notam effugerent. Hi quaſi obſiſtere vi non poſſent Conradinum, Auſtriæque Ducem Carolo tradiderunt, qui tam inſigni præda lætus, qua ſine nunquam ſe ſecurum arbitrabatur, Romam ovans eſt ingreſſus. Aretinus Romam Conradinum fugiſſe, exceptumque à Vidone Montis Feltrii, ipſis Romanis annuentibus; verum ſupervenientibus mox Guelfis, quos Senator Henricus ſupra modum afflixerat, ejectum Aſtur petiiſſe, memoriæ tradidit. Alii non annuli indicio, ſed à Francipanibus proditum ſcripſerunt. Ita in magnorum virorum caſu fato comparatum, ut quemadmodum varia fortuna fuit; ita & infelicis eventus varia narratio circumferatur. Blondus gravis ceteroqui author Villanum reprehendit quod Francipanes viros adeo illuſtres, & ex D. Gregorii familia progenitos proditionis inſimulaverit: ſed plus ipſe audacior juſto fuit; nam cum multis inde muneribus, ac Toparchiis aucti à Carolo fuerint, èque mediocri fortuna, in ſummas opes evaſerint, non temere, quod eo tempore uti certum circumferebatur, in ſua Hiſtoria ſcriptum reliquit. Degenerant ſæpe ex nobili caudice infelices rami: & vetuſtate laborantes trunci vitiata poma progignunt.

At victor Carolus, in itinere dum Romam pergeret, Galva-

num,

num, & Galeottum filium obtruncat, & Coſantio, qui pro eo mortem fortiter obiverat, inferias mittit. Romæ res urbis ad Guelforum arbitrium diſpoſuit, atque ordinavit, Senatorque Renunciatus, id munus Jacobo Cantelmo, non Catalano, ut quidam perperam ſcripſerunt, commiſit. Nobilis hic vir ex Scotorum Regum ſanguine originem trahebat, ejuſque Majores è Britannia in Galliam jamdudum commigraverant, inque Provincia ſedem fixerant, ex qua Neapolim venerunt; qua in urbe populares jam facti uti Regii ſanguinis Principes habentur. Carolus urbe tandem egreſſus, tanta ira, atque odio in rebelles, quorum vitiorum impotentiſſimus, ut ſpirare clades, afflare incendia, moliri ruinas videretur. Capuam ingreſſus Pandulphum Faſanellam Præfectum in ea conſtituit. Capua Averſam, quæ una in Campania defecerat, copias movit, eamque à fundamentis, ut author eſt Collenucius, evertit. Pecellus in quadam oratione, quam de illius urbis laude habuit ſola tum mœnia à Carolo diruta affirmavit. Riburſam familiam penitus delevit, ejuſque Principi Riccardo defectionis authori caput Neapoli obtruncavit. Andream Jacobum Neapolitanum, qui Riccardum ex fuga comprehenderat, multis muneribus affecit. Hac nimia Caroli in Averſanos ſeveritate, ad Apulos delata, multę urbes, ac oppida, quæ in ea mutatione fortunæ deſciverant, ſupplices ad eum per Legatos venerunt, multis precibus præteritorum veniam poſtulantes, quibus Carolus præter omnium opinionem pepercit, aſſerens earum urbium ruinam in ſuum damnum cedere, mutuamque perniciem futuram: ac tot ſe viribus minui, quot earum diruiſſet; omniumque, qui peccarunt, communi ruina, everti hominum genus, non vitia emendari: ſatis eſſe ſi pauci, qui cęteris documento eſſent, punirentur. At Proceres, Toparchæque, qui Conradini adventu erecti, Caroli jugum excuſſerant, atque ad arma concurrerant, ejuſdem mox clade comperta, vehementer animo perturbati; initoque inter ſe conſilio, modum quæſiverunt, quo in victoris gratiam redirent. Verum hominis crudam indolem mox recogitantes, veniam ſe conſecuturos deſperarunt; inque munita loca confugerunt, ibique ſe tueri armis ſtatuerunt. Carolus plures in eos Duces immiſit, qui illos aggreſſi deleverunt, cunctaque rapinis, ac cędibus replerunt: quæ fusè rememorare, ne nimium in noſtris calamitatibus morari videar, de induſtria omitto. Duo tamen præ cæteris referre non ſine operæ pretio erit; ut ex illis poſteri ſciant, quid ipſis in ſimili caſu magis expediat. Potentia urbs eſt Lucanorum præcipua, quæ poſtquam à Carolo defeciſſet, ut gratiam inde victoris iniret, ſcelus ſcelere expiandum duxit. Univerſos nobiles, in quos plebs rebellionis cauſam refundere ſatagebat, internecione delevit, paucos, qui

qui apud multitudinem miſericordiam invenerunt, captivos ad Carolum adduxit, qui id ſui gratia factum ducens, ut ab ſe maculam amoliretur, diripi urbem; ſoloque æquari mœnia imperavit: itaque factum, ut Ordo, & Populus pœnas perſolverint. Cornetum modicum Apuliæ oppidum, & Monachis D. Benedicti parebat, ejus cives, tumultu excitato, Gallorum equos, qui apud ſe erant, Conradini amicis dederunt; ut vero perfidiam tegerent, majori ſe crimine obligarunt. Cum enim Petrus Belmontius Gallus, qui deinde à Carolo, non Belmontii, ut perperam Collenucius, ſed Montis Canoſi Comes creatus; & Rogerius San ſeverinius, qui Aſculi cum copiis erant, cohortem illicò miſiſſent, ut Cornetum obſiderent, illi cum ab illorum vi ſe armis defendere deſperarent, Proceres, qui authores fuerant, ut Apuliæ loca rebellarent, in oppidum invitarunt; ut ſic viribus in unum junctis Regiorum impetum retunderent: illi haud omittendam occaſionem rati, ſtatim in oppidum ſe receperunt. Eorum præcipuò Robertus à Sancta Sophia, & Henricus Petrapalumba numerabantur. Dum verò ad menſam accumberent, Cornetani, ut conventum inter ipſos erat, illos ex improviſo cum armis adorti, univerſos ferme comprehenderunt, vinctoſque ad Caroli Duces Aſculum deduxerunt. Ex his tres ſupra C. ſtatim ſuſpendio necati: reliqui Melphiam tranſducti, ibique ex rupe præcipites acti. Hujuſce verò crudelitatis exempla tot, & tam frequentia tum fuere, ut nullus in Apulia, Calabriaq; locus fuerit, qui toto eo anno cæde, luctuque vacaverit, cunctique rediiſſe priſca barbarorum tempora querebantur.

Non melior Siciliæ conditio fuit; nam Carolus, cujus pectus ira, ac vindictæ ſtudio æſtuabat, prævalidam multarum navium claſſem, Ducibus Vidone Monfortio, Philippo hujus fratre, Guielmo Belmontio, & Ettendardo, cum Gallis, ac Provincialibus cohortibus, ut rebelles ad interneccionem perſequerentur, in eam immiſit. Tenebat tum inſulam, & Conradini partes fovebat Conradus Antiochenus, Friderici ejuſdem cognominis filius, qui Friderici Cæſaris nothus fuerat: ei univerſa fermè oppida, ac Proceres, qui à Carolo rebellaverant, tamquam Conradini Legato parebant. Ubi verò, navigare claſſem, nec longe à Meſſana eſſe, rumor evulgatus, urbes, quæ defecerant, ad Regios Duces Legatos miſerunt, veniam anteactorum petentes, ſeque in Regis poteſtate futuras. Fridericus Caſtellanus, & Conradus Capycius, re cognita, ad Piſanas naves confugerunt, ac Piſas, Sicilia relicta, navigarunt. Tum Antiochenus ab omnibus deſertus Centuripem munitiſſimam ſitu arcem confugit. Intereà Monfortius Sicilia ſine labore, ac ſuorum ſanguine recuperata, ad obſidendum Conradum proceſſit; ut eo ſublato, omnis in poſterum belli materies tolleretur.

num, & Galeottum filium obtruncat, & Coſantio, qui pro eo mortem fortiter obiverat, inferias mittit. Romæ res urbis ad Guelforum arbitrium diſpoſuit, atque ordinavit, Senatorque Renunciatus, id munus Jacobo Cantelmo, non Catalano, ut quidam perperam ſcripſerunt, commiſit. Nobilis hic vir ex Scotorum Regum ſanguine originem trahebat, ejuſque Majores è Britannia in Galliam jamdudum commigraverant, inque Provincia ſedem fixerant, ex qua Neapolim venerunt; qua in urbe populares jam facti uti Regii ſanguinis Principes habentur. Carolus urbe tandem egreſſus, tanta ira, atque odio in rebelles, quorum vitiorum impotentiſſimus, ut ſpirare clades, afflare incendia, moliri ruinas videretur. Capuam ingreſſus Pandulphum Faſanellam Præfectum in ea conſtituit. Capua Averſam, quæ una in Campania defecerat, copias movit, eamque à fundamentis, ut author eſt Collenucius, evertit. Pecellus in quadam oratione, quam de illius urbis laude habuit ſola tum mœnia à Carolo diruta affirmavit. Riburſam familiam penitus delevit, ejuſque Principi Riccardo defectionis authori caput Neapoli obtruncavit. Andream Jacobum Neapolitanum, qui Riccardum ex fuga comprehenderat, multis muneribus affecit. Hac nimia Caroli in Averſanos ſeveritate, ad Apulos delata, multę urbes, ac oppida, quæ in ea mutatione fortunæ deſciverant, ſupplices ad eum per Legatos venerunt, multis precibus præteritorum veniam poſtulantes, quibus Carolus præter omnium opinionem pepercit, aſſerens earum urbium ruinam in ſuum damnum cedere, mutuamque perniciem futuram: ac tot ſe viribus minui, quot earum diruiſset, omniumque, qui peccarunt, communi ruina, everti hominum genus, non vitia emendari: ſatis eſse ſi pauci, qui cęteris documento eſsent, punirentur. At Proceres, Toparchæque, qui Conradini adventu erecti, Caroli jugum excuſſerant, atque ad arma concurrerant, ejuſdem mox clade comperta, vehementer animo perturbati; initoque inter ſe conſilio, modum quæſiverunt, quo in victoris gratiam redirent. Verum hominis crudam indolem mox recogitantes, veniam ſe conſecuturos deſperarunt; inque munita loca confugerunt, ibique ſe tueri armis ſtatuerunt. Carolus plures in eos Duces immiſit, qui illos aggreſſi deleverunt, cunctaque rapinis, ac cędibus replerunt: quæ fusò rememorare, ne nimium in noſtris calamitatibus morari videar, de induſtria omitto. Duo tamen præ cæteris referre non ſine operæ pretio erit; ut ex illis poſteri ſciant, quid ipſis in ſimili caſu magis expediat. Potentia urbs eſt Lucanorum præcipua, quæ poſtquam à Carolo defeciſset, ut gratiam inde victoris iniret, ſcelus ſcelere expiandum duxit. Univerſos nobiles, in quos plebs rebellionis cauſam refundere ſatagebat, internecione delevit, paucos,

qui

qui apud multitudinem miſericordiam invenerunt, captivos ad Carolum adduxit, qui id ſui gratia factum ducens, ut ab ſe maculam amoliretur, diripi urbem; ſoloque æquari mœnia imperavit: itaque factum, ut Ordo, & Populus pœnas perſolverint. Cornetum modicum Apuliæ oppidum, & Monachis D. Benedicti parebat, ejus cives, tumultu excitato, Gallorum equos, qui apud ſe erant, Conradini amicis dederunt; ut vero perfidiam tegerent, majori ſe crimine obligarunt. Cum enim Petrus Belmontius Gallus, qui deinde à Carolo, non Belmontii, ut perperam Collenutius, ſed Montis Canoſi Comes creatus; & Rogerius Sanſeverinius, qui Aſculi cum copiis erant, cohortem illicò miſiſſent, ut Cornetum obſiderent, illi cum ab illorum vi ſe armis defendere deſperarent, Proceres, qui authores fuerant, ut Apuliæ loca rebellarent, in oppidum invitarunt; ut ſic viribus in unum junctis Regiorum impetum retunderent: illi haud omittendam occaſionem rati, ſtatim in oppidum ſe receperunt. Eorum præcipuè Robertus à Sancta Sophia, & Henricus Petrapalumba numerabantur. Dum verò ad menſam accumberent, Cornetani, ut conventum inter ipſos erat, illos ex improviſo cum armis adorti, univerſos ferme comprehenderunt, vinctoſque ad Caroli Duces Aſculum deduxerunt. Ex his tres ſupra C. ſtatim ſuſpendio necati: reliqui Melphiam tranſducti, ibique ex rupe præcipites acti. Hujuſce verò crudelitatis exempla tot, & tam frequentia tum fuere, ut nullus in Apulia, Calabriaq; locus fuerit, qui toto eo anno cæde, luctuque vacaverit, cunctique rediiſſe priſca barbarorum tempora querebantur.

Non melior Siciliæ conditio fuit; nam Carolus, cujus pectus ira, ac vindictæ ſtudio æſtuabat, prævalidam multarum navium claſſem, Ducibus Vidone Monfortio, Philippo hujus fratre, Gulielmo Belmontio, & Ettendardo, cum Gallis, ac Provincialibus cohortibus, ut rebelles ad internecionem perſequerentur, in eam immiſit. Tenebat tum inſulam, & Conradini partes fovebat Conradus Antiochenus, Friderici ejuſdem cognominis filius, qui Friderici Cæſaris nothus fuerat: ei univerſa fermè oppida, ac Proceres, qui à Carolo rebellaverant, tamquam Conradini Legato parebant. Ubi verò, navigare claſſem, nec longe à Meſſana eſſe, rumor evulgatus, urbes, quæ defecerant, ad Regios Duces Legatos miſerunt, veniam anteactorum petentes, ſeque in Regis poteſtate futuras. Fridericus Caſtellanus, & Conradus Capycius, re cognita, ad Piſanas naves confugerunt, ac Piſas, Sicilia relicta, navigarunt. Tum Antiochenus ab omnibus deſertus Centuripem munitiſſimam ſitu arcem confugit. Intereà Monfortius Sicilia ſine labore, ac ſuorum ſanguine recuperata, ad obſidendum Conradum proceſſit; ut eo ſublato, omnis in poſterum belli materies tolleretur.

tur. Oppidani, tum arcis ſitu, tum Conradi oratione animati; odioque in Gallos accenſi tueri oppidum ſumma vi cęperunt, atq; eruptione ſæpius facta, hoſtes in ipſo caſtrorum vallo adorti, pluribus cæſis, repulerunt. At quoniam fruſtra pauci ſe multitudini opponunt, vi tandem captum eſt oppidum, oppidani ad unum cęſi; arx à fundamentis everſa. Conradus, qui paulo antequam oppidum caperetur æquis ſe conditionibus dedere volebat, non eſt acceptus, ſed vi cum reliquis captus: quem Galli luminibus ſtatim privarunt; inde unà cum ſociis raro crudelitatis exemplo ſuſpendio necarunt; cujus immanitatis, ac vindictæ, raro quidem exemplo, uno eodemque momento univerſi pęnas luerunt. Conrado infeliciter ſublato, reliqui Sicilienſes, qui eo bello Conradini partes ſecuti fuerant, ſe Vidoni tradiderunt, quorum plerique bonis ſpoliati, alii vertere ſolum juſſi, novum populis tributum impoſitum, tantaque Præfectorum violentia extorqueri cœptum, ut omnium Siculorum animi vehementer à Carolo alienati; & eò pręcipuè, quod ne à fęminis quidem abſtinerent. Ne verò oppida res novas molirentur, præſidia in illis impoſita, quod remedium ipſo malo pejus fuit, ut brevi eventus comprobavit.

HI-

HISTORIÆ NEAPOLITANÆ

LIBER VICESIMUS.

CArolus externo hoſte profligato, ſuiſque ad obſequium revocatis, pacaſſe jam gentes, ſecurumque habere imperium ratus, ſe totum ad exercendam munificentiam convertit. Eos Gallorum Proceres, qui ſecum venerant, fortiterque in acie decertarant, & qui ex Neapolitano, ac Sicilienſi Regno ſuarum partium fuerant, tot muneribus donavit, tot titulis, ac Toparchiis inſignivit; ut munificentiorem illo Regem invenias neminem: Imo ſi cum Alexandro, qui magnam orbis partem obtinuit, atq; inter liberaliſſimos Principes eſt habitus, conferre velis, largiorem fuiſſe Carolum, qui duo tantum regna eſt adeptus, non temere firmaveris. Quippe liberalitate ſibi viam ad gloriam ſtraviſſe viſus: & non ſibi, ſed aliis tantis periculis, ac ſanguine regna quæſiviſſe: nullus penè fuit, qui partem aliquam ejus terræ, quam acquiſiverat, non habuerit. Quos univerſos referre longum, ac laborioſum eſſet; nec mihi feſtinanti conceſſum: ſed ne illuſtriores præteriiſſe mihi vitio vertatur, ſummatim, eos perſtringam. Primus, in quem Caroli beneficentia effuſa, & quidem meritiſſimè, Alardus fuit, cui ille relatam de Conradino victoriam debebat: eum Amalphis, ac Surrenti nobiliſſimarum urbium Comitem creavit: & ut apud

ſe Neapoli maneret, vehementer rogavit. Verum cum ex jis Alardus eſſet, qui juſtam humanarum rerum æſtimationem habentes, nihil earum magni faciunt, fluxumque tenere Principatum dedignantur, gratiis Regi actis, oblatam dominationem reſpuit: aſſerens ſe non præmiorum ſpe, ſed amore Ludovici Regis, eam expeditionem ſuſcepiſſe: nec alium ex ea fructum, quam facti gloriam, atque Eccleſiæ utilitatem quæſiviſſe. Rarum modeſtiæ, ac contemptus rerum humanarum exemplum, quod quidem omnes laudabunt, quam pauciſſimi imitabuntur: dignus ob id, ut inter præclaros heroas adnumeretur. Cujus, & ſe, cupiditatemque viciſſe, major laus erit, quam hoſtes potentiſſimos ſuperaſſe. Secundum locum Gulielmus Belmontius tenuit, quem Carolus Siculi maris Præfectum creavit, & Caſertæ Toparchiam cum omnibus jis oppidis, ac prædiis, quæ Riccardus poſſederat, donavit. Tertius Gulielmus Eſtendardus eſt numeratus; illum *Equitum Magiſtrum*, atque Argentii Toparcham inſtituit, totque agris donavit; ut eorum temporum ditiſſimus *haberetur*. Quarto loco Philippus Balduini Cæſaris filius fuit, cui Carolus filiam deſponderat, opemque ad recipiendum Imperium, ex quo à Palęologo expulſus cum patre fuerat, promiſerat: ut interim honeſtè viveret, Alyphas, Calem, & Sinveſſam Auruncam in poſſeſſionem dedit, earumque urbium titulo cohoneſtavit. Gulielmo Clineto Calatiam, nobile oppidum cum circumpoſitis pagis eſt elargitus. Beltranno Baucio Junonis Fanum, Archem, aliaque plurima his finitimis loca donavit. Rodulphum Corciniacum Nobilem virum Theatinum Comitem dixit, Auxenumque maritimam in eo tractu urbem, muneri adjunxit. Vidoni Monfortio, cujus parenti plurimum ſe Carolus debere profitebatur, ut oppido nomen reſponderet, Monfortium in Hirpinis donavit; Comitiſque titulo decoravit, eique Nolam nobiliſſimam Campaniæ urbem, & Atripaldiam cum pluribus pagis dedit. Henricum Vademontium Ariani Comitem inſtituit; ejuſq; ditionis loca præmia victoris fecit. Hugoni Brennenſi Luſpienſem Comitatum reſtituit veriùs, quam donavit; quamquam & maximum munus eſt habitum, quod id reddiderit, quod jure negare potuiſſet. Eam ditionem Tancredus, priuſquam Siciliæ Rex ſalutaretur, poſſederat, inde Albiriæ uni ex natis pro dote reliquit. Albiria Gualterio Brennenſi nupſit, filiumque de patris nomine appellatum progenuit. Hic Ugone generato, in Græcia diem obivit. Ugonem inter ſuos Duces Carolus numeravit; & pro navata egregiè opera, paternam ditionem reſtituit. Nec ultimo loco Caroli Munificentiam Cantelmia gens experta; nam ob egregia Jacobi in eo bello geſta, Soram nobilem ad Lirim urbem, Comitatus titulo obtinuit, Albitique ditione, & pluribus oppidis donata. Petrus

Ruf-

Ruffus, qui quoniam in Manfredum cojuraverat, Catacio ejectus fuerat, in eam urbem ulterioris Calabriæ Principem à Carolo eſt reſtitutus. Rogerius Sanſeverinius Marſicum, quo illum Manfredus exuerat, recepit, & Comes à Carolo eſt creatus. Verum in homine, cujus potiſſimum opera, tam opulenta regna Carolus obtinuerat, quique generis claritate cęteris prælucebat, parva admodum Regis munificentia eſt habita. At ſagax homo, cum videret acris illum ingenii virum eſſe, multæque potentiæ, ac plurimos clientes habere, timuit, ne ſi majori eum ditione auxiſſet, aliquando æmulum pateretur. Atque ob id etiam creditum, ſpecioſo Vicarii titulo ad Jeroſolymitanum regnum adminiſtrandum longè in Aſiam amandatum. Miſera eorum conditio, qui cum ob ea, quæ in ſuos Principes egregiè ediderunt, commendandi, ac donandi eſſent, ſuſpecti habentur: Nocet interdum nimia fortuna, & inſignis virtus.

Porrò Carolus poſtquam ſuos Duces beneficiis eſt complexus; & regnorum ſecuritati hac ſibi parte providiſſe eſt viſus, ad eam curam animum intendit, quæ illum non mediocriter ſolicitabat: quid nimirum de Conradino, quem jam annum vinctum habebat, tandem ſtatueret. Omnium ordinum conventum indixit, ut illius authoritate, quod ipſe privato conſilio jam fuerat præmeditatus, decerneretur: & ſic facti invidiam ab ſe amoliretur. Convenere Neapolim Proceres univerſi, ac omnium urbium Legati, certoque die conventus eſt celebratus: in eo cum de captivis primum retuliſſet, quid de illis decernerent, ſententiam rogavit. Quæ vero contra illos afferebantur, hæc capita erant: quod in Regem, ut illum vita, regnoque ſpoliarent, conjuraſſent: quod duorum regnorum quietem magna hominum ſtrage, urbiumque excidio turbaſſent: quod Pontificis majeſtate contempta, illius juſſis non obtemperaſſent: Eccleſias expilaſſent, ac divina, humanaque omnia evertiſſent. Quibus auditis, fermè cuncti, qui in eo conventu erant, cùm in captivorum necem inclinare atrocis ingenii Principem, imo & velle intelligerent, illos Majeſtatis reos pronunciarunt; ultimoq; ſupplicio mulctandos, cenſuerunt. At Robertus Flandriæ Comes, aliique nobiles Galli, qui, cognito Caroli ingenio, jam iter in patriam moliebantur; ideoque in ferendo ſuffragio, liberi, ut qui nihil ab illo, aut ſperabant, aut timebant, negarunt Regios viros, qui regnum armis repetere ſe jure arbitrati eſſent, capitis damnandos. Neque eam ſententiam probandam eſſe, qua non Germanorum modò, ſed cunctarum gentium ſibi odium conflaturi erant; magnaque invidia accenſuri. Satis pęnarum luiſſe, quod victi acie, captique fuiſſent, nec licere victori Fortunæ beneficio impotenter uti, daret ipſe victis veniam, quam ſibi dari voluiſſet. At verebi-

tur

tur quis, ne captivis dimiſſis, novum bellum exoriatur? eſto: erit nobis nova exercendæ virtutis materia, & fortaſſe nova victoriæ gratulatio: verum quicumque eventus futurus ſit; ſi peccandum Principi, nimia illum benignitate potius, quam ſeveritate peccaſſe decet: illam laudabunt vel hoſtes, hanc amici etiam reprehendent. Sed Carolus, qui jam in Græciam animum intenderat, & ſpe Orientis Imperium devoraverat, ratus haud tuto in externos hoſtes inferre arma poſſe, niſi omnem domi turbarum materiam extinxiſſet; & hanc, vivo Conradino, ſemper extituram, illum de medio tollere jam fixum in animo habebat. Difficile in eo pectore honeſtatis, ac miſericordię jura locum habent, quod ſemel regnandi cupido occupavit: atrociorem ſententiam ſequi maluit, ſibique & jure, & honeſtè feciſſe eſt viſus, quod in communiorem ſententiam iviſſet. At non ea communis cenſenda erat, quam unus ipſe, reliquos vel ſpe, vel timore impellens, communem feciſſet: conſuetum Principibus, qui cum quod velint, jure feciſſe videri ſatagunt, in ſuas judices partes trahunt: dumque amoliri à ſe invidiam ſtudent, majorem conflant. Falsò tamen Germani quidam ſcripſerunt, Clementem æquum, ac pium Pontificem authorem apud Carolum fuiſſe, ut Conradino necem inferret. Etenim Clemens XI. Kal: Jan: è vivis exceſſerat; Conradini mors accidit V. Kal: Nov: ſequentis anni: neque vero ſimile eſt ante X. menſes Carolum de ea Pontificem conſuluiſſe. Sed faciunt pro ſuo more illi authores, qui odio in Romanam Eccleſiam licentius, quam verius ſcribunt. Conradini, ac ſociorum cæde in eo conventu decreta, exequi ſententiam Carolus ſtatuit, legeque in illos agi, imperavit. Ampliſſimum Neapoli nundinarum forum eſt, inque extrema urbis regione, quæ ad Orientem vergit, & mare ad meridiem habet, ſitum eſt: hic eo loci, ubi nunc ob facti memoriam columna erecta eſt, in conſpectu ædiculæ Virgini à Carmelo nuncupatę (ampliſſima exinde ædes, & Carmelitarum cœnobium evaſit, eique urbis regioni nomen dedit) peramplum oloſericum villoſum coccineum, ut ferali pompæ deſerviret, humi ſtratum eſt, inque eum locum Conradinus, Dux Auſtriæ, Comes Girardus Piſanus, Tuſcorum in eo prælio ductor, Harnaiſus nobilis Germanus, & Henricus Caſtellanus, ut quidam tradunt, ſunt deducti. Villanus Florentinus eorum temporum ſcriptor Galvanum Comitem, Galderanum, & Bartholomæum Geſualdum unà cum duobus liberis in eum locum pariter deductos memoriæ tradidit. Poſt hos Riccardus Riburſa, Joannes Grottæ Toparcha, Marinus Capycius, & Rogerius Buſſus è cuſtodia educti, & juxta primos collocati. Convenerant ad lugubre illud ſpectaculum, & rarò alias viſum tum Neapolitani, tum Galli innumera multitudine, quam è vicinis locis tantæ rei fama accitæ gen-

tes vehementer auxerunt. Adfuit Carolus in pegmate tam longe conſtituto, ut ſpectare univerſa commode poſſet, non verò quæ dicerentur, audire: quod quidem illi univerſi fermè Scriptores vitio verterunt; abſtinere quippe ab eo ſpectaculo debuiſſet, quod non clementiæ Principis, ſed atrocitatis argumentum erat, imo atrata etiam in veſte mœrorem oſtendere, ut invitus ad tam illuſtrium virorum necem deſcendiſſe videretur. Uſque adeo prudentiſſimi quique peccant, ubi non ſana quædam cupiditas animum invaſit. Reis ita conſtitutis, tribunal ad id erectum Robertus Barienſis primus Regis Tabellarius conſcendit, illos è ſcripto reos mortis præter unum Henricum pronunciavit, qui id circo in perpetuum carcerem, pro morte, quam ſubiturus fuiſſet, damnabatur, ut data Caſſinati Præpoſito fides ſervaretur: ea enim ille conditione tradiderat, ut nimirum ſanguini parceretur. Lecta deinde capita, ob quæ ad necem rapiebantur, quod Eccleſiæ pacem perturbaſsent, quod Regium titulum Conradinus affectaſset; reliqui ad invadendam alienam ditionem conſilio, & ope adjuvaſsent, inque legitimi Principis caput conjuraſsent. His lectis, Conradinus, ut quidam eorum temporum Juriſconſultus Neapolitanus memoriæ mandavit, ita Tabulario reſpondit: Serve nequam tu reum feciſti filium Regis? anne ignoras quod par in parem non habet imperium? Inde ad aſtantem multitudinem converſus, ſe nunquam in animo habuiſſe, ut Eccleſiæ vim inferret, aut illius pacem perturbaret; ſed tantum ea regna, quæ paterna ſibi hæreditate obvenerant, & injuſtè occupata fuerant, armis reciperet, ſanctè affirmavit. Sperare etiam ſe Bavariæ Duces, ac Germanos ſuos nunquam paſsuros, ut ejus mors inulta remaneret. Inde chirothecam è manu extractam in mediam turbam projecit, addens ſe Fridericum Caſtellæ Regis filium hæredem inſtituere. Maurolycus Petrum Aragonium Conſtantiæ virum hæredem dixiſse annalibus tradidit. Erat Conſtantia Manfredi filia, quæ Petro nupſerat. Chirothecam (annulum alii è digito eductum fuiſse ſcripſerunt) Henricus quidam cognomento Piſerus à multitudine acceptam ad Petrum duxiſse fertur: atque ob id ab eo largè donatus, & ut Svevorum inſignia in ſtemmate appingeret, obtinuiſse. Ego hæc popularia, & pro partium ſtudio plerumque confiæta uti firmare pro certis non habeo, ita nec rejicio. Sententia lata Robertus Flandriæ Comes, ut Villanus eſt author, ira inflammatus, quod tam indigna nece Regii ſanguinis viri afficerentur, Robertum Tabularium gladio trajecit; non licere, inquiens, eos viros morte mulctari: quod factum, uti à multis externorum Procerum approbatum, ita à Carolo diſſimulatum: cui ſatis erat, ſi illi tollerentur. Verùm cum poſt eum annum pluri-mæ tabulæ reperiantur, quæ Roberti Barienſis nomine obſignatæ,

vel

vel id falſum, vel illę ſunt confictæ, aut obſignationis tempus vitiatum. Ego rem alioqui non veriſimilem in medio relinquam. Primus, cui caput eſt obtruncatum, fuit Fridericus Dux Auſtriæ ex Comitibus Aſpurgenſibus natus. Ferunt eo momento, quo reciſum eſt caput, bis Virginem Matrem appellaſſe: vel quod verius, editam ante vocem tum ad aſtantium aures perveniſſe. Conradinus non tam ſua, quam miſera Ducis ſorte triſtis, multis lacrymis, ingentique animi dolore caput manibus accepit, ac pluries deoſculatus ad pectus ſtrinxit: ſeque ipſum accuſabat, quod à chara genitrice abſtractum ad eas miſerias pertraxiſſet; inde in genua procidens præteritorum veniam à Deo petiit, collumque carnifici dedit: carnificem carnifex alter illicò jugulavit; ne ſe jactare potuiſſet, quod Regios viros morte mulctaſſet: infelix carnifex, qui non niſi Principis immanitate peccaſſe viſus eſt. Reliqui Proceres rebellium more ſuſpendio necati. Occiſorum corpora diu humi jacuerunt: nec fuit, qui ea tumulare ſit auſus. Tandem Carolus ſive à ſuis Magnatibus rogatus, ſive quod eum puderet, in mortuos ſævire, ſepeliri juſſit; ſed nulla funebri pompa efferri voluit, nec ſacro in loco deponi, quod anathemate perculſi obiiſſe dicerentur. Eo igitur in loco, ubi ſumptum ſupplicium eſt, fovea excavata, inque illam corpora conjecta; aggeſtaque inde humo tumulata. Atque hic finis Conradini fuit, cujus ut infelix, ac miſerabilis caſus, ita documento eſse Principibus poterit, ne inani proditorum ſpe, nec ſatis validis amicorum auxiliis confiſi dubiis ſe bellis committant: quibus ſibi, & ruinam, atque extrema fata, nec ſuis natalibus digna, debita tamen temeritati accerſant: ſciantque quo altiori ſe loco collocatos ſpectant, eò facilius Fortunæ ictibus patere; ipſorumque caſus & præcipites, atque acerbiores eſse. Ex ea verò, quam ſibi Carolus invidiam conflavit, erudiri poterunt in victos Principes, & æquales ſibi non ira impotenti ſæviendum, ſed adhibendam clementiam eſse, qua ſi non victorum, quod rarò accidit, omnium certè gentium ſibi amorem, ac ſtudia conciliabunt; veræque fortitudinis, qua continere ſe valuerunt, laudem conſequentur. Dum hæc Neapoli agebantur Margarita Conradini mater, magna à ſuis pecunia coacta, Germania diſceſserat, Neapolim petitura, ut filium quocumque pretio redimeret. In itinere infauſtum nuncium accepit: quo ceu fulmine percuſsa, diu attonita præ doloris magnitudine hęſit: nec loqui quidquam valuit: mox veluti excitata in uberes lacrymas effuſa, inque lamentabiles queſtus abivit; miſeram filii necem deplorans. Præſcium ſibi fuiſse animum, ajebat, cum repetitis Gibellinorum precibus miſsuram ſe illum in Italiam negaverat, ac victam tandem importuniſſimis hominum petitionibus, filiique voluntate; qui vel ea invita, certus eundi

erat,

erat, facultatem dediſſe, incautam idcirco, ac ſtultam ſe identidem appellabat, quod vaniſſimorum hominum verbis credidiſſet. Maſculo inde animo pergere Neapolim ſtatuit; ut ſaltem ſepulchri honore filium cohoneſtaret; nigra navi, nigriſq; armamentis inſtructa, Neapolim appulit, ut Raimnes nobilis vir in ſuis commentariis ſcriptum reliquit. Neapoli ab Archiepiſcopo Ayglerio, qui tum eam Eccleſiam regebat, omnibus humanitatis officiis, quæ & Paſtorem, & hoſpitem decebant, excepta. Poſt aliquot dies per internuntium Carolum rogavit, ut ſineret ſe filio juſta eo modo, quo valuiſſet, perſolvere: eoque loci, quo periiſſet, ex marmore ſepulchrum extruere, ne Friderici nepos, Conradi filius ita abjectus jaceret. Carolus rem ad concilium ſuorum retulit, quo coacto, cum ſententiæ rogarentur, viſum univerſis ne id permitteretur, futurum ſepulchrum illud perpetuum Germanis ſtimulum, ut ad vindicandam Conradini necem venirent; quaſi verò ſola facti memoria apud omnes poſteros duratura, non acer ad vindictam ſtimulus eſſe potuiſſet. Nempe in hujuſmodi conciliis plus adulatio in Principem, quam ratio ad decernendum valet. Ne verò Margarita omninò triſtis recederet, ejuſque pietati aliquo modo ſatiſfieret, cenſuerunt, ut Conradini corpus ex loco ubi jacebat, educeretur, inque ędem Virginis Carmelitarum illatum ſub ara maxima illius Eccleſiæ conderetur; itaque fieri ut ſacro loco donatum honoratius quieſceret. Margarita cum nihil ultra extorquere precibus potuiſſet, eo honore cadaveri conceſſo, acquievit. Memorabile maternæ charitatis exemplum, futurum apud omnes poſteros uti maximè commendabile, ita imitatione digniſſimum. Inde ut monumentum ſepulchro dignius, ac perennius extrueret, eam ædiculam ampliorem conſtituit; ideoque eam pecuniam, quam pro redemptione adduxerat, ad pium illud opus impendit. Ex quo nobile templum, ac cœnobium Carmelitarum evaſit: tantum exinde in eam Virginem populi pietas aucta, ut quotidie magno concurſu adeatur: Carolus ne pietate ſuperari videretur, locum ad ædem amplificandam, qui Moricinus campus dicebatur, ultro conceſſit: Carmelitæ beneficiorum memores annua ſacra pro Margarita, & filio faciunt. In principe ara Virginem in cœlum emigrantem pinxere, quæ mox pictura eum in locum translata, ubi conventus celebrare conſuerunt. In ea verò ædicula, qui noſtra ætate poſt maximam aram, & Odeum eſt, & ubi Conradini oſſa jacent, pulcherrima Carmelitæ Virginis imago viſitur, ſummaque religione habetur, perpetuiſque ignibus collucet, quam ex legato Fortunati Carafæ Cardinalis argenteo opere adornari Cardinalis Cantelmus Præſul, pro ſua in Virginem pietate, curavit. Hujus Margaritæ munificentiæ memores Neapolitani eam ex marmore ſtatuam po-

ſuiſſe perhibentur, quæ juxta ædiculam ubi Conradinus occubuit, ad hæc tempora viſitur. Sunt qui ſcripſerint, ubi ſupplicium è victis ſumptum, & ubi ſub Joanna I. Dominicus Perſius Coriarius ædiculam inſtruxit, & ex porphyrite columnam cum præfixa Cruce erexit, viſum continuò circulum quaſi digito ſignatum, eumq; locum toto anni tempore, quaſi aqueis guttis aſperſum humeſcere, quod prodigii loco vulgus habere creditur. Sed mihi fabulæ loco id ſemper eſt habitum.

Ut igitur ad inſtitutum redeam. Clemente è vivis ſublato, magnum inter Patres diſſidium in comitiis fuit: nam cum privatum quiſque commodum, ut plerumque in humanis uſuvenit, non verò publicam utilitatem quæreret, non una omnium de ſummo Pontifice creando ſententia erat. Nec multo felicior in Auguſtalibus comitiis res ibat. Etenim Riccardo in Anglia defuncto, qui cum Alphonſo Caſtellano de Imperio contenderat, & quibus altercantibus longum interregnum fuerat, Germaniæ Principes ad novum Cæſarem creandum convenerant. Verum tantæ iterum diſcordiæ inter illos ſunt exortæ, ut nullatenus convenerint, ut tandem Imperii bono conſulentes Imperatorem eo anno dicerent. Haud equidem ab jis Reipublicæ ſperanda eſt ſalus, qui vel alterius partis odio præoccupati, vel proprii lucri cupidine accenſi, ęqui ſuffragii libertatem non habent.

Per idem tempus, cum plurimi ex diverſis Italiæ locis Neapolim confluerent, civium numerus vehementer excrevit: multitudineque in dies creſcente, pauperes pariter multiplicati, quorum plerique omni ope deſtituti, miſerè peribant. Cui malo tum Neapolitani, tum Galli, qui frequentes urbem incolebant, conſulere ſtudentes, Noſocomium Sanctorum Dionyſii, Martini, atque Eligii titulo inſignitum, in quo pauperes, & præcipuè hoſpites alerentur, regia penè munificentia extruxerunt. Sodalitium ſimul piorum hominum inſtitutum, qui Noſocomii curam ſuſciperent. Ex his tres Galli fuerunt, Joannes Bottinus, Gulielmus Burgundio, & Joannes Lionius: illos vulgus popularium Sancti Loyæ coquos idcirco appellant, quod regiæ culinæ miniſtri fuiſſent. Hi ad pium opus efficiendum inflammati, locum à Rege inter novam portam, & Jeroſolymitanum Xenodochium obtinuerunt. Ayglerius Præſul cum opus illud & civitati commodum, & utile peregrinis futurum animadvertiſſet, Sacerdotibus, qui in eo Noſocomio miniſtraturi, ac ſacra facturi erant, ut jis omnibus, qui ad Noſocomii ædem veniſſent, ſacramenta Chriſtiano ritu impertirent, poteſtatem fecit. Mox æde ingenti ſumptu extructa, inter tres illos Gallos, qui operis authores extiterant, orta lis eſt; cui potiſſimum ex tribus Divis, quorum auſpiciis cæpta, dedicaretur: dum verò

ſuum

Digitized by Google

ſuum quiſque præfert, ſortis arbitrio dirimi controverſiam placuit: tres ſchedulę aſſumptæ, quibus ſingulis ſingula eorum Divorum nomina ſunt inſcripta: inque ſacrum vas immiſſæ. Exin ſolemni ritu ſacroſancto Flamini hoſtia immolata; ut ſuo numine rem eam ageret. Sacro facto, una ex tribus ſchedulis ſorte educta, inque illa Eligii nomen inventum, inque hunc modum, lite dirempta, huic Divo ædes eſt dedicata. Nihilominus in more manſit, ut etiam Dionyſio, & Martino dies feſti quotannis agerentur, ne horum memoriam omninò aboliretur: ut autem Noſocomium unà cum Eccleſia rectè adminiſtraretur, certas leges communi ſuffragio latæ, quibus adminiſtri parere cogerentur: eas ſua Præſul authoritate confirmavit, ſanctèque ſervari juſſit. Imo ne quis illarum ignorantiam prætexeret, lege cautum, ut ſingulis annis in feſto D. Eligii publico in conventu legerentur. Principio hujuſmodi Noſocomium unà cum æde à quatuor ſodalitii viris eſt adminiſtratum, poſtea vero creſcente multitudine, ac magnitudine negotiorum, decretum, ut tres ex tota urbe delecti, quorum unus Regis vicem gereret, reliqui populi partes agerent, rem gubernarent: his ſubinde duo alii adjuncti, atq; hæc occaſio addendorum fuit. Plurimæ in urbe virgines parentibus orbatæ in magno amittendæ honeſtatis periculo ob pauperiem verſabantur: earum ad quindecim in ædem D. Catharinæ ſub cura honeſtarum mulierum exceptæ, quæ religionis cauſa in eam ædem ſe receperant, pieque vitam tranſigebant. Quia verò præ domus anguſtia, aliæ in eandem ædem admitti virgines nequibant, plebis ſcito cautum, ut Virgines Divę Catharinæ in D. Eligii domum tranſducerentur: aliæque etiam reciperentur, quæ ex juſto conjugio natæ, egeſtate opprimerentur: univerſæque à prima inſtitutione nomen retinuerunt, Divæque Catharinæ orphanæ Græco vocabulo appellatæ: hæ ſecutis inde temporibus in tantum numerum excreverunt, ut ad quingentas numerentur, quarum XL. fermè cœnobiticam vitam profitentur, ac divinis myſteriis vacant, reliquæ, ut maturæ viro, dote ab eadem domo accepta honeſtis hominibus nubunt: eidem domui publicum ærarium adjunctum, in quo civium pecunia cuſtoditur. In æde elegantiſſimum Virginis ſignum, multa populi religione cultum: ſanguinea in ore nota emicat; eamque prodigio enatam hac occaſione tradunt. Perditus homuncio, poſtquam aleis decoxiſſet, tanta ira, rabieque exarſit; ut horrenda in Superos convicia jacere non ſit veritus: conſuetum aleatorum vitium, qui cum pravam conſuetudinem, ac perditos mores damnare deberent, in Divos, quaſi verò jacturæ authores eſſent, ira impotenti deſæviunt. Quidam conviciis auditis, vehementer offenſus, ſeverè illum, at non prudenter reprehendit. Iratos ſedata ira facilè corriges, in eo impetu

petu furentes magis accendes. Aleator caſtigatione efferatior ædem ingreſſus Virginis ſignum pugione confodit; ex vulnere illicò ſanguis emicuit, manetque jam tum ea ſanguinis effuſi nota. Execrabile ſcelus ubi patuit, à lictoribus ad necem quæſitus. Ille timore pœnæ Florentiam, unde Neapolim commigraverat, fugit. At fruſtra fugam capimus cum vindex à tergo ſequitur Deus. Poſtquam prima nocte urbem ingreſſus in occiſum hominem, quem graſſatores pluribus ictibus confecerant, incurrit. Lictores, qui forte illac pertranſibant, rati eum homicidii auctorem extitiſſe, ſtatim vinxerunt, atque ad Prætorem urbanum duxerunt. Dum autem quæſtio haberetur, & tormenta expedirentur, ultro ſe faſſus reum mortis, non tamen quod homicidium patraſſet; ſed quod impium Neapoli ſacrilegium commiſiſſet: quod ubi Prætor per expeditum Hemerodromum Neapoli accepiſſet, ſuſpendio damnavit.

Sed tempus ut ad Carolum Regem revertamur, qui poſteaquam externo, domeſticoque hoſte ſublato, regna pacavit, præclariſque victoriis rem ſuam firmavit, totiuſque etiam Italiæ penes ſe arbitrium eſſet, ut nihil jam exiſteret, à quo timendum ſibi duceret, ad Græcam expeditionem, ad quam multo ante animum intenderat, quam primum maturandam, curam omnem convertit; ſperabat enim ſi generum in Orientis Imperium reſtituiſſet, magnam ad ſe Græcię partem perventuram. Cum vero in Pontificiis comitiis diſſidere Patres videret, nec poſt duos annos in creando Pontifice conveniſſe: & ſatis etiam intelligeret futurum Pontificem rebus ſuis & favere plurimum, & obeſſe poſſe, Romam ſe contulit, & Senatoriam Poteſtatem, quam multo ante ſibi collatam, in Henricum transtulerat, recepit. Quo magiſtratu inito, Gibellinos depreſſit, & Guelfos, qui jam erecti ejus authoritate erant, in majorem potentiam evexit, qui beneficii accepti memores, illi ſtatuam in Capitolio poſuerunt. Roma Piſas cum exercitu movit. Florentini, ac Lucenſes, rati Carolum Piſanorum ruinam meditari, contra communes hoſtes armati adfuerunt. At Piſani Caroli adventu cognito, oratores ad eum miſerunt, pacem petentes. Carolus, qui in Orientem intentus erat, & uti eo bello Piſanis navibus deſtinaverat, non ſolum petentibus dedit, ſed fœdus etiam cum illis percuſſit, ſeque illos cum Florentinis pacificaturum ſpopondit. Florentini etſi Piſanos maximè oderant, tamen ne Caroli imperia detractari viderentur, pacem cum Piſanis inivere. Carolus ea pace ſatis intelligens ſe Florentinos, & Guelfos univerſos offendiſſe, mitigare eorum animos ex parte voluit: ideoque Bonicii Podium, arcem eo tempore validam, in quam univerſi fermè Etruriæ Gibellini ſe, tanquam in aſylum receperant, admotis copiis obſedit: eique obſidioni Monfortium præfecit, qui poſtquam diu ſe hoſtes fortiter de-

defendiſſent, vi tandem cępit, atque è fundamentis evertit.

Etruriæ urbibus ad concordiam revocatis, Carolus plus gloriæ, quam prædarum ferens Romam revertitur, ovanſque in Capitolium eſt deductus. Poſt eam pompam, angi iterum animo cępit, quod nondum Viterbii ſacra comitia finem accepiſſent, nec facilè inter Patres componi lis poterat; videbat enim ſe in Orientem proficiſci minimè poſſe, niſi novus Pontifex cooptatus eſſet. Hæc eo meditante, oblata occaſio eſt, qua movere in barbaros arma, Eccleſiæque fines magna non ſui laude proferre potuiſſet. Ludovicus frater, cui dilatandę Religionis ſtudium ſemper maximum, ac primum fuit, animadvertens barbaros, qui Africæ maritima incolunt, ſacræ in Syriam expeditioni plurium prædatoriis navibus, quibus univerſa maria infeſtabant, obeſſe, optimum duxit, ſi hi primum Chriſtianis armis peterentur. Claſſe igitur, & exercitu adornato, bellum illis inferre ſtatuit; quia verò Carolus frater, terra, marique tum plurimum pollebat, & magnoperè illius intereſſet, ſi ea regna Siciliæ proxima debellarentur, ne qua ex Africa incurſio in eam inſulam à barbaris fieret; eum ad id bellum invitavit. Gratum id Carolo accidit; nam in ſuam utilitatem bellum illud ceſsurum arbitrabatur. Gratiis fratri peractis, quod ſe ad ſacrum in barbaros bellum evocaſset, venturum ſe omnibus copiis ſpopondit. Poſtea vero quam opportunum ad navigandum tempus nacti ſunt, in Africam Cruceſignati navigarunt, veteriſque Carthaginis portu occupato, copias expoſuerunt. Nam procul ab antiqua urbe, Africæ olim Principe, ac Romæ æmulà exiguus pagus ab antiquis temporibus fuit, XV. paſsuum millia ab ea diſtans, qui oppidum primum, mox ex Carthaginis ruinis urbs magna evaſit, vetus pagi nomen conſervans, Tunetumque etiam nunc dicitur: illam Saraceni Principes incoluerunt, & Tunetani regni caput fecerunt. Hanc primo obſidendam Ludovico eſt viſum: qua ſi potiretur, univerſum regnum in poteſtatem habuiſſet, ad illius igitur męnia, copiæ admotæ, ac poſita ſunt caſtra, quibus vallo communitis, quati machinis cęptum eſt. juxta urbem ingens ſtagnat lacus, cujus aqua non ſanos æſtate vapores exſpirat, ac barbaris pro munimento eſt, quod ſuo damno noſtri eo bello experti ſunt: etenim ex infecto aëre magna in exercitu lues excitata, qua brevi plurimi militum perierunt: communem luctum Ludovici Regis mors vehementer auxit, nam eo uno in capite, univerſorum ſalus verſabatur. Ea contagione ſanctiſſimus vir comprehenſus, uti vixerat, CHRISTI miles, in acie non minus piè, quam fortiter mortem oppetiit. Sacris Chriſtiano ritu munitus, Philippum filium, quem ſecum ad ſacram militiam duxerat, advocavit; eumque peramanter complexus, brevi, ſed efficaci oratione ad virtutem, pie-

ta-

tatemque excolendam, ad juſtitiam in populos exercendam adhortatus, Romanam Eccleſiam, cujus ipſe defenſor fuerat, ei ſummopere commendavit: utque omne ſtudium in proferenda Religione collocaret; pluriſque res divinas, quam Regnum faceret: Sacerdotes omni obſequio proſequeretur, vehementer injunxit: ita futurum ut tranquillè, & cum laude regnum ſibi à Deo datum adminiſtraret. Exin ſterni ex cinere ſibi lectum, inque Crucem conformari juſſit, inque eo decumbens, atque ea verba pronuncians, quæ Servator humani generis in obitu protuliſſe ſacrę literæ teſtantur, Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum, animam ſanctiſſimè efflavit, quæ ſtatim inter Superos eſt relata. VII. Kal: Septembris anni MCCLXX. Eadem lue afflati Joannes ſecundus natu ex filiis ejuſdem Regis, & Cardinalis Albanus Pontificius ad bellum illud Legatus perierunt. Dum Ludovicus animam ageret, Carolus cum claſse, & commeatu Tunetum venit, ejuſque adventus Chriſtianorum animos plurimum ſublevavit: correpti à lue ita medicamentis, quæ ſecum adduxerat, ſunt refecti, ut infracta morbi vi, inſtauratus exercitus fuerit. Carolus ne deeſse in exercitu Ducem hoſtes crederent, urgere obſidionem, atque omnibus viribus urbem oppugnare ſtatuit. Etſi enim innumeri Saraceni eſſent, quippe qui ex univerſa Africa, atque Arabia ad ferenda urbi auxilia convenerant, non tamen audebant in aciem prodire, ac ſigna cum noſtris conferre; uſi tamen arte, quæ plurimum in bellis valet, in hunc modum caſtra infeſtabant: extra urbem arenoſus eſt collis, ac ſterilis, in quem dum in caſtra ventus perflabat, numeroſi conveniebant, & equorum, peditumque curſu pulverem ciebant, qui vento arreptus, turbiniſque in morem ſparſus in Gallorum caſtra deferebatur, plurimumque milites offendebat, ut non ſolum non videre, ſed ne reſpirare quidem quirent. At huic incommodo divinitus occurſum: tot enim præter regionis morem effuſæ pluvię, ut diu humidus pulvis moveri, agitarique nequiverit. Tum Carolus uſus opportunitate aggredi mœnia conſtituit. Parari igitur machinas, atque in ſequentem diem in promptu eſse, queq; ad expugnationem neceſsaria erant, ſuos jubet. Quo à barbaro Rege comperto, veritus ne capta urbe, regno ſpoliaretur, Legatos ad Carolum miſit, qui pacem ab eo peterent. Carolus cum videret, magnam militum partem periiſſe, partem alteram perituram, ſi lues revixiſset, Philippum novum Gallię Regem reditum in patriam ad capeſsendum regnum maturare, Eccleſiam ſine Rectore eſse, & plurimum tum Eccleſiæ, tum Italię intereſse, ut ipſe in illa res compoſiturus adeſset, author fuit, ut barbaris pax certis conditionibus concederetur. Non deſunt qui ſcripſerint, eam Carolum pacem ſuis, non Chriſtianorum rebus conducturam accepiſſe;

illa

illa enim pacta fieri ; ut Tunetanum Regem vectigalem haberet ; ac tributa in annos exigeret. Etenim ſi communibus Chriſtianorum armis ea totius Africæ nobiliſſima Provincia capta fuiſſet, in commune pariter lucrum ceſſiſſet, partemque quiſque ſuam Galliæ, Britanniæ, Navarræque Reges vindicaſſent : utcumque ſe res habuit, quod decernere non eſt facile, his conditionibus pax eſt ſancita : Chriſtiani, qui in eo Regno captivi eſſent, liberi dimitterentur ; liceret eiſdem Eccleſias ædificare, ſacra Chriſtiano ritu facere ; CHRISTIq; Fidem divulgare : & ſi quis Maomethanorum profiteri eam vellet, ſine noxa eſſet : pro expenſis eo bello factis certa Regibus pecunia numeraretur : Tunetanus Rex ſe Caroli vectigalem diceret : & ſingulis annis XX. millia aureorum penſitaret. Poſtquam hæ conditiones ratæ utrimque habitæ, jurata pax ; & mutuis ſe Reges officiis coluerunt ; deinde exercitu in naves impoſito, in Siciliam proſpero curſu navigarunt. Drepanum, quod ſupra Lilybæum ſitum eſt oppidum, Trojanæ claſſis appulſu, & Anchiſis tumulo nobile, tenuerunt. In hujus portu dum in anchoris naves ſtarent, tam vehemens ex improviſo tempeſtas orta, ut magna ex parte perierint, unàque bellici apparatus, immenſæque divitiæ ſubmerſæ. Id gentes in religionem verterunt ; quaſi vindicis Dei ira factum, quod Chriſtiani pacem cum barbaris, quos jam penè vicerant, præ avaritia pepigiſſent. Neque ſatis ea calamitas fuit ; milites, qui in terram refecturi vires deſcenderant, iterum peſtilentia tentati, ac ſæviente vi morbi turmatim interiere. Cum verò Drepanum ad recipiendos lue tactos non ſufficeret, in varia inſulæ loca tranſportati, in quibus plerique omnibus deſtituti auxiliis lacrymabili fato perierunt. Theobaldus Navarræ Rex cum Iſabella conjuge, & Gulielmus Flandriæ Comes eadem peſte ſublati eam calamitatem inſigniorem reddiderunt ; plurimique alii viri Principes non minus miſerè, quàm inglorię ultimum diem obierunt. Qui ſi illo bello duraſſent, multis editis tum fortitudinis cum pietatis exemplis, multis etiam palmis glorioſi ad Superos emigraſſent. Tantum cupiditas malum, & tantas ſecum ærumnas affert : & ubi quis privata non publica commoda requirit, certa pernicies populos, ac lacrymabiles caſus conſequentur. Carolus cum Philippo nepote Drepano Panormum proceſſit, in quam urbem magnifico apparatu, ac pompa à Siculis exceptus. D. Ludovici viſcera in ædem Montis Regii à Normannis inſtructam Chriſtiano ritu ſunt illata : corpus roſtrata navi in Galliam deductum. Panormo digreſſi Siciliæ litus præternavigarunt, fretoque inde trajecto, Calabriam tenuerunt. Ex hac maris pertæſi terreſtri itinere Neapolim incolumes pervenerunt. Neapoli ſplendido luxu, ac memorabili pompa uterq; Rex exceptus ; cum enim & Galli, & Neapolitani Proceres gratam

ſe

ſe Regi rem facturos intelligerent, ſi omnes Philippo honores deferrent, per eos dies, quos Neapoli egit, ſolemnes pompas magna celebritate duxerunt. Trojam magnifico apparatu, atque ingenti hominum concurſu luſerunt. Equeſtres etiam pugnas imitati pulcherrimos luſus ediderunt, annuloque pariter mirabili contentione,atq; arte certatum: non ſiluere theatra, in quibus ſcenicos ludos, & comędias exhibuerunt. Quod quidem ambitione Principum, atque adulatione, non temporis ratione factum; ſiquidem tot Regum, ac Principum funera, amiſſi exercitus, perditę naves, hoſtes non debellati, lugubres potius pompas, quam ludicra ſpectacula, ſceniſcoſque ludos poſtulabant. Feſtis celebratis, Philippus in Galliam eſt reverſus, quem Carolus Viterbium uſque eſt comitatus. Hic ſagax ingenio vir adhuc diſſidere Patres animadvertens; & ſi amicus Pontifex cooptatus ab illis fuiſſet, plurimum jis, quæ meditabatur, profuturum, Philippum Regem, Henricum, & Odoardum, quorum unus frater, nepos alter Angli Regis erat, magnopere rogavit, ut aliquantiſper Viterbii ſubſiſterent; ut ipſorum opera, & authoritate ad optimum Pontificem à Patribus obtinendum uteretur. Neq; ea Caroli ſpes vana fuit. Etenim horum auctoritate Principum, & Bernardi Clarævallenſis hortatu, extra collegium, quando in eo non conveniebant, Pontificem crearunt. Fuit hic Theobaldus Placentinus ex Vicecomitibus, qui à Mediolanenſibus ſolum vertere coactus fuerat: & tum in Syria Legatus ad componendas res Chriſtianorum degebat, qui nuncio in Orientem à Patribus ſtatim miſſo, ad ineundum Pontificatum eſt accerſitus. A noſtro inſtituto minimè alienum duco, ſi quod per eos dies Viterbii accidit in noſtram hiſtoriam inſeram; rarum vindictæ, atque immanitatis exemplum, quod uti execrabile poſteris, ita & non imitabile erit. Dum in æde D. Sylveſtri Henricus Riccardi filius, qui deſignatus Cæſar fuerat, ſacris intereſſet, eo ipſo momento, quo hoſtia immolabatur, Vido Monfortius Etruriæ Vicarius à Carolo conſtitutus, infernis diris agitatus, nulla Divini Numinis, ac ſacri loci habita ratione, ut necem patris, quem Riccardus occiderat, ulciſceretur, Henricum ex improviſo aggreſſus pugione confodit. Quod factum tam impium æquè, atque atrox, & ſupra omnem memoriam execrabile, univerſi Principes iniquiſſimo animo tulerunt, Carolumque vehementer reprehenderunt, quod non è veſtigio ab ſacrilego homine pęnas repeteret. Vido multis equitibus, ac peditibus ſtipatus non contentus eo ſe facinore obligaſse, novum addidit, & etiam in mortuum ſęviſse videri voluit; dum enim à Gallo Equite, quid egiſſet? rogaretur: Reſpondit ſe necem patris vindicaſse: ille qui ex jis erat, qui nihil penſi pietatem habent, At, Pater, inquit, humi raptatus: Vido eo verbo audito, quaſi novis fu-

riis

riis correptus, in Eccleſiam cum armatis redivit, arreptumque capillis Henrici caput, extra Eccleſiam inſigni immanitatis exemplo raptavit, Viterbioque ſtatim egreſſus fugere non deſiit, quoad Socerum Anguillariæ Comitem adivit. Tam impotens vindictæ ſtudium apud homines eſt; ut nullum ſit ſcelus, quod non audeant: dumque ſe fortes putant, imbecilles oſtendunt; utpote qui dominari cupiditatibus, ſeque ipſos, quod uti arduum, ita glorioſum eſt, vincere nequeunt. Odoardus occiſi nepos Carolo iratus, quod non illico Vidonem perſecutus fuiſſet, Viterbio exceſſit, & Florentiam ſe deduxit: neque ex illo redire unquam in gratiam, ac reconciliari Carolo voluit. Carolus, qui tenere Vidonem non poterat, reum Majeſtatis dixit, omnique ditione ſpoliavit. Inde Philippo in Galliam profecto, ipſe Neapolim redivit. Hic novam doloris materiam invenit; nam Philippus ſecundus natu interierat, & Carolus hæres deſignatus nullos ex Maria Hungarica conjuge liberos ſuſceperat, ingenſque ob id domi mœror erat. Quæ cum ſecum animo meditaretur, ſibi, & regno expedire ratus, ſi quamvis ætate grandior, uxorem ſecundò duceret, ex qua liberos in regnorum poſſeſſionem venturos ſuſciperet. Balduini, qui ultimus ex Latinis Orientis Imperium tenuit, filiam, Philippique ſororem in conjugem accepit, ut Conſtantius eſt author, quibus nuptiis facilius ſe Græciam occupaturum arbitrabatur. At Sigonius gravis author, illam Burgundiæ Ducis filiam extitiſſe ſcriptum reliquit: magnoq; per Italiam, omnium fermè civitatum ſtudio Neapolim deductam. Quæcumque illa fuit, ingens ob eam pompa, & equeſtres ludi celebrati, in quibus Carolus ipſe quatuor & quadraginta annos natus ludere voluit, ut ſe non animo tantum, ſed corpore etiam vegetum, gignendiſque liberis parem oſtenderet. Nempe conjugis amore, & prolis deſiderio ipſi pariter matura ętate viri, & prudentia, & geſtis graves, repueraſcunt. Ut verò eas nuptias aliquo munificentię argumento inſignes redderet, ſubditorumque ſibi animos devinciret, die Pentecoſtes plures Equites creavit, ac militari cingulo præcinxit. Horum nomina hæc memoriæ mandata comperiuntur: Bartholomęus Inſula, Landulphus Protonobiliſſimus, Marinus Torellus, Gregorius Olopiſcis, Philippus Falconarus, Bartholomęus Angelus, Marinus à Duce, Marinus Pignatellus, Gualterius Falconarus, Laurentius, & Gualterius Caputi, Bartholomæus Cajetanus, Matthæus Madius, Matthæus à Luciis, Petrus Goffridus, Petrus à Sancto Antimo, Riccardus Claramontius, Rodulphus Troiſius, Ragus Ragonis filius, Riccardus Ritus, Matthæus Grillus, Rogerius Morellus, Riginaldus Ugothius, quibus alii etiam adjuncti, uti illius temporis tabulæ conſignatum habent.

Dum inter hanc nuptiarum celebritatem, ac feſtos ludos Carolus

rolus verſatur, nova gaudiorum materia eſt oblata. Carolus filius, qui nullam adhuc maſculam prolem ex conjuge ſuſceperat, hoc anno qui MCCLXXII. ære Chriſtianæ recurrebat, filium accepit: eumque ſacro fonte luſtratum Carolum Martellum nominavit. Ob illius natalia continuata lætitia, perque univerſam Andegavenſium ditionem, & ſolemnes pompæ, & ludi pluries habiti, utque communia ea gaudia omnibus eſſent, immunitates, & veniæ delinquentibus datæ, quique vincti tenebantur, in libertatem emiſſi. Interea cum præmiſſo nuncio accepiſſet, Theobaldum Pontificem deſignatum in Apulia ex Syria venientem jam jam appulſurum, obviam proceſſit, illum omni honoris ſignificatione excepturus. Dum verò Pontificem opperitur, Luceriam, quæ rebellaverat, obſedit; ut ex eo angulo, quò ſe barbari receperant, tandem debellatos eiceret. At cum videret oppidum munitiſſimum; nec vi facilè obtinendum, pacem Saracenis his conditionibus dedit: duplum in annum tributum ſolverent, transfugæ traderentur. Blondus tum tandem Sibiliam Manfredi uxorem cum duobus liberis in Caroli poteſtatem veniſſe, inque Lucullanum caſtrum incluſos, ibique modico victu ſuſtentatos memoriæ prodidit. In quibuſdam manuſcriptis ſex argenteos nummos Reginæ, ac liberis in dies datos invenio. Infelix Principum ſors, quorum nunquam mediocris fortuna, aut in ſummo faſtigio conſpiciendi ſedent, aut in imis abjecti, obſcuriq; latent. Poſtquam verò Carolus Manfredoniam appuliſſe Pontificem cognovit, eò ſtatim progreſſus ſummis honoribus excepit, ac magnificè tractavit, eumque inde Manfredonia diſcedentem, uſque ad Pontificiam ditionem eſt comitatus. Ne verò illum Viterbium ſequeretur, & Coronationi intereſſet, Pontifex impediit, qui ne ſui gratia tantum laboris ſuſciperet, domum remiſit. Carolus Pontifici obtemperans, Neapolim eſt reverſus, ſuis tamen Magnatibus, ut Pontificem Viterbium deducerent, injunxit. Qui III. Id: Frebuarii in eam urbem pervenit, ex qua Romam VI. Kal: Ma: ſe contulit, ibique inauguratus Gregorius X. eſt appellatus. Qui Orientalium rerum apprimè ſciens è Palęſtina diſcedens illa Regi Vatis verba pronunciaverat: Si oblitus fuero tui Jeruſalem, oblivioni detur dextera mea; ideoque primam poſt initum Pontificatum, quam ſuſciperet, cura, recuperandæ Palæſtinæ fuit, inque eam nervos omnes intendit. Sacro igitur Cardinalium conventu habito; cum de Syria retuliſſet, ſe vires omnes Chriſtianorum eò vertere, in animo habere: atque ob id totius Eccleſiæ conventum indicere velle, ut in eo de hac præcipuè cauſa ageretur, cumque id Patres optimum factu cenſuiſſent, concilium Lugduni habendum in ſequentem annum indixit. Inde ad Germaniæ Principes ſcripſit, ut tandem aliquando interregnum illud, quod jam undetriginta

annos

annos duraverat, totque Chriſtiano Orbi damna intulerat, revocata concordia tollerent: & Rodulphum Asburgenſem Comitem in Cæſarem cooptarent, ut ſic pace inter Chriſtianos Principes parta, univerſorum vires in Saracenos, ac Turcas, qui nimia jam potentia creſcere cęperant, converterentur. Conventu indicto, Roma diſceſſit, ſecuti Pontificem univerſi fermè Patres, Carolus Rex, & Balduinus nomine tenus Orientis Imperator. XIII. Kal: Jul: Gregorius Florentiam ingreſſus, illud in primis egit, ut Gibellini, qui urbe ejecti fuerant, revocarentur, pacemque cum Guelfis inirent; oppida, quæ Gibellini occupaverant, Carolo tradita, & obſides utrimque dati. Dum verò res ità pacificè tranſigebatur, rumor in vulgus, incerto authore, ut fit, diſſipatus, Caroli Legatum, qui Etruriam regebat, adnitentibus Guelfis edixiſſe, ut Gibellini ſtatim ſolum verterent, ni ad unum trucidari vellent: illi eo rumore territi, illicò diſceſſerunt. Id ubi Pontifex cognovit, rem iniquè ferens è veſtigio diſceſſit, urbem ſacris interdixit. Atque hinc diſcordiæ inter Carolum, & Pontificem ortæ; atque hic ab illo alienatus.

Gregorius ſuperatis Alpibus, Galliam tenuit: atque unà cum Balduino, & Carolo Lugdunum ingreſſus eſt. Ibi IV. Non: Auguſti concilium celebravit, in quo & Philippus Galliæ Rex, & Paleologus Græcus Cæſar, unà cum Patriarcha Conſtantinopolitano interfuerunt. Ayglerius Neapolitanus Antiſtes Pontificem, & Carolum ad concilium ſecutus; cumque pecunia itineris ergo indigeret, Rex ut illi decimæ ſolverentur, uti priſcis etiam temporibus factitatum fuerat, edicto juſſit. In eo autem conventu prima quæſtio de Spiritu Sancto inſtituta, eumque à Patre juxta, ac filio procedere, contra Græcos decretum, coactique jidem Catholicam Veritatem profiteri. Sacra expeditio concordi ſuffragio ſtabilita; aliaque ſaluberrima ad totius utilitatem Eccleſiæ conſtituta. Tum Palęologus, & Patriarcha, damnatis erroribus, ſe Romanæ Eccleſiæ partes ſecuturos ſacramento obſtrinxerunt, eidemque obedientiam exhibituros. Pontifex, qui omnem obicem, qui ſacram expeditionem, aut impedire, aut retardare quiviſſet, è medio tollere vehementer cupiebat, illos in gratiam accepit, atque Eccleſiæ reconciliavit. Carolus, qui regnandi cupidine impotenter flagrabat, id non æquo animo tulit; ratus ea reconciliatione, ſibi aditum ad Orientis Imperium, ad quod jam pridem aſpirabat, omninò præcludi, ideoque diſſidium Florentiæ ortum majus alimentum accepit: ſenſim ira in Pontificem accendi, ac querelas jactare occæpit: identidem querebatur, ſe illum adverſarium experiri, quem futurum amicum ſperaverat. Errant plerumque Principes cum amicos cooptari in Pontifices omnibus adniſi machinis curant, alia

quippe privatorum hominum, alia Pontificum ratio, mens, ac conditio eſt; animuſque ipſe in alios mores, ac ſententias tranſit: Nec humanis conſiliis, quibus privata, non publica bono quæruntur, Deus obſecundat. Gregorius Palæologum in gratiam acceptum Orientis, & Rodulphum jam à Germanis Regem Francofordiæ ſalutatum, Occidentis Imperatorem confirmavit. Fuit Rodulphus vir eximiæ pietatis, ac fortitudinis: dignuſque qui Auſtriacæ familiæ exordium daret. Is enim Ottocaro Bojœmiæ Rege vita perfuncto, Auſtriam Adalberto filio conceſſit, initiumque Auſtriacæ Domus fecit, quæ ex tenui Asburgenſi Comitatu in eam amplitudinem eſt evecta, ut vix aliam æqualem invenias.

Ad Lugdunenſe Concilium Thomas Aquinas à Pontifice fuerat accerſitus, ut quemadmodum Græcorum errores ſcripto egregiè confutaverat; ita eloquentia, qua plurimum pollebat, in eo cętu perſtringeret. Hic, ut Gregorii juſſis pareret, Neapoli, ubi divinas literas magno plauſu interpetrabatur, Galliam petiturus diſceſſit. At dum per Appii Forum pertranſiret, ſubita febri eſt correptus, qua iter impediente, in cœnobio Ciſtercienſium, quod eo loco ampliſſimum, ſubſtitit, morboque deinde ingraveſcente, Eccleſiæ ſacris munitus ſanctè, uti vitam egerat, diem obivit, atq; inter Superos receptus, deceſſit Non: Martiis annos natus L. Ejus cadaver, dum in ſepulchrum inſerretur, cæco lumen reſtituit, quo miraculo comperto, ejus loci cœnobitæ viri ſanctitatem venerari cęperunt. Rumorem eo tempore divulgatum, Villanus eſt author, à quodam Caroli miniſtro bellariis veneno confectis ſublatum fuiſſe, qui gratam ſe Carolo rem facturum rebatur; quando hi, qui proximè à Carolo deſecerant, ex Aquinatium genere erant, timebatque ne ob inſignem virtutem Cardinalis à Pontifice crearetur, Caroloque adverſarius eſſet futurus. Id ergo affirmare non auſim. Scio tamen conſtitutum cuique mortalium certum vitæ tempus, quod ultra progredi neutiquam datur, nec deeſſe hominibus tot malis obnoxiis fati cauſas. Quartodecimo, ex quo obierat, anno Theodoræ ſororis precibus tumulus eſt reſeratus: dextrumque à corpore adhuc integro brachium eſt abſtractum, quod pia Virgo in ædicula ſuæ cellæ ſumma religione collocavit, multis exin poſt annis Salernum translatum, inque æde ſui Ordinis venerationi expoſitum. Anno trecenteſimo viceſimo tertio ſupra milleſimum XIV. Kal: Auguſti à Joanne XXII. Pont: Max: magna pompa, ac totius Eccleſiæ plauſu Divis adnumeratus. Urbanus V. anno MCCCLXIX. cum Neapoli jure deberetur, Toloſam transferri juſſit. Pius V. inter Eccleſię Doctores quinto loco cenſeri voluit, & ob ſingularem innocentiæ candorem, mores mundiſſimos, atque interpetrādi facilitatem Angelicus Doctor audivit. A Clemente IV,

Nea-

Neapolitanus Antiſtes deſignatus mira conſtantia, atque humilitate cum honorem recuſavit, ratus haud illos decere, ad honores animum intendere, qui ſemel humilem vitæ rationem profeſſi, Servatoris adhærere veſtigiis cœpiſſent.

Carolus Neapolim reverſus, eo tempore, quo Pontificatum Gregorius geſſit, non multum de Italiæ rebus laboravit: ad exornandam ædificiis, ac publicis viis urbem ſedulo incubuit: & primum vias, quæ conſtratæ ex lateribus erant, ipſe è quadratis lapidibus, qui ex Appiæ ruinis ſupererant; aliiſque è Silice ex Cumano monte exciſis inſtravit, quod inde continenter factitatum. Plurimos Equeſtri Ordini adjunxit: univerſoſque ita armorum uſu erudivit, & militarem diſciplinam edocuit, ut veteranis æquari Ducibus potuiſſent. Inter pręcipuos Rogerius Sanſeverinius, Petrus Ruffus, & Rogerius Auria numerabantur. Longa illius abſentia tanto numero prędones creverant, ut non ſine certo periculo viatores iter facerent; idcirco Robertum Tornaim ſumma poteſtate in eos immiſit, qui valida armatorum manu progreſſus, illos ex toto Samnio, Hirpino ſaltu, & Picentinis ejecit, ac penitus profligavit. Dum autem hæc per Robertum gereret, Joanni Alvęo Equiti mandavit, ut quæ vela, malos, Antennas Tranii, Barulii, atque in Novo Siponto (ita Manfredoniam, ut Manfredi memoria aboliretur, vocari juſſerat) comparare potuiſſet, Fogiam deduceret, ut ibi theatrum ex illis pro tempore inſtrueretur: velle ſe ea in urbe Beatricis nuptias celebrare, hanc unam ex natis Philippo Balduini Cæſaris filio deſponderat: & recepturum ſe illi Conſtantinopolitanum Imperium promiſerat; futurum ampliſſimam filii dotem, ſi obtinuiſſet.

Gregorius dum è concilio in Italiam redit, & magna pro Eccleſiæ utilitate, dignitateque molitur, Aretii ægrotavit: cumque in dies morbi vis ingraveſceret, tandem VI. Id: Januarias anni MCCLXXVI. è vivis ſummo univerſorum dolore exceſſit. Demortuo Petrus Tarantaſias ſtatim ſuffectus, & Innocentius V. nuncupatus; qui vix Pontificatum auſpicatus, Gregorium eſt ſecutus: locumque Fliſco Cardinali dedit, qui illico inauguratus, & Hadrianus V. dictus eſt. Hic vix inito Potificatu, ut nimiam Caroli potentiam, qui ad ſuum arbitrium Romam adminiſtrabat, infringeret, Rodulphum Cæſarem in Italiam evocavit. Etenim Carolus ſenatoria poteſtate aſſumpta, inque ſui locum Jacobo Cantelmo conſtituto, qui ejuſdem Caroli prius Vicarius fuerat, cuncta moderabatur, ita ut ipſe Pontifex vicariam poteſtatem exercere videretur: majorque Populi Romani in Carolum obſervantia, quam in Pontificem erat. Neſciebat Carolus ſe intra fines continere, avidusque dominandi animus nunquam explebatur, quæ ejus ruinæ,

quæ univerſam Andegavenſium Domum everti t,potior cauſa fuit. Rodulphus cum Bojoëmis bello implicitus, Adriani juſſis obſecundare non potuit. Nihilominus Carolus, ut ab ſe Pontificis odium averteret, bellum in Achajam inferre ſtatuit; ad quod ex eo etiam adductus, quod ea provincia ſubacta, facilem ad Orientis Imperium ſibi viam ſterneret. Verum Hadriano non multo poſt mortuo, ab eo bello deſtitit, inque Italiam reverſus. Interea Patres comitium ad creandum novum Pontificem ingreſſi, Petrum Luſitanum Cardinalem in Pontificem cooptarunt, & Joannem XXII. appellarunt. Vir ſpectatæ virtutis, ac pietatis eximiæ: verum ad Pontificatum gerendum parum idoneus, nec eo maſculo animo pręditus, qui ad continendum in officio Carolum, ejuſque potentiam deprimendam, requirebatur; quocirca multa hic pro ſua voluntate, non ut Senator tantum, ſed uti Dominus ordinabat.

Per id tempus inter Mariam Antiocheni Principis filiam, & Ugonem patruum Cypri Regem de Jeroſolymorum regni titulo orta lis eſt: nam de re, quam neuter poſſidebat, nulla controverſia, quod plerumque inter homines cadit, qui pro inani nomine decertantes, ſolidam rem, vitamque ipſam non nunquam amittunt. Quia verò Ugo cum jam titulum uſurpaverat, Maria Romam venit, querelas ad Pontificem delatura. Carolus, qui per eos dies Romę degebat, atque in omnes augendę potentiæ, atque honoris occaſiones imminebat, facilè à Maria obtinuit, ut in ſe, ac ſuos ſua jura transferret; ut ſic juſto titulo ea ſibi armis vindicare poſſet; conſueto pro more Principum, qui ut juſtum bellum vulgo gerere videantur, longè accerſita jura prętexunt. Cęterum Iſabella Balduini IV. Jeroſolymitani Regis ſoror, Meliſinam genuerat, ex qua Maria procreata regium ſibi titulum aſcribebat: odioque in Ugonem flagrabat. Ugo quoniam Aliſiam ſecundam natarum ejuſdem Iſabellę uxorem duxerat, ſe Regem Jeroſolymorum potiore jure faciebat, & Meliſina quarta ex natis fuerat. Maria cum obſiſtere Ugoni nequiret, facilè tituli jus Carolo conceſſit. Etſi revera ea jura ad Mariam primam natu ex Conrado Montisferrati Marchione pertinerent. Hic enim Jolantam genuerat Friderico II. nuptam, ex qua dotis nomine Regnum illud accepit, & cum reliquis titulis uſurpabat. Carolus ne reliquis Sicilię Regibus inferior haberetur, ita cum Maria egit, ut hęc eum illi titulum conceſſerit. Ex quo inde ipſe, & ſucceſſores ſui Jeroſolymitani Reges appellati. Marię vero jura hęc perhibent. Conradino extincto, & nulla ex eo prole relicta, Marię ex Iſabellę natis primę, cujus ille pronepos fuerat, extinctum unà & jus eſt. Aliſia, quę ſecunda ejuſdem Iſabellę filia fuit, jure etiam exciderat. Nam Almerius ultimus Iſabellę vir, in Joannem Brennenſem tranſtulerat. Sibilla tertia ex natis nullam

ex ſe prolem reliquit. Jam verò Meliſina ſupererat, quæ jure titulum illum aſſumeret, & in Mariam filiam tranſmitteret. Joannes Pontifex, qui animo in Carolum pendebat, cedente Maria, facilè in illum Regium titulum Jeroſolymitani regni tranſtulit, Regemq; ſalutavit. Carolus, ut poſſeſſione titulum roboraret, & ne inane nomen eſſet, Rogerium Sanſeverinium in Paleſtinam cum claſſe, & copiis miſit. Hic ſecundo in Syriam curſu appulſus Alberini Mauroceni Venetorum Legati auxilio uſus jis urbibus, quæ adhuc in Chriſtianorum poteſtate erant, Caroli nomine Præfectos impoſuit, ipſe Ptolomaide, ubi tum Maurocenus degebat, ſedem fixit.

Carolo in Regnorum curas animum intendenti, expedire viſum ſi Brunduſinum portum & ſitu, & opportunitate celeberrimum, ex quo priſcis temporibus in Græciam, atque Orientem gradus Romanis eſt factus, arce communiret; verebatur enim ne ſi præſidio vacuus maneret, aditum hoſtibus ad invadendam Apuliam prębeceret. Cum enim in dies Venetorum potentia creſceret, & integris jam claſſibus Adriaticum, quaſi ejus maris domini excurrerent, timendum ab illis videbatur. Arci extruendæ Achillem Cavalerium nobilem Brunduſinum præpoſuit, cujus ſedula diligentia factum, ut brevi munitiſſima tum ad urbis, tum portus tutelam arx excitaretur. Impoſitoque in ea præſidio Rogerium Cavalerium ex eadem familia Carolus præfecit. Eodem etiam anno Viterbii miſerabili caſu Pontifex interiit; etenim cubiculi tecto ex improviſo corruente, ruina oppreſſus. Uſque adeo ne maximi quidem Principes ab inſperatis calamitatibus liberi, ictibus repentinis patent univerſi: nempe nullus apud fatum perſonarum reſpectus, unoque omnes, quicumque illi ſint, faſce complectitur. Eo mortuo, habita comitia, quibus Carolus urbis Senator de more præſuit, qui quotidie apud Patres inſtabat, ut Gallum Pontificem crearent; quaſi præſcius eorum malorum, quæ non multo poſt in ipſius caput irruerunt. At Patres Italiæ magis, quam Carolo conſulentes, Kal: Dec: Joannem Cardinalem Cajetanum ex Urſinis in Pontificem cooptarunt, qui Nicolaus III. idcirco appellari voluit; quod titulum D. Nicolai ad Tullianum carcerem prætuliſſet. Vir & moribus, & virtute inſignis, ſed ea labe notatus, qua pauci caruerunt, ſui generis homines pluſquam Pontificem deceret, amavit: eoſque ad altiorem fortunam, etſi optimam à natalibus habuiſſent, evehere ſummopere ſtuduit. Idcirco vix inito Pontificatu, Carolum rogavit, ut unam ex nepotibus, quas plures Carolus filius ſuſceperat, uni ex ſuis nepotibus deſponderet. Carolus gentis faſtu negavit, Regii ſanguinis fęminas non Regiis viris minimè commiſcendas: id quid aliud eſſe, quam de ſuo faſtigio majeſtatem dejicere, univerſamque familiam dehoneſtare. Ignarus

quan-

quantam ob eam ſuperbiam ſibi calamitatem conciliaturus eſſet; cum cæteroqui cogitare debuiſſet, maximo ſibi honori futurum, ſi Regiam nobilitatem aliis impertiſſet. Nicolaus repulſa vehementer irritatus, illum Imperii Vicariatu abire juſſit, aſſerens Cæſare creato, cum magiſtratum ceſſare: & ſi iterum aſſumendus foret, ad Rodulphum ſpectare ſibi Vicarium dicere. Romam inde ſequenti anno cum veniſſet, & plurimum in ea urbe Caroli authoritatem valere comperiſſet, Senatoria dignitate exuit: ſeque Dominum, ac Senatorem urbis futurum. Id autem ut aliquo prætextu, ut ſolemne Principibus eſt, feciſſe videretur, legem tulit; Ne quis Rex, aut ex Rege natus Senator urbis in poſterum crearetur. Tum tandem Carolus didicit non irritandos Pontifices eſſe; qui ſi fortes animo ſint, & authoritate uti velint, ſemper metuendi Principibus erunt. At non his Caroli animus, quem magnum à natura habuerat, fractus eſt, ac dejectus: imo magis erectus, penſare eam jacturam magno aliquo lucro conſtituit: illuſtrem expeditionem meditari cępit. Verùm anceps animi erat, num Conſtantinopolitanam ſuſciperet; ut Balduinum Philippi generi parentem, in Orientis Imperium reduceret, magnamque ſibi Græciæ partem ea occaſione vindicaret; an verò in Paleſtinam copias duceret, ejus regni, cujus jam titulum gerebat, integram poſſeſſionem adepturus. Interea dum ea de re conſilium caperet, tum in Italia, ac Sicilia, tum in Provincia juvenum delectum haberi, claſſem, & onerarias ad milites, & commeatus tranſportandos, adornari, parari arma, frumentum conquiri, magnam pecuniæ vim ex Provinciis corrogari jubet. Univerſis Toparchis, ac Proceribus Provinciarum, ut pręſto armati eſſent ſe ad bellum illud ſecuturi, mandavit, Brunduſiumque ad certum tempus convenirent. Hujus tam magni apparatus fama, brevi ad omnes gentes pervaſit, qua audita Palęologus vehementer perculſus. Augebatur illi timor, quod cum Italiam, Galliamque ad concilium proficiſcens, peragraret, quantæ Caroli vires eſſent, optimè cognoverat. Et ſane una tum omnium opinio fuit, fore, ut eo exercitu Conſtantinopolis caperetur, iterumque Latinis Orientis Imperium reſtitueretur. Verum tantos apparatus, tantaſque vires, unius proditoris aſtus, atque inquietum Siculorum ingenium diſſipavit. Ni id providentia Numinis eveniſſe credamus, ut & Caroli ſuperbia, & noſtra vitia punirentur: utque Principes ſcirent nihil tàm maximè odiſſe Numen, quam ſuperbiam, atque impotentem dominandi cupiditatem: quam ut ipſi expleant, tot urbes erui, tot gentes trucidari, totque edi ſcelera, nihil omnino curant: & tum maximè ruinæ proximos eſſe, cum omnia occupare, inque ſummum potentiæ faſtigium per aliorum ſtrages aſcendere moliuntur. Et ut populi pariter docerentur, ſuis vitiis

tiis

tiis tumultus, proditiones, ac bella oriri: quibus humana, divinaque omnia turbarentur, communes cædes, atque incendia excitarentur. Hic verò proditor, Joannes quidam fuit cognomento Prochyta Nobilis Salernitanus Friderici II., Manfredi, & Caroli ipſius à conſiliis. Collenucius medicum fuiſſe ſcribit, fortaſſe ob id, quod Salerni, ubi nobile Medicorum Collegium, eam artem etiam nobiles viri profiteantur. Cognomen ab inſula obtinuit, quę una ex Pithecuſis in ipſo Crateris aditu Ænariam inter & Cumas jacet. Uxorem habuit Pandulphinam Gulielmi Faſanellæ filiam, quę Caſtilionenſem ditionem viro ſub dotis nomine attulerat. Cur verò à Carolo deficiens Siculorum animos ad utramque auram faciles ad ſe traxerit, atque in Regem conjurare perſuaſerit, memorabilemque eam Gallorum ſtragem orditus ſit, hanc Conſtantius cauſam tradit: Quia nimirum Carolus, quod ille Manfredi primum, mox Conradini partes tenuiſset, Prochytam inſulam illi eripuiſſet. Buccacius ſtupratam à Carolo ejus conjugem, atque hujus injurię ultionem proditionis cauſam extitiſſe. Quæcumque ea fuerit, vindictæ, atque ambitionis cupidine inflammatus, cum aperta vi agere non poſſet, fraude, quæ imbecillium ſolum eſt, uti ſtatuit. At quoniam apprimè noverat, Neapolitanorum animos in Carolum inclinatos à novis rebus abhorrere, Siculos verò natura volubiles, & à Carolo alienatos, quod ſolium ex ea inſula Neapolim tranſtuliſſet, quam, ut ajebant, injuriam nondum concoxerant; Præfectorum etiam impotentia, licentiaque militum oppreſſos facile ad rebellandum incitari potuiſſe, ſi auctorem, quem ſequerentur, & vires, quibus defenderentur, habuiſſent. Id autem diu animo meditatus, ac modis omnibus, quibus tuto peragi potuiſſet, excogitatis, conveniendum ſibi Palęologum duxit, atque ab eo principio longè telam ordiri. Re ſecum conſtituta, externi hominis habitum aſſumpſit, & Conſtantinopolim navigavit. Hic Cæſarem adit, eumque ſecretò admonet, quanta & ipſi, & Græcis pernicies immineret: cui ni maturè occurrat, actum de Imperio eſſe. Carolum Græco nomini infenſiſſimum ingentes claſſes adornaſſe, innumeras copias ſcripſiſſe, ſe Balduino conjunxiſſe: brevi Pontificem magnis promiſſis ad ſuas partes pertracturum, cujus auxiliis, & pecunia auctum propediem in Græciam navigaturum, immanemque eam procellam in ipſam Principem urbem, ſuumque caput principio detonaturam. Nihilominus, ſi ſibi fides adhiberetur, ac pecunia ſuppeditaretur, oſtenſurum ſe modum, quo illa tempeſtas non ſolum diſſlari, ſed verti etiam in hoſtem poſſet. Illum vero eum eſſe, quem ipſe diu meditatus fuerat, & effecturum ſe certò ſperabat. Siciliam Gallici jugi indocilem nihil quam defectionis Ducem expectare; illius inſulæ Proceres jam ſecretò conveniſse, con-

conſiliumque de rebellione inter ſe injiſſe. Ideoque ſi ipſe pecuniam, qua adornari naves, aliquæ milites poſſent, conjuratis ſubminiſtraret, ſe Petro Aragoniæ Regi, Conſtantiæque Manfredi filiæ viro facilè perſuaſurum, ut bellum illud ſuſciperet, & tumultuantem Siciliam invaderet. Atque ita fieri, ut Carolus domeſticis bellis impeditus ab Orientis Imperio curam revocaret; eamq; procellam, quam ipſe in alios præ nimia regnandi cupiditate excitaſſet, in ſe ipſum incubuiſſe ſentiret. Palæologus, cui quantæ Caroli vires eſſent, ſatis compertum erat, etſi arduum videret, quod tanta ſecuritate proditor exhiberet, tentandam nihilominus fortunam duxit, & facilè eam pecuniæ jacturam facere; quæ, ſi res feliciter ceſſiſſet, magnam ſibi, & ſuis utilitatem, ac ſecuritatem Imperio eſset allatura. Turpe Principi ratus præ avaritia optimas rei benè gerendæ occaſiones amittere: daturum igitur ſe pecuniam ad bellum ſpondet; ipſe viriliter, ut cœperat, rem exequeretur. Literas inde fidei conciliatrices proditori dedit, & Legatos etiam cum illo ſecreto ire jubet. Joannes re uti præoptaverat, proſperè confecta, Meſsanam unà cum Legatis navigat. Hic Alamum Leontinum, Palmerium Abbatem, & Gualterium Ennenſem præcipuos loci viros, & ſibi veteri neceſſitudine conjunctos clanculum convenit: eiſque rem omnem aperit; & ad defectionem hortatur. Hi & amore in Svevos, quorum adminiſtri fuerant, & odio in Gallos, ſuoque ingenio facilè incitati conjurationi dant nomina: Epiſtolamque omnium nomine ſcriptam ad Petrum mittunt, eumque vehementer rogant, ut ſuis miſeriis ſubveniat; atque ab intolerabili jugo, quo ſupra modum premebantur, eximat; ſe omnem operam exhibituros, ut reliqui Siculi unum ipſum dominum velint, & armis etiam aſserant: Siciliam jure hæreditario ſuam eſse, à qua ne ipſe, ne ſui longo tempore excidant, maturandum bellum eſse, patriumq; regnum, quam primùm repetendum: Caroli vires ne timeat; etenim fruſtra armari Principes, quando tota, atque unanimis multitudo in acie eſt, qui neſciat, eſse neminem: imo nec alias Regum vires, aliamque potentiam, quam ipſam in armis multitudinem eſse. His Siculorum literis, unà cum Græcis Legatis Franciſcani habitum indutus Joannes Romam ſpe plenus contendit. Hic omnem lapidem movet, omnes artes adhibet, ut Pontificem ſecretò alloqueretur, quod tandem aſsecutus, illum in Suriano Caſtello convenit, telamque à capite orditus conjurationem omnem expoſuit, eique Palæologi litteras tradidit, & tamquam Pontifici devinctiſſimum commendavit; partem inde pecuniæ, quam ab illo acceperat, Nicolao Cæſaris nomine donavit: quam, ut author eſt Villanus, Urſo nepoti dediſse, tum apud gentes evulgatum. Atque his adeo Pontificem in Carolum incitavit, ut accedente veteri odio

ob

ob matrimonii repulſam ſe Carolo adverſarium ſemper oſtenderit: negatiſque ſubſidiis præcipuus author fuerit, ne Carolus eo anno in Græciam trajiceret. Uſque adeo à rectitudine declinamus, cum non Eccleſiæ commoda, ſed privata familiæ, nec Dei gloriam, ſed proprii generis claritudinem, decuſque affectamus. Proditor literis à Pontifice peculiari annulo obſignatis, clam acceptis, in Aragoniam ad Petrum Regem ſe contulit, eique rem omnem, quam ipſe orditus fuerat, enarravit. Siculorum preces, ac literas expoſuit, & quod maximum incitamentum erat, Pontificis epiſtolam, qua ſe illi Siciliæ regnum daturum ſpondebat. Addidit inde auxilia, quæ Palęologus promittebat, & Legatos rei teſtes adhibuit: tot item rationes ea, qua pollebat, eloquentia adjunxit, ut nolentem etiam inflammaſſet. Petrus rem ad fidorum conſilium retulit, in quo poſtquam diu diſceptatum, arripi tandem occaſionem fere ab omnibus eſt viſum. Ad quam & cupido novi regni, & Conſtantia uxor feminea impotentia vehementer incitabat. Sperabat enim fore, ut ea occaſione & patris, & nepotis necem ulciſceretur. Proditore igitur accito, ſe paratum Petrus, inquit, ad Siculorum libertatem aſſerendam; curaret interea ipſe, ut pecunia à Palęologo, & à Pontifice maturè mitteretur, ut ſic claſſes pararet, militem ſcriberet, quæque ad uſum belli neceſſaria eſſent, quam primum adornaret: ſibi eam auri vim neutiquam ſuppetere, nec facile ex regno minimè opulento cogere poſſe, ut tantam belli molem cum potentiſſimo hoſte ſuſciperet. Poſtremo illius animo pluribus laudato, ſpe plenum dimiſit.

XI. Kal: Septembris anni ducenteſimi octogeſimi ſupra milleſimum, quo hæc in communem perniciem ſtruebantur, Nicolaus III. in agro Viterbienſi ex Apoplexia deceſſit, cujus fato tum Joannes, tum Petrus vehementer perculſi; ut qui magnam rei benè gerendæ ſpem in eo poſuiſſent. At magnopere Carolus eſt lætatus, non quod de conjuratione aliquid reſciviſſet, ſed quia ob repulſam infeſtum eum habebat; rebuſq; ſuis continenter adverſantem; auctorque extitiſſet, quin eo anno in Græciam cum exercitu navigaſſet. Qui per eos dies cum in Etruria verſaretur, morte Pontificis audita, Viterbium ſine mora ſe contulit, ut gratum ſibi Pontificem eligi curaret. Ibi diſcordes in comitio Patres invenit, inque duas partes diſtractos. Una Matthæum, & Jordanum Urſinum Nicolai Nepotes; qui ex ſuis renunciari Pontificem nitebantur; altera Carolum ipſum, qui amicum ſibi virum, & Gallum in primis optabat, ſequebatur. Jam ſextus comitiorum menſis agebatur, cum Viterbienſes, inſtigante Carolo, uti tum fama fuit, tumultu concitato, vi in comitium irrumpunt; Cardinales Urſinos abripiunt, atque in carcerem trudunt. Quo facto trepidi Patres,

tres, veritique ne quid pejus plebs moliretur, illico in concordiam revocati, Simonem Turonenſem Pontificem dicunt VII. Kal: Martias inſecuti anni. Novus Pontifex aſſerens Viterbium ob vim Cardinalibus illatam Eccleſiaſtico interdicto obligatum, Herbanum ſeceſſit, ibique more majorum inauguratus Martinus IV. eſt nuncupatus. Vir fuit quò humiliori loco natus, eò animo grandior, atque Eccleſiæ Majeſtatis tuendæ perquam ſtudioſus. Nicolai errata emendaturus, nec ſibi, nec ſuis aſcribi quidquam voluit, cumque ejus frater ad illum inviſendum veniſset, exiguis muneribus donatum, ſtatim in Galliam remiſit. Carolus Herbanum progreſsus Pontificem viſit, ac more majorum adoravit. Eum Pontifex benignè excepit, & Senatoriam Poteſtatem, ut Platina eſt author, reſtituit. Quia verò ſuſceptum de Græca expeditione conſilium non omiſerat, juſtam belli cauſam prætexere cupiens, apud Pontificem multis rationibus inſtitit, ut Paleologum, qui fidem in Lugdunenſi Concilio datam non ſervaverat, nec Græcos ad Romani Pontificis obedientiam, uti promiſerat, adduxerat, anathemate percuteret. Martinus rationibus permotus, ſolemni ritu Cæſarem diris devovit, & ſubſidia ſe Carolo daturum ſpopondit; quibus, Græcam perfidiam, & toties ab Eccleſia deficientes Imperatores debellaret: quæ verò inde ſint ſecuta, in ſequentem Operis partem remittimus.

Primi Tomi Finis.

605566


Digitized by Google

tres, veritique ne quid pejus plebs moliretur, illico in concordiam revocati, Simonem Turonenſem Pontificem dicunt VII. Kal: Martias inſecuti anni. Novus Pontifex aſſerens Viterbium ob vim Cardinalibus illatam Eccleſiaſtico interdicto obligatum, Herbanum ſeceſſit, ibique more majorum inauguratus Martinus IV. eſt nuncupatus. Vir fuit quò humiliori loco natus, eò animo grandior, atque Eccleſiæ Majeſtatis tuendæ perquam ſtudioſus. Nicolai errata emendaturus, nec ſibi, nec ſuis aſcribi quidquam voluit, cumque ejus frater ad illum inviſendum veniſset, exiguis muneribus donatum, ſtatim in Galliam remiſit. Carolus Herbanum progreſsus Pontificem viſit, ac more majorum adoravit. Eum Pontifex benignè excepit, & Senatoriam Poteſtatem, ut Platina eſt author, reſtituit. Quia verò ſuſceptum de Græca expeditione conſilium non omiſerat, juſtam belli cauſam prætexere cupiens, apud Pontificem multis rationibus inſtitit, ut Paleologum, qui fidem in Lugdunenſi Concilio datam non ſervaverat, nec Græcos ad Romani Pontificis obedientiam, uti promiſerat, adduxerat, anathemate percuteret. Martinus rationibus permotus, ſolemni ritu Cæſarem diris devovit, & ſubſidia ſe Carolo daturum ſpopondit; quibus, Græcam perfidiam, & toties ab Eccleſia deficientes Imperatores debellaret: quæ verò inde ſint ſecuta, in ſequentem Operis partem remittimus.

Primi Tomi Finis.

605566

Digitized by Google



Digitized by Google